





2
6
419














MYSARIA
MISSÆ

Disputationi Liturgicæ
IOH. GEORGII HERBERI
Argentoratensis Iesuitæ
ANNO M. DC. XXIV. opposita,

Dissertatione singulari de Agno Paschali
Anno M. DC. XXIIX. aucta,

NUNC
Diversis locis locupletior, additis etiam vindiciis contra Th. Henrici & Sim. Felicem Prof. Friburg. qui eam passim vellicarunt.

AUTORE
JOHANNE GEORGIO DORSCHEO,
SS. THEOL. DOCT. PROF. ORD.
TE ECCLESIASTE,



ARGENTORATI,
Typis & sumptibus JOHANNIS ANDREÆ.
M. DC. XLIIII.



Perillustribus & antiquissimæ prosapiæ celsitudine

GENEROSISSIMIS

DOMINIS

DN. SIGISMUNDO FRIDERICO } *Fratribus, Dnnis à* Sintzendorff.
DN. RUDOLPHO

Liberis Baronibus in Ernsprunn/ Dnis in Roggendorff/ Peggstall/ & S. Martins Berg/ Pincernis hæreditarijs Archiducatus Austriæ supra Anasum,

DN. GEOGIO ADAMO Khevenhüller/ in Aichelberg libero Baroni in LandtsCron & Wernberg/ Dynastæ Hæreditario in Hohen Ostterwitz & Carlsperg/ Ducatus Carinthiaci Mareschallo hæreditario,

Dominis suis Clementissimis

Salutem à Dno JESU & pacem, cum omnigenæ felicitatis splendore

PP.





Rreconciliabilis Roma, Perillustres & antiquæ prosapiæ celsitudine generosissimi Domini Barones, Domini Clementes, ubique suam MISSAM jactat, eam cor, animam, palladium religionis Christianæ prædicat, ad ejus amplexum, osculum, cultum totum mundum incitat, ejus censores atq; adversarios damnat, fugat, exterminat. Conditores ejus religionis, quæ sub Imperatoris Optimi Caroli V. dominatu, INTERIM, usque dum Concilium Tridentinum conficeret controversias fidei & decideret, in Imperio tolerari debuerat, Anno 1548. valde in eo desudarunt, ut MISSAE aliquem colorem inducerent. Monent, extrinsecam oblationem & sacrificium adeò esse religioni connexam, ut omniū gentium consensu unum cum altero fuerit copulatum. Sed dum in connexis cultus religiosi ad naturæ jus provocant, vehementer falluntur. Ajunt sacrificandi ritum hominibus instillatum esse, ut ad Catholicum & cruentum sacrificium Iesu Christi, quo generis humani peccata deleta sunt, deduceremur. Concedimus illud de sacrificijs in Ecclesia Israelitica adornatis, quæ imaginē & præconium oculare crucifixionis Salvatoris complectebantur. Dicun[illegible] oblationem Novo T. commendatam esse in ipso altaris Sacramento, non ut peccatorum remissionem & animarum nostrarū [illegible] iamprimum promereamur, sed ut passionis Domini [illegible]ntes Deo gratias agamus pro salute nobis in cruce impetrata, & ibi promeritam peccatorū remissionem & redemtionem fide & devotione nobis applicem⁹ & appropriemus. Sed ad hos fines novi sacrificij commento opus non est: actibus sacramentalibus ista omnia perficiuntur optimè. Intellexit hoc Bellarminus; unde & propitiatorium & imperatorium MISSAE sacrificium constituit. Nihil igitur ista larva profuit. Hugo Grotius in meditamentis pro pace Ecclesiastica Annotat. ad Consult. Cassandr. p. 11. exi-

existimat, Pontificiis concedi posse, in Eucharistia sacrificium contineri. Primò enim, inquit, offeruntur Deo species istæ creatæ à Deo ad vitæ hujus sustentationem. Hoc est, quod dicitur in Liturgiis, tua de tuis. Offerimus ea, quæ sunt ejus, inquit Irenæus. Nec mirum, id dici sacrificium, cum LXX. interpretes etiam illam legalem ex simila oblationem, de qua agitur Levit. cap. 2. θυσίαν vocent & Græci pagani πελανοὺς θύματα, quibus accedebat vini libatio. Alterum sacrificium est in eo ipso, quod Christus obtulit. Namq; hoc ipsum & Ecclesia Deo offert per gratam commemorationem, Deumq; orat, ut suas preces ratas faciat propter corpus & sanguinem Christi. Tertiũ sacrificium est, quod ad exemplum ejus sacrificii facit Ecclesia, offerens corpus Christi, quod ipsa est. Offerunt enim fideles suum corpus & sanguinem Deo, parati, si ita res tulerit, pro ejus gloria & ædificatione fidelium non bona tantum sua & labores, sed & vitam profundere. Obtineat verò Grotius prius à cœlesti veritate, ut ista verborum ambiguitate, quibus diversissimæ sententiæ involui possunt, contenta sit. Nunquam Spiritui S. placere potest ad concordiam, quod adversariorum regnorum ministris placet ad fovendam discordiam. Obtineat prius Grotius ab ipsis Romanensibus, ut ista Sacrificii triplicis expositione conquiescant. Apparebit omninò, Romam istis involucris annuere nolle. Ita suam amat MISSAM, ut eam non aliqua generaliori loquendi ratione inter sacrificia collocari velit, sed omni proprietatis modo summum locum occupare, adeò ut istud, quod è speciebus elementaribus compositum est creatorio opere, reali immolatione, collocatione in altare verissima, oblatione nova, impetratione & propitiatione singulari & post satisfactionem Iesu Christi iteratâ, sacrificiũ sit Christianæ religionis proprium, quo nomine superet magnam illam in ara crucis consummationẽ, & prosit tam mortuis quam vivẽtib⁹. Hanc verè MYSARIAM esse, hac commẽtatione nostra, cõtra Iesuitam Herberũ ante viginti annos inter exercitamẽta Academica elaboratâ, ostendi, auxi quadriennio post dissertatione de Agno paschali, cujus imagine ad firmandum Missæ suæ

præsidium Pontificij pariter abutuntur. Deniq; cum & Herberus pudendo silentio Mysariæ nostræ victoriam concederet, & eo ipso, quo eam in pauculis locis vellicarunt duo in Academia Friburgensi Prfessores, Henricus & Felix, apparuit, quod constitura sit, si vel integram pari conatu aggrederentur, rogatus fui ab amicis, ut vindicijs & cæteris augmentis ad usus privatos meos pluribus in locis illustratam, publicæ iterum luci exponerem.

Quibus dum annui, adeoq; ad umbilicum perductum est ex prælo typographico opusculum, sapiente seculi more, PATRONOS eidem quærere, necesse habui. Non diu in istac occupato inquisitione, Vos occurristis, Illustrißimi Domini, quibus venerationis debitæ officium jam dudum præstare gestiebat animus. Non enim duntaxat generis splendore antecellitis, quo sanguinem à maximis Christiani orbis heroibus generosißimum deducitis, è familiabus oriundi, quæ celsißimis necesßitudinibus innexæ ubiq; suos spargunt radios, & jam olim ita orbi Christiano fuerunt memorabiles, ut nihil ferè magnum & eximium pro gloria Salvatoris Iesu gestum sit atque expeditum contra communem nostrum hostem, in quo non laureatos & triumphantes SinZendorfios atque Khevenhülleros vidimus. Sed & virtutibus atq; ornamentis proprijs non refertis tantum avitas atavitasque imagines, verum etiam completis. Itaque honestißimum quemque isto vestro fulgore percellitis & in amorem admirationemq; vestri rapitis. Dumq; amor atque admiratio cultum observantiamque parit, quilibet verarum virtutum æstimator, VOBIS, Generosißimi Domini, cupit esse conjunctißimus. Sanè cum amplißimus Dominorum Professorum ordo VOS in congreßibus Academicis hucusq; perpetua quadam aßiduitate eminere videret, ingenti voluptate perfusus est & jucunda revolutione animi ea sibi tempora repræsentavit, in quibus, Principum, Comitum, Baronum, Dynastarumque numeroso splendore nostra fulserant auditoria. Quem interceptum persecutionum bellorumque immanitatibus, tanquam densissimis ac pertinacibus nubibus, dum VOS, Vobisque similes redditis,

redditis, non potest non sibi latissima quæque polliceri. Vnde inter omina bona futuri temporis & præsentis ornamenta VOS numeratos, intra secretum pectoris dulcissimis fovet affectibus. Nostrum Collgium peculiaribus documentis, Illustrissimi Domini, VOBIS conciliastis. Est VOBIS verus de divinis sensus & sincerus DEI cultus curarũ studiorumq; primũ præcipuumq́;. Gnari estis, cætera universa ad mundi hujus caducitatem pertinere, & cũ corporis exuvijs desinere, nisi forte posteritatis memoria fidem servet gratitudinis promeritæ: hæc ad Deum pertinere, ad Deum deducere, Deũ habere, cælis inserere, nec unquã terminari. Itaq; induistis pulcerrimum illum divinissimumq; affectum, cujus magnitudinem pauci intelligunt, pauci reipsa exprimunt, qui nihil tam magnum, tam splendidum, tam sublime esse dictitat, quod non conculcandũ aut deserendũ sit, si religioni puræ vim inferat aut adferat periculum. Martyrij quidã gradus hoc ipso continetur proposito, quod, dum primariã suam excellentiam ostendit, cum vita pro veritate relinquitur, proximo gradu se fortunarum & præsidiorum vitæ animosa quadam repudiatione commendat. Proinde ea exercitamenta Academica præcipua quadam clementia honorastis, in quibus pro veritate divina contra seculi corruptelas aut disputatum aut peroratum à nobis fuit. Quapropter ultra eum cultum, quo cæteri Vestram Clementiam prosecuti sunt, peculiari officio à nobis ista sublimia animi vestri desideria colenda esse, arbitrati sumus. Ego profectò cum Mysariæ Missaticæ illustris nominis patrocinium quærerem, cur à Vestro, Generosissimi Domini, complexu digrederer, causas invenire non potui. Quod enim universæ religioni præstituri estis, ad quod generosissima instruxistis & obfirmastis pectora, quorsum VOS Illustrissimorum Parentum vota commovent, quorsum vos animat Amplissimorum Virorum Dnn. Præfectorum, Vestrorum, Dn. Johannis Spazij *& Dn.* Petri Mollij, *Dnn. & Fautorum meorum honoratissimorum autoritas, quomodo id opusculo huic meo denegaturi essetis? Imò hoc ad officium, quod VOBIS debere me censui,*

perti-

pertinere judicavi, ut VOS nuncuparem quod estis, Divinæ veritatis Patroni constantissimi. Imputate itaque, Illustrissimi Domini, virtutum vestrarum radijs, quod hoc opusculum ad clementissimas vestras dextras porrigo, illi me pertraxerunt in istam audaciam. Permittite dextras vestras nunc libellis onerari sacris, quas aliquando pro gloria nominis divini, pro Ecclesiæ custodia, pro Reipubl. felicitate, pro justitiæ observantia, pro familiarum celsissimarum splendore stricto impleturi estis gladio. Implete feliciter, perenniter! Impleat Deus sancto suo Spiritu corda vestra, optatissimo successu vota vestra, ut pleni virtutum gloria, cœlorum gloria impleamini. Ita precatus Scrib. Argentorati, XXX. Martij A. CHR. M. DC. XLIV.

Illustrissimarum Generositatum

VVV.

Observantissimus

devotissimusq;

Joh. Georg. Dorscheus D.



IN

MYSARIAM MISSAE CONTRA HERBERVM EXHIBITAM

PROOEMIUM.

Ovem quendam priscorum vana superstitio cælo obtrusit, qui ad Numæ *præscriptum certa precularum quarundam serie è cælo evocaretur eliceretur q.; Vnde* Hostilium *eodem operatum sacro, cum parum ex formula quædam obiisset, de cælo ictum atque cum domo deflagrasse fingunt. Simile huic quiddam apud* Romanenses *reperiri fatetur ex illis* Lud. Cœlius Rhodiginus *lib. 9. Antiq. cap. 14.* quando princeps ille rerum ac summi patris filius ex vero Deus verus præfatione sacerdotis brevissima sevocetur eliciaturvè è cælesti sede. *Consentit* Bellarminus lib. 3. de Euchar. c. 15. §. Ex his collig. *quando* conversionem panis in corpus Domini non productivam, nec conservativam, sed adductivam, *vocat. Conf. I.* Fuligattum *in vita R. Bellarm. lib. 6. c. 3. aa. 3. fac. 1. Missæ hoc est opus, exosissimum* Deo, *infensissimum* Christo, *ignoratissimum* scripturæ, *inimicissimum* fidei. *Nescit sanctissimus summi numinis cultus Christum talem Elicium. Nesciamus igitur eum & nos, eamusque obviam iis, qui hæc Ethnicorum nobis figmenta recudunt. Miramur autem, quis Vertumnus possederit ita* Herberum, *ut, quam olim abominandam variorum errorum syndromen*

agnovit, jam novus, *ſcilicet,* Sacerdos, *neſcio quâ ſacra dote ſuperbiens, ita propugnet, ut tamen undique eluceat ſive animi nutantis verſatio, ſive cauſæ ruinoſæ fabrica. Quod novum propugnaculum è* Bellarminiana *tamen,* Valentiana *&* Becaniana *rapſodia ſtructum, ſatis numeroſis & neſcio cujus ſpiritus ſuſurro extruſis convitijs interſtinctum, ejus Numine adoriemur, cujus majeſtatem illi hac* MYSARIA *ſua adeò non venerantur, ut extremè laceſſant. Demonſtrabimus autem*

1. Nec ſacrificiorum in aliis, vel Iudæorum, vel Ethnicorum divini Numinis cultibus frequentiam,

2. Nec vel nomen, vel etymon, vel definitionem propoſitam,

3. Nec panis & vini à Melchiſedeco rege Salemitico factam prolationem,

4. Nec Danielis illud de jugi ſacrificio auferendo divinitus indictum vaticinium,

5. Nec Malachiæ oblationem mundam & nomen Iovæ glorioſè inter gentes extendendum,

6. Nec Sacratiſsimæ cœnæ, memoraturæ magnum noſtræ vindicationis pretium, inſtitutionem,

7. Nec devotam illam Apoſtolorum in actibus notatam liturgiam, miniſtrationem, jejunium,

8. Nec Apoſtolicarum epiſtolarum de altari & menſa indicia.

9. Nec quindecim ſeculorum, quem magnis illis & admirandis Eccleſiæ columinibus adſcribunt, ſenſum,

10. Nec munus illud inenarrabile inſtituendæ adverſus quotidianos lapſus propitiationis,

11. Nec Sanctorum memoriam, defunctorumq; è fictitiis purgatorij flammis aſſertionem,

12. Nec ceremoniarum rituumque numeroſorum illud, vel chaos ſuperſtitioſum, vel velamen ridiculum,

ea eſſe argumenta, quæ vel leviter ſaltem moveant hominem ſanæ Sanctæq; pietatis, ut credat talem, pro religioſo numinis

adorandi

adorandi cultu, suscipiendam esse MISSAM, *qualem describit* Herberus: *quem sub ingressum institutæ discußionis, miror* 1. *ita trajecisse & confudisse causæ suæ fundamenta, ut* primò *conjunctionem* Sacramenti, *Sacrificij & legis proponat, cui decimum demum tertium inter præsidia locum* Bellarminus, Gregorius de Valentia *penultimum, attribuunt*: deindè *definiat suam Missam*: Tertiò *iterum progrediatur in argumentis. In universum*, 2. *quod rationis est argumentum* (Bellarm. lib. 1. cap. 10. §. Venio nunc) *primò statuat, subordinet Scripturæ oracula. Quærimus tertiò non immeritò, cur interruperit argumentorum seriem, definitione Missæ? quam in ipsis argumentis servarit Methodum? an ab imbecillioribus ad firmiora, quòd* assertio 7. & 8. *negant; an contrà, quod non concedent Velitationis hujus Cardinales. Quia enim Methodum se servaturum promittit* Herberus, *meritò Methodi vestigia quærimus & indicia ex trajectione hac sibi non fidentis & parum constantis animi sublegimus. Sed hæc obiter! Esto ex Herberianis coacervatis*

CAP. I.

ASSERTIO I. *Longo perpetuoq; superiorum temporum usu edocti sumus, quod* Augustinus lib. 9. cont. Faust. *monuit, Nullum unquam populum, nisi sub eorundem visibilium sacrorum coadunatum participatione in unam religionem coalescere potuisse. Quare & Christus Dominus Dux & Legifer noster, qui nunquam saluti mortalium defuit, sicut sacramentis numero paucißimis, observatione facillimis, significatione rerúmque complexu præstantißimis*, Aug. Epist. 118. ad Januar. *ita unico illo & undiquaq; admirabili* Crucis *sacrificio omnes veterum victimarum differentias adimplens societatem Ecclesiæ ritè sancteq; colligavit. Hoc enim* UNICUM sacrificium, *promißionum Evangelicarum latitudo, electionis nostræ æternum sancitum, fidei confidentißima apprehensio, baptismi sanguine sacrificiali efficacis ablutio, sacræ cœnæ gloriosum epu-*

lum, salutisq́; nostræ cardo Unicè *tanquam meritorium propitiatoriumq́; respiciunt. Proinde visibile aliquod externum incruentum sacrificium ad stabiliendas religionis leges, firmandamq́; Rempub. non requiritur. Et MISSA, quam Pontificiorum describunt libri, tam non societatem Ecclesiæ colligat legibusq́; divinis devincit, ut consociationem etiam junctionemque cum DEO tollat.*

Argumentum Herberij.

EXEGESIS. *Argumentum* à sacrificij & legis conjunctione, *ita format* Herberus, In quacunque Republ. indissolubili nodo inter se devincta sunt, Lex, sacrificium, sacerdotium, illa est benè

§. 1. constituta. Respubl. Christiana est Resp. benè constituta. E. In Republ. Christiana sacrificium, sacerdotium & Lex conjuncta esse debent. Si conjuncta esse debent, Sacrificium oportet ut sit visibile. Si sacrificium debet esse visibile, nullum aliud quam MISSA esse potest. *Probat Majorem* 1. quia natura dictavit tum Adamo & successoribus, tum gentibus, sacrificandum. 2. quia Ep. ad Hebr. inquit, translato sacerdotio legem transmigaturam. Bellarminus l. 1. c. 20. *ita format*, Tanta conjunctio est inter legem seu religionem & sacrificium externum, ac propriè dictum, ut omninò necesse sit, aut legem & religionem verè & propriè in Ecclesia Christi non reperiri, aut sacrificium quoque externum & propriè dictum in Ecclesia Christi reperiri. Nullum autem est, si missam tollas. Est igitur MISSA sacrificium externum, *& proprium.*

Greg. de Valentia l. 1. de Missa c. 4. p. *698*. Ed. Paris. *ita format*.

§. 2. Quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, A QUO offeratur, QVID offeratur, PRO QVIBUS offeratur. MISSA est bonum & sanctum sacrificium sive ratione ejus CVI offertur, qui est pater æternus; sive ejus A QVO; principaliter, qui est ipse Christus, ministerialiter, qui est sacerdos; sive ejus QVOD; est iterum filius DEI; sive ejus PRO QVO; qui sunt fideles: & cujus gratia, gloriam DEO patri dare; quem finem per sacrificium esse consequendum, lex naturalis & judicium rationis, quod non aspernandum in materia cultus, suadeat. *Idem vult* Franc. Ribera comm. ad c. 10. Epist. ad Hebr. pag. *462*. Francisc. Feuardentius in Hom. *9*. Iob. p. 48. & plures alii.

§. 3. Respond. I. *hanc propositionem non esse universalem, quæ perpetuam conjunctionem legis & sacrificij requirit, statuit* Bellar. lib. 1. de

Miss.

Miss. c. 20. §. Propositio prima. FERE, *inquit*, omnis religio seu
vera seu falsa, omni loco & tempore semper ad cultum DEI sacri-
ficia adhibuit. *Si enim* FERE *omnis*, E. *non absolutè omnis*. †. 2. Lu- §. 4.
men & instinctum naturæ, *sive principia nobis ingenita, sive judicij*
naturalis discursum non esse fundamentum *& normam constituen-*
dorum cultuum sacrificialium, patet 1. quia *norma sive suprema ra-*
tio cultus divini, sive sacrificialis, sive sacramentalis pendet absolutè *à*
divina voluntate: quæ ordinat, quibus cultibus suam majestatem coli
velit. Ab eo enim absolutè *pendet sacrificialis cultus institutio, à quo*
pendet efficacia cultus & internum illud pondus, quo deficiente, sacrifi-
cium larvificium *est. At à sola voluntate divina pendet ista.* †. 2. Quia §. 5.
id est tantum norma, sive suprema ratio instituendorum sacrificiorum
verorum divinorumque, quod est norma ministerij in quo sacrificia vel
conficiuntur vel instituntur. At lumen & instinctus naturæ non est nor-
ma instituendi ministerium sacrificiale divinum. †3. Quia *apud nos* §. 6.
SOLIUS *est* revelatæ *divinitùs* scripturæ *constituere aut institutum*
explicare sacrificium. Est enim scripturæ, *esse* lucernam, *eámque du-*
bio procul non partialem, *sed* totalem, *semitæ salutis & consequenter*
mediorum salutis. Ps. 119. v. 105. *Est* scripturæ, scriptum *esse* in do-
ctrinam nostram, *ita scil. ut hac destituti doctrinâ, ad cœlum docti non*
simus; ut hac doctrina instituti plenam; *non* semiplenam *habeamus*
scientiam divinorum: Rom. 15. v. 4. *Est* scripturæ *hoc dotalitium, in*
ea manendum, non autem quadam tenus tantum, sed quà ea, quæ cultus
divini sunt. 2. Tim. 3. v. 16. †4. Quia *lumen naturæ est corruptum* §. 7.
ita, ut cultus constituendi principium esse nequeat, licet occasio & im-
pulsus quærendi sit, ut alibi docetur. †5. Quia *quæ ex lumine naturæ* §. 8.
prodeunt, illa eatenus sunt communia bonis & malis. Bellar. lib. 1. de
Missa, cap. 20. §. Propositio prima: *At sacrificia instituere, ex lumine*
naturæ, non est commune bonis & malis, sed bonorum est proprium, viti-
osa verò æmulatione ad malos pervenit. †6. Quia *quæ ex lumine natu-* §. 9.
ræ proveniunt, illa à DEO *probantur. At sacrificare communiter à* DEO
non probatur, sed in bonis gratum erat. Malorum verò ille actus, quia
non sacrificialis erat, sed laniatorius tantum, cum accessu superstitionis,
exosus fuit. †7. Quia *quidam sapientum Ethnicorum ad* DEUM, *tan-* §. 10.
quam inspiratorem ritus sacrificialis & omninò totius religiosi mysterij,
sacrificiorum sacrorumq; inventionem retulerunt. Plato in legum
append. chart. 968. Sacrificia antiqua & DEI cultum legislator in-
novare non debet: gnarus MORTALEM NATURAM NIL DE TALI-
BUS cognoscere posse. *Cavet certè* Plato epist. 2. ad Dion. chart. 977.

ne in vulgus sacra elabantur, non consona futura lumiui eorum nativo, sed absurda. Sacra doctrinarum mysteria videndum est ne ad homines ineruditos dilabantur. *Nam ut mihi videtur non sunt aliæ ferè magis ridiculæ apud vulgus quam istæ. Et, non acumini luminis insiti, sed credulitati humanæ naturæ, opinionem cœlestium* in Atlantico chart. 765. *adsignat Plato.* De Diis, *inquit,* sermonem facere apud homines, facilius est VIDERI, QVOD SATIS EST DICERE, quàm de mortalibus. Imperitia enim & ignorantia auditorum in his, in quibus ita affecti sunt, multam facilitatem exhibent ei, qui de ipsis dicturus est, Cœlestia & divina amplectimur, si vel PARVM CVM SIMILITVDINE ALIQVA VERI dicantur. *Vnde divinitus eligi sacerdotes statuit. Idem* de legib. dial 6. *Numa cum Dea Ægeria sibi arcanos esse congressus finxit, ejusq; monitu accepta Dijs immortalibus sacra instituere.* Valer. Max. l. 1. c. 2.

§. II. † 8. *Quidam sapientum è gentili schola non magni æstimarunt sacrificia, si non plane contempserunt. Notus est* Luciani *in Iovem aculeus. Certè Plato* in Alcib. secund. chart. 357. Dij, *inquit,* si ad sacrificia nostra respicerent & non ad animam, indignum esset. Nam si quis sanctus & justus sit, hoc multò magis respiciunt, quam ad sumptuosas has pompas & auratis carnibus tauros sacrificare, cum ipsi in DEOS & in homines peccarunt, ideò apud homines justitia & sapientia præcipuè in honore esse debent. *Porphyrius* de sacrificijs chart. 1394. sacrificantes DEO ipsi, *inquit,* qui in omnibus regnat, nihil materiale offeremus, nec convenit sermo vocalis, nec silentio puro, purisque de ipso intelligentijs ipsum ritè colemus. *Seneca* de Benefic. l. 1. p. 354. In victimis, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum honos non est, sed pia & recta voluntate venerantium. *Idem* Epist. 96. p. 781. Quomodo Dij sint colendi præcipi solet. Accendere aliquam lucernam Sabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi & foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officijs colitur. DEUM colit, qui novit. Vetemus lintea & strigiles Iovi ferre, & speculum tenere Iunoni. Non quærit ministros DEUS. Quidni? Ipse humano generi ministrat. Ubique & omnibus præsto est. Audiat licet. Quemadmodum se gerere in sacrificijs debeat, quam procul resilire à molestis superstitionibus. *Nunquam* satis profectum erit, nisi, qualem debet, DEUM mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est Dijs benefaciendi? natura.

Stobæũ serm. 45.

Errat,

Errat, si quis putat, illos nocere velle, non possunt, nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere etenim, lædique conjunctum est. Summa illa & pulcherrima omnium natura, quos periculo eximit, ne periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, Deos credere: Deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est, scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa, ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum, hi nec dant malum, nec habent. Cæterum castigant quosdam & coercent & irrogant pœnas & aliquando specie mali puniunt. VIS DEOS PROPITIARE, BONVS ESTO, SATIS ILLOS COLUIT, QVISQVIS IMITATVS EST. *Consentit, quod* Ep. 41. p. 594. *habet*. Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditus, ut nos ad aures simulachri quasi magis exaudiri possimus admittat: Prope à te DEUS est, tecum est, Intus est. Ita dico, Lucili. Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque observator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir, sine DEO, nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus exurgere? Ille dat consilia magnifica & erecta. In unoquoq; virorum bonorum, quis DEUS incertum est, habitat DEUS, &c. Hac de causa invehuntur in Senecam & Averroem, utrosque Cordubenses, Cajetan. 2.2.q.81.a.1, Henriq. l.9. de Missa c.11. n.2. l.k. Conqueritur de Apollonio Tyanæo Pythagorico Philosopho Tom. IX. Comm. tract. 28. p. 21. 8. Alf. Salmeron, quod externa sacrificia rejecerit, solam mentem & orationem Deo consecrandam statuerit. Adde è Justini Martyris lib. de Monarchia Dei p. 83. versus Philemonis, quos Clemens Alexandr. Stromat. 5. p. 616. sub Menandri nomine citat. Fr. Sylburg. ita vertit:

Si victimas quisque offerens. ô Pamphile,
Magnum boum numerum, aut capros, aut quodpiam,
Aliud pecus, preciosa vel donaria,
Aurove textum, purpurave pallium,
Vel è smaragdo signa facta vel ebore,
Placare tali se putat modo Deum,
Valde errat ille, mente deceptus levi,
Oportet esse quemlibet virum bonum,
Non virgines & Conjuges corrumpere,
Circumvenire, ob rem necare quampiam,
Aliena spectare, atque concupiscere

Possessio-

Possessionem, conjugem, lautam domum,
Equum, bovem, pecus, puellam, servulum,
Multis nihil sed est opus: Non expetes
Acus vel unum vile filum, Pamphile.
Nam te videt, qui præsto adest tibi, Deus,
Pietate gaudens, non iniquis actibus,
Et opes parare cuique permittens suas,
Terram diebus & colenti noctibus.
Iustis, Deo faciens sacrum, factis lita.

§. 12. †9. Quia *non opus est, illam sacrificiorum institutionem lumini naturæ attribuere. Ethnici enim & qui à vera Ecclesia desciverunt, imitatione eorum, quæ à* Patriarchis *ad venerationem supremi Numinis instituta viderunt, ad suas sacrificiorum ceremonias processerunt,* tum, *quia omnes è* Noacho *orti,* tum, *quia ex* Patriarcharum, vel *peregrinatione,* vel *conversatione,* vel *celebritate id hauserunt,* tum *quia fama templi & religionis in gente Israëlitica institutæ ad orbis etiam fluxit incolas.* Hinc vestigia etiam non obscura cultus Mosaici emicant in illis, licet myriadibus, superstitionum.

§. 13. An Patriarchæ instinctu naturæ sacrificarint?

II. *Falsum est,* Abelum, Cainum, Abrahamum, Noam, *&c.* primitivas humani generis stirpes per naturalem cognitionis Dei rationem eò permotos, ut se omnium creatori munerum oblatione gratos exhiberent. *Nam* † 1. Pererius *ipse docet* in Genes. c. 4. v. 2. num. 13. p. 233. potuisse Abelum cognovisse sibi sacrificandum, ex patre Adamo, qui id à DEO doctus itidem filios suos docuerat. *Consentit Capnio* in Cabala lib. 3. p. 620. *Ægydius de Coninck.* Societ.

§. 14. Es. in Tractat. de Sacrament. q. 83. art. 1. dub. 1. p. 299. *ait,* ad secundam respondent multi, in lege naturæ omnes primogenitos fuisse sacerdotes. Abel verò qui primogenitus non erat, EX PARTICVLARI DEI INSTINCTV & ORDINATIONE sacrificasse. Vide D. Hieron. in quæstionibus Hebr. *hæc ille.* Salmeron T. IX. tract. 28. p. 219. Efficiens causa sacrificij primaria DEUS est: quia enim sacrificia ex se sunt res mediæ atque indifferentes, scire non possumus, illas esse Deo gratas & per illas adhibitas Deum nobis esse placandum, nisi Deus ipse revelaverit, aut per scripturam, aut per concilia generalia & Ecclesiam, aut per Apostolum aut aliquem sanctum, approbante Ecclesia tacitè vel expresè. Henriq. Summ. Theol. p. 7. ideò probat, Christum ut Deum per authoritatem immediatè instituisse sacramenta, quia solus Deus est Salvator ut principalis causa gratiæ, qua impius justificatur. adde l. 9. c. 5. p. 502.

p.502. † 2. *Iohann. Viguerius Granatensis* in institut. Theolog. c.5. §. 15.
v.13.art.5,p.176. *confitetur*, omnes jure naturæ teneri ad sacrificium Deo offerendum, saltem interius. *Itaq; jus naturæ consideratum in statu destitutionis non ducit aliquem suo lumine ad sacrificium exterius.* † *Sacrificia non pertinebant ad legem, sed ad Evangelium*; §. 16.
igitur à lege non imperari aut urgeri potuerant. Igitur juris naturæ lumine non ducebantur homines ad sacrificandum; igitur nec Abel, *nec* successores *ejus lumini naturæ illustrationem ad sacrificia celebranda debuerunt. Evangelium enim est in sinu patris æternis temporibus tacitum, ex sinu patris à filio Dei revelatum. Errat enim* Bellarminus, *quando* lib.4.de justific. c.2.*asserit*, quod ad legem pertineat, quicquid in Mose & Prophetarum scriptis, ad Evangelium verò quicquid in N.T. scriptis continetur, *dum contendit nomen* Evangelij *nusquam aliter accipi, quàm pro doctrina in Evangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensa, cum Evangelij quasi genealogia jam inde à tristi illo radicis nostræ lapsu à sacra scriptura deducatur; confirmat hoc* Gen.3.15.12.v.2.15.v.6.22.v.18.26.v.4.28.v.14.49.v.10. Num.24.v.17.Deut.18.v.18.&19.Psal.2.8.22.45.68.89.110.Esa.7. 43.53.Ierem.23.33.Dan.9.Os.13.Mich.5.7.Hagg.2.Zach.9.13.Malach.1.3.4.*Confirmat hoc Iohannes Baptista* Ioh.1.v.29.*Christus* Ioh.8. v.56.Ioh.5.v.46.Luc.24.v.26.*Apostolica Synodus* c.15.Act.v.11.*Petrus* Act.4.v.12.Act.10.v.43.1.Pet.1.v.10.*Paulus* Rom.3.v.2.Hebr. 11.v.4.13.v.18.*Iohannes Ev.* Apoc.14.v.6. *Absurdum itaque pronunciatum est Polyd. Virgilij, internuntij dotiuq; pontificiæ in* Anglia collectoris & Walliæ Archidiaconi lib.4.de Rer.invent.c.1. *quod, qui ante Mosen piè sanctèq; vixerunt*, naturali quadam ratione ac mentis acumine, magnitudineque animi veritatem veramque pietatem consecuti essent. † 4. *Sacrificia illorum primi orbis sanctorum nullo nisi cœlesti igne comburebantur. Constitit ergò utiq; sacrificia, nisi cœlitùs accensa, grata Deo non esse, & ita sacrificia non esse, proinde ad sacrificiorum bene esse pertinere cœlitùs illapsam flammam. Vnde igitur sciebant cœlitùs accensum iri sacrificium, exinde etiam docebantur, offerendum esse. Atqui non ex lumine naturæ constitit, admirabilem illam plenamque numinis flammam exusturam hostiam; sed revelatio id docuit illius, qui flammam immisit. Certum igitur est, exinde quoque illos scivisse, sacrificandum esse.* §. 17.

An ad legem pertineat, quicquid in Mose & Prophetis?

† 5. *Sacrificia non fuissent facta in statu integritatis, ubi tamen lumen naturæ longè erat futurum illustrius. Licet hoc à* Photinianis *ad enervandum illud, quod ad confirmandam meriti satisfactionisque* §. 18.

An sacrificia in statu inte-

gritatis fuissent? *Christi necessitatem è sacrificiorum typis ducimus, argumentum, magno consensu doceatur*, tum *quia nullum est in sacra scriptura indicium:* tum *quia nulla evidens causa*: tum *quia Christus non venturus fuisset, si homines in statu integritatis permansissent.* Thomas part. 3. q. 1. artic. 3. Ea, *inquit*, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ nobis innotescere non possunt, NISI QUATENUS IN SACRA SCRIPTURA NOBIS TRADUNTUR, per quam
NB. divina voluntas nobis innotescit. (Franciscus Suarez *egregiè adulterat hunc locum* Tom. 3. Comm. in Thom. part. 3 q. 1. art. 3. &4. p. 117. *Verba sunt.* Quæ ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne debitum creaturæ, PER SOLAM REVELATIONEM INNOTESCUNT. Licet enim D. Thomas non PER REVELATIONEM sed PER SCRIPTURAM dicat, sensus tamen illius idem est. Nam sub scriptura comprehendit omnem revelationem, seu omnem regulam infallibilem fidei, sive sit scripta, sive non scripta traditio, aut Ecclesiæ definitio. *Hæc ille, cui contrarius est* Thomas de Vio Cardinalis *Cajetanus super* Thomæ locum. *An* Herberus *Thomæ locum sit concessurus, dubito*) unde cum in sacra scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis adsignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse à Deo, in remedium contra peccatum; itaque peccato non existente, incarnatio non fuisset. *Hæc Thomas; qui tamen* l. 3. sent. d. 1. q. 1. a. 3. *utramq; sententiam posse defendi ait. Bonaventura Cardinalis & Marsilius, ille* lib. 3. dist. 1. a. 2. q. 2. hic l. 3. dist. 1. art. 4. Concl. 2. *defendunt sententiam, incarnationis existentiam, si integritatis status permansisset, negantem. Contra quam tamen olim in Borussia Andr. Osiander pugnavit. Si igitur sacrificia non fuissent futura in statu integritatis, ubi tamen lumen naturæ clarius fulsit, non ex luminis nativi stimulo primi orbis sancti ad sacrificia processerunt. Videant an à* Photinianismi *favore liberari possint Gregorius de Valentia &* Bellarm. l. 1. de Missa c. 20. *qui legem & sacrificium, religionem & sacrificium adeò arctè colligant, ut hoc extincto, illa extingui dictent. Subsumo enim. At in statu innocentiæ fuit lex, religio, Deus, E. fuit sacrificium, quod* Photinianum. *Unde illi Sarmatici palli occasionaliter, non primaria Dei intentio, nemortuum*
§. 19. *Christum evincere volunt.* † 6. *Sacrificiis illis, quæ primi orbis sancti conficiebant, adjungebantur perpetuò de passione redemptioneq; Christi præstanda & fiducialiter complectēda, deq; aliis capitibus fidei conciones. Quod his manifestum est indiciis.* 1. *Cognoverunt semen contriturum*
Genes. 3. *caput serpentis: cognoverunt semen istud non esse purum hominem, sed Messiam;*

Meßiam; cognoverunt, illum humiliandum crucifigendumq́; atque ita mactandum pro redemptione generis humani & contritione capitis serpentini: nemo igitur negabit; quin intuitu rerum mirandarum futurarum sacrificarint, & sacrificia tanquam typos conspexerint immolationis illius magnæ & incomprehensibilis: atque ita concionati fuerint de mysteriorum magnitudine. Licet Bened. Pererius in Comm. in Gen. c. 3 p. 200. §. Proditum est, *statuat*, quoad allegoricum tantum sensum posse hîc per semen contriturum caput serpentis Christum intelligi, non veró per historicum & immediatum. *Imò* pag. 219. num. 146. §. Erudita, planè ad naturalem & physicam quandam antipathiam inter mulieres & serpentes *referat. Contra, quam Gregor. de Val: in* Anal. lib. 1. c. 15. p. 13. & lib. 8. pag 97. † 2. *Habuerunt cognitos maximos fidei articulos: de imagine divina: de peccato originali, per lapsum acquisito: de arbitrij captivitate: de Christi admiranda persona: de incarnatione: de reali communicatione donorum infinitorum & increatorum; de inanitione facta ob paßionem & mortem: de futura ad Dei dextram seßione; de vita æterna: de morte æterna. Dubium igitur nullum est, quin apud sacrificia meminerint ejusmodi mysteriorum sacrificiis repræsentatorum.* † 3. Abrahamus *speciale accepit promissum, ex se proditurum semen illud serpentini capitis antidotum & contritorium. Non dubitandum ergò, deprædicasse eum inter sacrificiorum solennia Dei inenarrabilia erga posteritatem suam beneficia. Vnde igitur sciverunt ejusmodi mysteria, de quibus inter sacrificia solennia concionati sunt, inde sciverunt etiam ipsa sacrificia. Quia sacrificia erant typi, non voluntariè & ex arbitrio ficti, sed divinitùs ordinati, ut non tantùm repræsentarent, sed repræsentativè, & sub prototypi conspectu expiarent. Expiationis autem media ordinare, solius Dei est.* Deus erat in Christo, *& consequenter in omnibus salutis ministris, licet in illo σωματικῶς* Col. 1. *in his πνευματικῶς* Ioh. 20. reconcilians sibi mundum per eum. † 7. Abel fide in Deum immotâ sacrificium suum obtulit. Heb. 11. v. 4. Abel per fidem majoris pretij sacrificium Deo obtulit, quam Cain, per quam testimonio fuit ornatus, quod esset justus, testimonium perhibente Deo de donis ejus. *Fides autem nititur revelatione. Hinc ita concluditur. Quicunque actus nititur revelatione, lumini naturæ non est adscribendus, At actus sacrificialis Abelis nisus erat revelatione. E. Quicquid testimonio divino confirmatur, illud etiam testimonio divino tanquam principio instituitur in divinis. Sacrificium Abelis testimonio divino fuit confirmatum.* Respexit enim Deus ad illud Gen. 4. v. 4.

§. 20.

§. 21.

§. 22.

Heb. 11. v. 4.

Respectus autem ille divinus, non erat tantum gratuitus favor Abeli exhibitus fideli; sed & testificatio divina, qua stabilitur, facta esse ea, quæ divino instituto consonant. El. Albergon. res. doctr. Scot. p. 70. Cum Deus nūquam sine medio cultores suos dimiserit, & deletio originalis culpæ fuerit semper necessaria, & ipsa originalis culpa in pœnis non posset per bonum motum intrinsecum deleri, oportet esse actum aliquem alicujus personæ ad ipsos parvulos relatum, per quem peccatum deleretur. At qui nobis non potest esse aliqua certitudo, quod aliquis actus deleat peccatum, nisi sit à Deo institutus, & nisi sit certitudo, quod Deus accepit talem actum &c.

§. 23. † 8. *Gregorius de Valentia* l. 1. de Missa, c. 2. §. Tertiò. Veri nominis sacrificium, *inquit*, patet latius, quam sacrificium divinitus institutum ac legitimum. Consistit enim ejus essentia in hoc, ut res aliqua externa divino numini ex instituto offeratur aliquo modo confecta & immutata. Quod opus etsi per se atque ex suo genere consideratum, malum non sit, sed potius aptum, ut, nisi quæ conditio vitiosa adjuncta fuerit, officium sit religionis: nondum tamen in ipsius ratione exprimitur, quod sit officium divinitus institutum, vel legi sive instituto religionis alicujus consonum, sed id TANQVAM ACCIDENS quoddam est. *Quæ Valentiani sententia etsi in schola Theologica ferenda non sit, cum aliquem actum religiosum divinitus non mandatum VERUM statuat; cum sacrificium VERUM asserat, quod nec legitimum est, nec divinitus institutum, hoc tamen nobis præbet axioma. Quodcunque sacrificium legitimum est, illud & divinitùs institutum. At, subsumo, sacrificia Abelis, & reliquorum primi*

§. 24. *orbis sanctorum, fuerunt legitima. E. fuerunt divinitus instituta.* † 9. *Si luminis naturæ tanta est vis, ut etiam non accedente voluntatis divinæ declaratione, & determinatione sacrificia institui possint, lumen naturæ integræ adeoq; gloriosæ ad sacrificia Deo exhibenda ducet stimulabitque. Rationem consequentiæ dat* Herberus Assert. 1. num. 3. Sicut autor naturæ Deus, *inquit*, per legem scriptam legem naturæ non abolevit, sed perfecit, ita in monte Sina per Mosen legem veterem promulgans, unaque certos sacrificandi ritus præscribens, legis naturæ institutum non repudiavit, sed expolivit & quasi dote quadam spirituali auxit, quoad verbum Incarnatum in plenitudine temporis per semetipsum legem novam, & cum lege nova, etiam novi Testamenti novam doceret oblationem. Christus communem naturæ ductum non pervertere, sed perficere, nec solvere, sed implere venerat, *addit idem* assert. 1. num. 4. Unde elicio,, lex naturæ per

ræ per ſubſequentium accedentiumque donorum claritatem non ejicitur, ſed elicitur & perficitur in hominibus. *Imò, addo ego, eſt imago & typus immotæ juſtitiæ divinæ: Ergo non deletum quoque illud eſt è lege naturæ, etiamſi glorioſa majeſtate illuſtretur, ſed potius confirmatum, ſacrificia eſſe exhibenda. Ergò ductu luminis naturæ in vita æterna ſacrificabimus quoque, quod ἄγραφον & ἄτοπον.* † 10. Cum ex- §. 25.
hibentur Deo ſacrificia juxta ejus inſpirationem atq; doctrinam, vera religio eſt. *Inquit ex Auguſt.* Ep. 49. ad Deograt. Presbyter. Herberus, aſſ. 1. §. 3. *Aut igitur dicendum eſt, ſacrificia Abelis & cæterorum primi orbis ſanctorum non fuiſſe veræ religionis opus, aut concedendum, Abelis & cæterorum ſacrificia ex lege inſtinctuq; naturæ non fuiſſe inſtituta, aut affirmandum, inſpirationem Dei & legem naturæ non eſſe diverſa.*

† 11. Conſiderandum eſt, *non eos ſolos actus ſacrificiales ante* §. 26.
legem Moſis promulgatam celebratos fuiſſe, quos deſcripſit Spiritus Sanctus; ſed credibile eſt, ordinarium quoddam ſacrificandi miniſterium etiam tum viguiſſe, quod ferè apud principem familiæ patriarchalis reſedit: actus autem hos annotatos tantùm fuiſſe, ideò, quia ſingulare quid circa illos acciderit. Vnde infertur: ſacrificiorum illam ordinariam fre-
quentationem nonniſi inſtinctu ductuque Dei *celebratam eſſe.* † . 12. *Non* §. 27.
licet extra & præter mandatum divinum conſtituere conſilia perfectionis ea, quæ Alphonſ. Salmeron Tom. 7. p. 97. *Bellarm.* l. 2. de Monach. c. 7. *& alij docent. Multò minus igitur licebit ex ſolius luminis naturalis ductu inſtituere ſacrificia. Quis igitur eam affricabit temeritatis notam Abeli & reliquis ſanctis ejusdem ordinis. Probatur antecedens, quia conſtitutio ejusmodi conſiliorum fingit* I. *In obſervatione legis juſtitiam & meritum vitæ æternæ quærendum: contra* Gal. 3. v. 21. II. *Legi divinæ non ſolum ſatisfieri poſſe, ſed majora præſtari, quam legis iſtius vaſtiſſimus comprehendit ambitus, contra* Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 33. III. *vires in mortali hoc corpuſculo tantas eſſe, quibus perfectio, lege requiſita, exhiberi Deo queat; contra* Phil. 3. v. 12. IV. *ad traditiones hominum deducit, in quibus conſummationem ſalutis ponit, contra* Matth. 15. v. 9. V. *plura acquiri poſſe merita jactat, quam norma juſtitiæ divinæ exactiſſima ab homine requirit, quæ in aliorum erogari ſubſidium queant,*
contra Pſal. 32. v. 6. *Sancti porrò illi juſtificatique primi orbis incolæ ſa-* §. 28.
crificarunt aut ex præſcripto Veteris Teſtamenti, aut Novi. Tertium enim non datur. Ratio conſeq. quia ſacrificialis cultus eſt conciliatorius; omnis autem conciliatio fit in & ſub aliquo Teſtamento, quia extra Teſtamentum Chriſti non eſt ſalus. Atqui ex hypoth. Pontif. non ſacrifica-

runt sub N.T. Ergò sub Veteri Testamento. E. non ex lumine naturali. Quicquid enim fit ex & sub Testamento divino, illud fit subordinatione divina.

§. 29. † 13. *Notamus, quod Thomas Aquinas* 2.2.q.2. art.7.*citante* And. Eudæmon-Iohanne *Iesuita* in defens. maligna Annalium Baronij l.1.c.3.pag.20.*inquit:* Post peccatum fuit explicitè creditum mysterium incarnationis Christi, non solum quantum ad incarnationem, sed etiam quantum ad passionem, & resurrectionem, quibus humanum genus à passione & morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi passionem & ante legem & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant. Minores autem sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea divinitùs esse disposita, de Christo venturo quodammodo velatam habebant cognitionem. *Vnde sacrificia illa legis naturæ tempore aut fuerunt divinitùs unà cum præfiguratione mysterij redemptionis ordinata, aut ex instinctu luminis naturalis ab hominibus instituta, à Deo verò accessoriâ præfiguratione dotata. Posterius, nec majestati divinæ sapientiæ consentit, nec sacræ scripturæ vi stabilitur. Constat igitur illud, sacrificia illa sub lege naturæ, ut ait Herberus, divinitùs unà cum præfiguratione mysterij redemptionis fuisse ordinata.*

§. 30. *An ex primis quibusdam credibilibus dependeat salus?*

† 14. *Consonum huic errori Iesuitico, quod contra doctiss.* Isaacum Casaubonum *profert* Andreas Eudæmon Iohan. Cretensis Ies. ex Thoma 22. a.7. ad 3. Si qui, *inquit,* salvati fuerunt, quibus revelatio facta non fuit, non fuerunt salvati absque fide mediatoris. Quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes, DEUM esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos & secundum quod aliquibus cognoscentibus spiritus revelaret. Nam omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur DEUM esse & providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud Heb. 11. Accedentes ad DEUM oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. In ESSE enim divino includuntur omnia, quæ credimus in DEO æternaliter existere: in quibus beatitudo nostra consistit. In fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à DEO dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via ad hominum beatitudinem. *Vnde sequitur. Quicunque primis credibilibus de essentia divinæ summa perfectitudine & providentiæ circa homines imprimis certitudine credit, ille, ex sent. Ies. habet fidem mediatoris implicitam & salvari ita po-*

Contra hanc sententiam disputat Lorinus Iesuita Comm. ad Act. cap. 2. v. 38.

ita poteſt. Illa prima autem credibilia ſunt luminis naturalis principia. Lumini itaque naturali, poſita aſſertione Ieſuitæ, debetur fides implicita mediatoris, ſalus, beatitudo. At Actor. 4. In ſolo nomine Ieſus ſalus eſt. *Si in nomine, ergò in notitia. Notitia igitur Ieſu fiducialis cauſa ſalutis eſt. Non igitur prima credibilia, de divino beatifico eſſe & providentia, cognita ſalutem procurant. Non igitur lumini naturæ debetur ſalus, nec ſacrificiorum ſalutiferorum inſtitutio.* Diſputat ita Ægid. Corrinc. de ſacr. q. 87. a. 1. dub. *1.* p. *297.* Nemo privata autoritate etiam ſecluſo jure omni poſitivo inſtituere ſacrificium poteſt. Ratio eſt, quia ſicuti quod verba hoc vel illud ſignificant, non pendet à privata alicujus voluntate, ſed ex communi multorũ ſenſu, ita quod hæc actio habet vim aliquid ſignificãdi, quod naturaliter non ſignificat, nõ pendet ex privata alicujus voluntate, ſed ex communi multorum ſenſu. Quare ad ſolam communitatem, aut ad eum, qui in ſacris eſt caput communitatis, ſpectat, ſacrificia inſtituere & maximè omnium ad ipſum Deum, cujus proprium eſt nobis præſcribere, quibus ritibus velit coli. † 15. *Ieſuitæ & ex illis Gregorius de Valentia* libr. 1. de Miſſ. cap. 4. pag. *699.* Naturæ noſtræ ratio dictat, *inquit*, convenire, ut quia animo & corpore præſtat, DEO corporis etiam præſtet obſequium, corpoream aliquam rem ad ipſius majeſtatem, tanquam autorem omnium, proteſtandam conficiendo. Certum eſt autem, animum noſtrum ad vitam æternam tranſlatum perfectiſſimum conſummatiſſimumque ſacrificium laudis, ad Majeſtatem Dei omnium autoris piorumque liberatoris proteſtandam oblaturum. *Aut igitur corpus noſtrum ad vitam æternam non transferetur, quod Photinianum, aut, ſi neceſſarium eſt, legisq; naturæ proprium, corpus noſtrum ſacrificij alicujus externi religionem in vita æterna habebit, quod abſurdum.* §. 31.

† 14. *Locus* Hebr. 7. v. 12. *nihil ad probandam neceſſariam illam legis & ſacrificij externi viſibilis permanentis conjunctionem facit. Nam 1. Scopus eſt Epiſtolæ* c. 7. *docere, non amplius leges Moſaicas ceremoniales Leviticas obligare, quia* ſacerdotium translatum eſt à tribu Levi ad tribum Iuda. Tranſlato autem ſacerdotio in aliam tribum, obligatio legalis quoque transfertur ad illam tribum. *Non urget autem Epiſtola continuationem ſacrificij in illo ſacerdotio viſibilem & externam. 2. De eo ſacerdotio loquitur epiſtola, cui nos principaliter, tanquam cauſæ ſalutis noſtræ, obligati ſumus. Ex vi oppoſitionis Paulinæ. At non Miſſatico ſacerdotio principaliter, tanquam cauſæ ſalutis noſtræ, obligati ſumus, ſed uni illi admirando Chriſti ſacerdotio in cruce exhibito,* §. 32. Hebr. 7. v. 12.

bito, cujus umbram dicunt Missam pontificij. Non igitur de permanenti aliquo externo visibili sacerdotio loquitur. 3. *De eo sacerdotio loquitur Epistola,* in quo est consumatio, *v.*11. *At in externo aliquo, visibili, permanēti sacerdotio nō est consummatio, quia iteratio est consummationis nō factæ indiciū; ut patet in Missa, in qua est nō consummatio, quæ in cruce facta & publicata est, sed consummationis repræsentatio. E. non loquitur de externo aliquo &c. sacerdotio.* 4. *De eo sacerdotio loquitur* Ep. ꝙ *propriè ad tribū Iudæ ex eaq; tribu unicū translatū est. v.* 14. *At novisibile aliquod sacerdotiū & reiterabile frequētibus sacrificialibus actibus ad tribū Iudæ ex eaq; tribu unicū translatum est: sed unicū & reiterationis expers ad unicum.* 5. *Illud sacerdotium, quod à tribu Levi ad Christum è tribu Iuda translatum est, exhibuit dubio procul Christus in ara crucis, aliàs sacrificium in ara crucis peractum nullius esset ordinis. Cogitandum jam relinquimus* Herbero, *an à sacerdotio Christi in ara crucis exhibito iterum facta sit translatio in sacerdotium Missaticum, vel potius, an immediatè ex sacerdotio Levitico translatio sit facta in sacerdotium Missaticum, (quia ex hypoth. Iesuitica sacerdotium Missaticum tempore prius est, quàm sacerdotium crucis) à sacerdotio Missatico deinde ad sacerdotium crucis; à sacerdotio crucis iterum ad sacerdotium missaticum, an verò ad sacerdotium crucis nulla sit facta translatio?*

6. *Ipsa lex translata docet qualitatem sacerdotij. Non enim hic lex forensis translata affirmatur, quæ antea erat in regia Iudæ tribu. Non lex Mosaica moralis, cujus custosquoque fuit, sed lex de observandis & præstandis sacrificijs externis & figurativorum rituum cultibus ita translata affirmatur, ut in sacrificium consummatius, Levitico succedaneum, observantia & veneratio transferatur. Hæc est lex fidei, quæ solum monstrat Iesum, sacrificium cruentum absolutissimum.* 7. *In eum sacerdotem translatum est sacerdotium Leviticum, qui est sacerdos juxta potentiam vitæ indissolubilis. v.* 17. *Talis non est missaticus sacerdos.* 8. *In eum translatum est sacerdotium à Levitico, qui non factus est juxta legem carnalis mandati, hoc est, figurativi, reiterandi, externi, permanentis sacrificij. Hæ enim sunt causæ, cur Leviticum sacerdotium* carnale institutum *epistola sancta nominet. v.* 17. *At sacerdos Missaticus, est sacerdos factus juxta legem carnalis mandati; quod ideò carnale est, quia ex humanæ rationis instinctu extra scripturam institutum est, & quia figurativum, reiterandum, externum, permanens est.* 9. *Rejicienda est igitur* Bellarmini *sententia* lib. qui 1. de Miss. c. 20. § Dices: cur ergò. Apostolus Hebr. 7. non dicit, *inquit,* translatum esse Leviticum sacerdotium ab Aarone in Christum, sed translatum esse sacerdotium Le-

um Leviticum in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod sacerdotium æternum esse, & in ecclesia perpetuò vigere debet: Unde postea, cum nominat Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non ipsum considerat, ut præcisè obtulit sacrificium crucis, sed ut per ministros suos perpetuò SEIPSUM sacrificat in Eucharistia: hoc enim solum modò habet perpetuum sacerdotium.

† 17. *Quod ait* Herberus, non prius fuisse alicui exhibitum sacrificium, quam pro Deo agnosceretur, nec pro Deo quempiam agnitum, quin ei continuò sacrificaretur, *quod colligi putat* ex Act. 14. v. 12. *ubi* cum vulgò innotuisset, Paulum esse Iovem, Barnabam Mercurium, illicò apparatus sacrificialis adornabatur, indeq; sacrificij perpetuam in religione sacra necessitatem colligit, *frivolum est. Nam* 1. *superstitiosa erat illa plebs, & ita fascinata, ut cæco impetu rueret ad culturam etiam cujusvis aliqua fama magni & innotescentis.* 2. *Non Deo præcisè & in suis idiomatibus considerato, sed huic Deo fictitio, Iovi, Mercurioq; sacrificare decrevit; quos non ex lumine naturali adorandos, sed ex gentium errore adoratos vidit.* 3. *Non monent sanctissimi illi Apostoli Lystrenses, ut rem & actum ipsum sacrificialem retineant, modum autem & objectum sacrificij corrigant, nec docent, quæ sit verorum sacrificiorum ratio; sed simpliciter conversionem à vanitate viarum illarum gentilium ad Deum vivum ejusq; vivum unicumq; sacrificium in cruce oblatum, in quo solo complacuit, Iesum annunciaverunt.* v. 15. 16. 4. *Sacrificia offerēda Deo Lystrenses ex patria superstitione hauserunt, fortaßis à majoribus instituta ex conspectu & zelo erga Iudæorum toto orbe celebres ritus.* §. 33. Actor. 14. v. 12.

† QUARTO, *Argumentum, quod* pro conjunctione sacerdotij, sacrificij & religionis, ex natura cultus Mosaici haurit Herberus, *nullius est ponderis. Nam* 1. *cultus Mosaicus non est norma divinitùs constituti Christiani cultus. Quia uterque pendet à liberrima voluntate divina; quam sacræ scripturæ uberrimum sacrarium declarat. Vtriusq; igitur norma est sacra scriptura.* 2. *Quamvis magna sit consensio & analogia inter utrumq; cultum, Mosaicum & Christianum, non tamen illa analogia est extendenda ultra terminos à scriptura præfinitos. Quia igitur scriptura analogiam in utriusq; cultus sacrificijs externis, permanentibus & iteratis actibus continuandis, non constituit, nec nos constituere præsumamus. Libera illa analogiarum excogitatio, terminos scripturæ prætersiliens, analogiam fidei non rarò violat.* † 3. *Implevit Christus cultus Mosaici leges, figuras, ceremonias: non missaticum sacrificium,* §. 34. §. 35.

ficium constituendo, quod est contra naturam impletionis veræ; sed præstando obedientiam legi morali absolutißimam, vita; satisfaciendo pro pœnis nobis infligendis, morte; consummando, quod tot figurarum umbris significatum. Quia CHRISTVS ipse ita in exinanitionis statu implevit legem, ut ipso exaltato maior impletio non desideretur. † 4. *Alia est igitur conditio legis moralis, alia ceremonialis. Hæc antiquata & abrogata est, illa impleta: ita tamen, ut immota persistat, quia justitiæ divinæ norma est.* † 5. *Falsum est*, sacrificium esse summum cultum, qui Deo tribui possit: *& proinde tam* Christianismi, *quam* Iudaismi *proprium. Adorabilitas enim est essentialis proprietas Dei: quæ proinde incommunicabilis est rei alicui extra Deum, quia fluit ex omnipotentiæ, omniscientiæ, immensitatis, omni bonitatis ratione. Adoratio autem est actus humanus, respondens adorabilitati, tanquam proprietati divinæ. Sacrificium autem est ritus aliquis & modus adorationis tantum, qui alius atque alius est & variatus. Illa igitur, quia immutabilis, necessaria est in omni cultu divino: hoc, quia variabile, divinæ voluntatis testimonium requirit. Non est igitur ferenda* Bellarmini lib. 1. de Miss. c. 21. pag. 334. §. Secundo Sacrificium *collectio, qua inquit;* sacrificium non esse superiorem cultum, qui Deo tribui possit, quia res præstant verbis. *An enim 1. res sunt nostri arbitrij, aut à nostra cooperatione? An 2. præstantia naturæ constituit rem & materiam cultus? Cur 3. non igitur potius homo, quàm animal irrationale, in Levitico cultu oblatus fuit, quia præstantior? Aut cur 4. non homo potius transsubstantiatur in corpus Christi, quàm panis, quia nobilior? Aut putátne 5.* Bellarminus *in adoratione, etiam qua nullum sacrificium adhibetur externum, tantùm verba esse? Forte 6. in Horarum canonicarum susurratione Papistica, in qua verba in extremitate labiorum generantur? Aliàs 7. verà in adoratione totus homo cum omnibus viribus à Christo & Spiritu S. excitatis offertur sacraturque Deo in cultum.* † 6. *Lex Christiana & nova, ut loquuntur Pontificij, planè sanctificat & perficit. Secus nova accessione opus est ad illius perfectionem. Cur igitur hostiæ in hac non desinunt? Cum Heb. 10. dicatur, si lex planè accedentes sanctificasset, hostiæ desijssent offerri.* † 7. *Si ideò, quia populus Christianus visibilis est & externus, visibili externoq; etiam sacrificio indiget, pro spiritu non solo, sed & carne: sequitur aut Christi sacrificium in cruce visibile non fuisse, aut Christi sacrificium non fuisse etiam pro carne. Si enim Christi sacrificium fuit visibile, quid opus est alio visibili, cum illud sufficiat. Si fuit pro carne, quid attinet aliud pro carne offerre. At prius vult* Bellarm. l. 1. de Miss. cap. 21. §. Tertiò causæ. *Vbi videtur innuere, dum inquit,* oporte-

re ut

re, ut adſit externum & viſibile ſacrificium præter ſacrificium
cruentum pro ſpiritu & carne ſimul, *Chriſti ſacrificium non fuiſſe
pro carne & ſpiritu ſimul, ſed pro ſolo ſpiritu: Si enim præter ſacrifici-
um Chriſti* cruentum, *quod vocant, aliud viſibile etiam pro carne & ſpi-
ritu requiritur, quod* incruentum, *non eſt pro carne & ſpiritu ſacrifi-
cium Chriſti in cruce, quod impium,* † 8. *Si ideò novo, viſibili, externo, in-* §. 40.
*cruentoq́; ſacrificio opus eſt, quia Chriſti mortem præſentem intueri non
poſſumus, ut vult* Bellarminus lib. 1. de Miſſ. c. 21. *ſequitur, etiam in-
carnationis, nativitatis, circumciſionis, reſurrectionis, aſcenſionis, ſeßio-
nis ad dextram Dei quaſdam publicas & ſolennes inſtituendas repræſen-
tationes, quia nec eaſdem præſentes intueri poſſumus.* † 9. *Si ideò, quia* §. 41.
*populus Hebræus externa quædam, permanentia, in oculos incurrentia
habebat ſacrificia, nobis quoq; ejusmodi habenda ſunt, ſequitur ideò quo-
que nobis ſignum in ſacramento initiationis imprimendum apparens,
externum, permanens, quia populo Hebræo per circumciſiionem tale
quid impreſſum eſt. Aut igitur laudandi illi, qui, ut* Seleuciani, Hermi-
ani, Iacobitæ, Indi, Æthiopes, Abyſſini, *igne crucis, ſtellæ aut aliam
formam baptiſandis impreſſerunt inuſſeruntq;. Vt docet* Philaſtrius de
hæreſibus cap. de Seleuc. Auguſtin. de hæreſ. cap. 59. Bernhardus
Lucemburg. *in Chron. Ann. 390. Aut circumciſio reducenda & reti-
nenda.* Hinc fortaſſis cōtra ſ. literas Cardd. Cuſanus & Cajetanus a-
junt, poſſe etiam Chriſtianos circumcidi. Rivet. Cathol. tr. 2. q. 26.
p. 500. Lorin. in Act. c. 13. v. 3. *Caveat ſibi* Herberus. *Præſertim, quia æ-
què baptiſmum actu tranſeunte videre non poſſumus, ac cruentum cru-
cis ſacrificium, cujus hanc ob cauſam memoriale* Bellarminus *deſiderat
externum.* † 10. *Si valet hæc ratio* Bellarmini, *quam habet* cap. 21. §. §. 42.
Quartò lib. 1. de Miſſ. Re ipſa retinent Chriſtiani omnia alia gene-
ra honoris & cultus, quibus Hebræi Deum colebant, nimirum ad-
orationem, invocationem, votorum nuncupationem, hymnos,
pſalmos, cantica, dies feſtos, jejunia, eleemoſynas & ſimilia. *Quis i-
gitur ſibi perſuaderi poßit, ſolum illud genus honoris, quod eſt proprium*
DEI, *nobis à* CHRISTO *prohibitum eſſe, cum omnia alia ſint permiſſa? ſi
inquam, ideò quoque cultus ſacrificialis externus eſt retinendus in Chri-
ſtianiſmo, quia re ipſa omnia alia genera cultus ſervata fuerunt, quæ u-
ſurpata in Iudaiſmo, ſequitur ex vi illationis Bellarminianæ,* REIPSA &
QVOAD SVBSTANTIAM *ſacrificia in N Teſtamenti cultu fuiſſe conti-
nuanda, quia re ipſa & quoad ſubſtantiam omnia alia cultus divini ge-
nera in Novo Teſt. reſervata ſunt. Qui Iudaiſmus Phariſaizanti aliàs
Papæ non ingratus forſitan eſt.*

§. 43. † II. Herberus num. *6.* assert. *1.* ita *inquit.* Humanæ naturæ ea
est conditio, ut, cum carne & spiritu constet, internum pariter ex-
ternumque cultum Deo creatori debeat. Cumque non spiritalia
tantum, sed corporalia quoque munera expetat, decet nos pro cor-
poralibus benefactis corporales etiam gratiarum actiones redhi-
bere. *Ex hac assertione supra aliquot absurda elicuimus. Et quia carna-
lis valdè est argumentatio, ulterius elixari potest. Si igitur externum a-
liquod missaticum sacrificium est necessarium, quia alias externus Deo
cultus nullus præstaretur: quia nullæ pro corporalibus beneficijs gratia-
rum actiones redhiberentur, sequitur* 1. *sacrificia illa spiritalia & meta-
phorica non esse etiam cultum aliquem externum: quod absurdum, cum
sicut corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem: sic corde
credatur, ore fiat confessio ad justum cultum.* 2. *Sacrificia illa spiritalia
non esse quoque carnis seu corporis nostri redhostimenta: quod irratio-
nale.* 3. *Sacrificia illa spiritalia non redhibere Deo gratiarum actiones pro
beneficijs corporalibus, quod contra sensum.* 4. *Sacrificij Missatici cul-
tum potissimum esse externum, cujus causa nimirum institutus est, quod
iterum malum missæ comma.*

§. 44. † QUINTO, *concedimus,* quà minorem discursus Herberiano-
Iesuitici, *in N. T. esse verum, reale, proprium, perenne sacrificium,*
CHRISTUM IN CRUCE OBLATUM, *cujus licet externus transierit a-
ctus, quia tamen* 1. *Deo omnia sunt præsentia, quia* 2. *intercessio sacerdo-
talis est indesinens, quia* 3. *justitia Christi non aliud requirit, quia* 4. *re-
liqua omnia sunt repræsentativa tantùm, hujus effectus & virtus peren-
nis est & indesinens. Hoc sacrificium si fides apprehenderit eâ fiduciâ,
quæ sibi illud totum pro justitia vendicat, pro remissione adsciscit, ita ap-
prehensum, vendicatum, adscitum, inter Deum irascentem peccato seq;
peccatorem ponat, legis fulmini, conscientiæ morsui, satanæ furori oppo-
nat: si compariturus in conspectu Dei Deo offerat animo complexum,
nihil aliud requirit* vel *naturæ stimulus,* vel *justitia divina,* vel *cultus*
§. 45. *Deo debitus,* vel *religionis perfectio.* † *At* Ægidius de Coninck, Grego-
rius de Valentia, Francisc. Suarez, Petrus Soto, & inprimis Bellar-
minus l. 1. de Miss. c. 20. *negant,* sacrificium Christi esse unicum &
verum Christianæ religionis sacrificium & ejusmodi, quod requi-
ritur ad religionem constituendam & conservandam, qualem in
terris usq; ad mundi consummationem esse Christus voluit, atque
adeò, si nullum aliud haberemus sacrificium, nos habituros NUL-
§. 46. LAM RELIGIONEM. *Impia omnia.* Nam † 1. Sacrificium Christi cru-
cis non est unicum Christianæ religionis & verum sacrificium,

ajente

ajente Bellarmino. *Sacrificium Christi crucis est unicum fuudamentum Christianæ religionis. E. unicum fundamentum Christianæ religionis non est unicum sacrificium Christianæ religionis.* † 2. *Sacrifisium Christi in cruce non est unicum sacrificium Christianæ religionis & verum: sacrificium Christi in cruce est sacrificium* N. *Testamenti.* E. *sacrificium* N. *Testamenti non est unicum & verum sacrificium Christianæ religionis.* Porrò, *cujus sacrificium non est sacrificium Christianæ religionis, illud ipsum non est testamentum Christianæ religionis. Quia sacrificium est infallibilis character testamenti sacri. At* N. *Testamenti sacrificium non est verum sacrificium Christianæ religionis.* E. *Novum* T. *non est Testamentum Christianæ religionis.* † 4. Sacrificium Chruti in cruce NON SUFFICIT ad constituendam & conservandam religionem Christianam, *ut vult Bellarm. Sacrificium Christi sufficit ad colligendam, constituendam, & conservandam Ecclesiam Christianam, quia Deus acquisivit Ecclesiam suo sanguine sacrificiali.* E. *quod sufficit ad colligendam, constituendam, & conservandam Christianam Ecclesiam, illud non sufficit ad religionem Christianam constituendam & conservandam. quod absurdum.* † 5. *Bellarminus loco cit. ita argumentatur.* Sacrificium crucis non est proprium Christianæ religionis, sed commune omnibus veris religionibus, quæ ab initio mundi fuerunt. Nam & in lege naturæ & in lege scripta omnia sacrificia in hoc unicum respiciebant, & hoc unum profitebantur, & quotquot justi fuerunt ab initio mundi, ob hujus sacrificij participationem justi fuerunt. Non igitur distinguitur Christiana religio ab antiquis per hoc sacrificium. *Hinc ita argumentamur. Quod sacrificium omnia alia sacrificia in lege naturæ & in lege scripta unum respiciebant & profitebantur, illud* NON EST PROPRIUM CHRISTIANÆ RELIGIONIS *sacrificium. At* subsumo, *sacrificium Missæ omnia alia sacrificia in lege naturæ & in lege scripta* unum *respiciebant & profitebantur ex* CONCIL. TRIDENT. *sessione 22. cap. 1. pag. 221. Edit. Duacens. Verba sunt.* Hæc (quæ in missa fit) illa munda oblatio est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum consummatio & perfectio complectitur. *Consentit* HERBERUS *assert. 1. num. 4.* Ut lex, *inquit,* Evangelica successit Mosaicæ, teste Augustino, sic eodem duce ac doctore rectè dixerim, sacrificium Evangelicum corporis & sanguinis Iesu Christi omnibus antiquæ legis sacrificijs, quasi corpus umbris, veritatem figuris non successisse modò, sed multis etiam modis antecellere. E. *Sacrifici-*

§. 47.

§. 48. *An sacrificiũ crucis sit insufficiens ad Christianam religionẽ constituendam?*

§. 49. *An sacrificium crucis sit proprium Christianæ religionis?*

um Missæ non est proprium Christianæ religionis. E. nulla est religio Christiana, quod est Iesuiticum.

§. 50. † 6. *Quicquid respexerunt omnes aliæ religiones antiquæ & veræ sub lege naturæ & scripturæ, illud non est proprium Christianæ religionis, ex hypoth. Bellarm. Atqui ipsam Christianam religionem omnes aliæ antiquæ veræq; religiones sub lege naturæ & scripta respexerunt. Quia tanquam typicæ & figuris suis illustres, antitypi & illustrationis statum & tempus respiciebant: quæ est Christiana religio. E. ipsa Christiana*

§. 51. *religio non esset Christiana religio propriè. † 7. Inverto igitur argumentum Bellar. Cujuscunq; intuitu & participatione justi fuerunt, quicunq; justi fuerunt ab exordio mundi, illud est proprium Christianæ religionis. Ratio. Intuiti illud sunt justificandi, tanquam venturum & futurum. Aut igitur tanquam futurum sub* CHRISTIANA *religione, aut sub* JUDAICA, *aut sub* ALIA. *Non sub* JUDAICA *vel* ALIA, *quia Iudaica religio* 1. *non intuebatur aliquid in se ipsa, quo justificaret, sed extra se,* 2. *quia, quod à justificandis respiciebatur sub Iudaica religione constitutis, illud ita respiciebatur, tanquam aliquid, in quo Iudaica religio terminanda esset. E. tanquam futurum sub Christiana religione. At sacrificij Christi intuitu & participatione justi fuerunt ab exordio mundi, quicunque justi fuerunt. E. Sacrificium Christi est proprium Christia-*

§. 52. *næ religionis.* † 8. *Cujus religionis est consummatio & perfectio, ejus religionis est consummans & perficiens, ex natura rerum sese mutuò respicientium. At religionis Christianæ propria est consummatio & perfectio eorum, quæ typis figurisq; præsentabantur & adumbrabantur. E. religionis Christianæ proprium est consummans & perficiens. E. Religionis*

§. 53. *Christianæ proprium est sacrificium Christi in cruce peractum † 9. Omne sacrificium est cultus religioni annexus, ut fatetur nobiscum tota Romanensium cohors. Aut igitur sacrificium Christi in cruce erit alicui religioni annexum, aut planè non erit sacrificium. At ex hypothesi Bellarmini* NULLI RELIGIONI EST ANNEXUM, *sed est commune omnibus veris religionibus. Ergo non erit sacrificium: quod absurdum & blasphemum.*

§. 54. † 10. *Bellarminus hanc habet hypothesin.* Quicquid desiit esse, nec mansit nisi per effectum & virtutem, id non est sacrificium religionis proprium. *Subsumo. Omnis actus missæ desinit, transit, nec manet, nisi per effectum & virtutem. E. Nullus actus Missaticus est sacrificium religionis proprium. Dicis,* REITERARI. *Non reiteratur tamen respectu illius effectus individui & virtutis individuæ; sed potius transit, desinit, & manet tantum respectu effectus & virtutis.* † 11. *Bellarmini*

An sacrificium crucis sit religioni veræ proprium?

hæc est hypothesis. Quicquid nunquam fuit tempore Christianæ religionis, illud non est sacrificium Christianæ religionis. *E. è converso,* Quodcunque sacrificium fuit tempore Christianæ religionis, illud est sacrificium Christianæ religionis. *Atqui sacrificium Christi in cruce fuit tempore Christianæ religionis. E. Sacrificium Christi in cruce est sacrificium Christianæ religionis. Probo. Id fuit tempore Christianæ religionis, quod fuit tempore N. Testamenti, ex sent. Papist. tempore baptismi, atque adeò à typis remotæ Evangelij prædicationis. At Sacrificium crucis Christi,* fuit *tempore* N.T. quia *calix N. T. jam ante fuit dispensatus ; fuit tempore baptismi, quia Christus jam ante erat baptizatus* ; fuit *tempore prædicationis à typis remotæ* ; quia *Christus clarißimè se præsentem stitit populo Israelis, tanquam redemptor certißimus.* † 12. *Vnde ita quoque concludo. Quicquid non fuit tempore Christianæ religionis, illud non est sacrificium Christianæ religionis: ait Bellarm. Atqui Missa, quam juxta Iesuitas etiam Christus dicitur celebrasse in prima cœna ante mortis subitum certamen, non fuit tempore Christianæ religionis; Rationem dat Bellarminus,* quia Christiana religio demum post Christi mortem cœpit. *E. Missa illa non fuit Christianæ religionis proprium sacrificium, quod est contra Bellarminum. Erit igitur sacrificium illius Missæ, aut proprium Iudaicæ religionis, aut commune omnibus veris religionibus, ut de sacrificio crucis Christi loquitur Bellarminus; quod absurdum. Missam autem primam natura imitantur reliquæ.* † 13. *Bellarmini hypothesis est.* Ad quodcunque sacrificium celebrandum & frequentandum homines illius religionis convenire non possunt, illud non est proprium religionis sacrificium. *E. è converso.* Ad quodcunque sacrificium celebrandum & frequentandum homines illius religionis convenire possunt, illud est proprium illius religionis sacrificium & proinde aliud extra non requirit. *Atqui, subsumo, ad sacrificium crucis Christi celebrandum & frequentandum homines illius religionis Christianæ convenire possunt: E. sacrificium crucis Christi est verum religionis Christianæ sacrificium. Proba min. Quia* tùm *in prædicando celebratur & quasi in auribus hominum reiteratur,* tùm *fide frequentatur, & quasi ad id convenitur,* tùm *in baptismate & cœna aditur. Adeo ut per verbum ὁρατὸν & ἀκυστὸν in sensus & per eosdem in animum illabatur. Certum enim est, quod sacrificium corporis & sanguinis Christi in cruce tum suspensi tum effusi, his medijs accuratius hominum animis sistatur & per sensus infundatur, quam alijs humanitus confictis gesticulationibus.* † 14. Ad quodcunque sacrificium celebrandum & frequentandum homines illius religionis accedere non possunt, illud non verum sacrificium.

§. 55. *An sacrificium crucis non fuerit tempore Christianæ religionis?*

§. 56.

§. 57. *Ad ad sacrificium crucis celebrandũ homines convenire nequeat?*

§. 58.

Hypothesis est Bellarmini. Subsumo. Atqui ad sacrificium Missæ 1. non omnes homines, pro quibus illud celebratur & proinde qui sunt illius religionis convenire possunt. 2. homines religionis Christianæ illud eo modo, quo Bellarminus cupit, peragere & frequentare nequeunt. Nam 1. pro defunctis celebratur sacrificium Missæ. Illi autem ad celebrandum convenire nequeunt. 2. quia illud sacrificium, quod peragere & frequentare debent homines Christianæ religionis, debet esse externum & visibile. Debet enim ex mente Bellarmini alio aliquo modo, esse externũ & visibile, quam sacrificium crucis Christi est externum & visibile sensileq́; hodiè. Sive enim DEI ACTIONEM *respiciamus, æquè,* imò magis, *sentimus hodie sacrificium crucis, quàm Missæ. Est enim actio illa clarißima & maximè exhibitiva sacrificij crucis, quando verbo divino, quovis gladio penetrantiori, resonat in fidelium cœtu: vel quando in baptismate fit ablutio per sanguinem Christi. In missa verò levi murmure suspenduntur auditores;* RITUS VERO, QUI INSTITUUNTUR, POSSUNT QUIDVIS ALIUD DENOTARE, QUAM SACRIFICIUM : *tantum abest, ut illud ex necesßitate quadam oculis subjiciant. Si verò rem oblatam; æquè sub involucro accidentium offertur sacrificium Missæ, quam crucis hodie nobis in Ecclesia per verbum & sacramenta offertur sacrificium.*

§. 59. † 15. *Assert. 1. num. 5. Objectionem quandam ponit Herberus. Verba sunt.* Dices, S. Scriptura sic vetera sacrificia prænunciat antiquanda, ut nullam fecerit visibilis alterius, in eorum locum subrogandi, mentionem. E. sufficiunt in N. lege spiritalia sacrificia. Respondeo, non sequi. *Hucusq; ille. Gratias nos agimus Herbero, quod antecedens non neget, sed tantum consequentiam, seu rationem connexionis antecedentis & consequentis, impugnet. Statuimus autem, invictum esse antecedens. Si enim scriptura* sic antiquanda *prænuntiat sacrificia vetera, ut* nullam *fecerit visibilis alicujus sacrificij subrogandi mentionem, necessariò præter spiritalia sacrificia nullum erit aliud. Impugnet hanc consequentiam si potest, aut ad antecedens respondeat.*

§. 60. † 16. *Bellarminus l. 4. de V. D. c. 8. p. 76. §. Accedat Catholicæ,*
NB. *inquit:* Ut olim Iudæi excellebant omnibus nationibus, quia cre-
NB. dita illis erant eloquia DEI, ita nunc præstat Ecclesia Christi omnibus sectis, quod ipsa sola, quippe quæ sponsa Christi est, noverit omnia mysteria veræ religionis & conscia sit secretorum sponsi. At si omnia essent scripta apertissimè, nullum esset privilegium Ecclesiæ. Nam nihil minus scirent Hæretici, & Pagani & Iudæi de mysterijs fidei nostræ, quàm nos ipsi, atque antistites nostri sciunt. *Vbi talis latet hypothesis. Nullum mysterium fidei Christianæ singulare*

ita de-

ita debet ſcriptum eſſe in Eccleſia, ut illud ſcire poßint Hæretici, Iudæi, Pagani; ne Eccleſia amittat ſuum privilegium. Atqui ſacrificium Miſſæ ita hactenus in Eccleſia Pontificia fuit ſcriptum pictumq́;, ut illud ſcire potuerint, imò ſciant Hæretici, Pagani, Iudæi: Vt manifeſtum eſt. E. Sacrificium Miſſæ non eſt myſterium fidei Chriſtianæ ſingulare. †.17. §. 61.
Bellarminus lib. cit. §. Accedat poſtremò, MISSAM SOLIS TRADITIONIBVS NITI ait, *dum inquit*: Accedat poſtremò dignitas myſteriorum multorum quæ ſilentium requirunt, nec decet, ut in ſcripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda myſteria miſſæ non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem ſcripta tradere. *Hypotheſis Bellarmini eſt.* Cujuſcunque myſterij dignitas vetat, ut toti mundo explicetur, illud ſolarum traditionum ſilentio involvendum fuit, atque divinitus involutum eſt. *At, ipſe videtur ſubſumere, Myſterij miſſatici dignitas vetat, ut toti mundo explicetur. Bellarm. teſte. E. Myſterij miſſatici ratio ſolarum traditionum non ſcriptarum ſilentio involvenda fuit, atq́;, Bellarmino volente, divinitus involutum eſt. Cur ergò Herberus & alij ex ſcripturis illud demonſtrant? Placetne etiam Herbero, quod Ioan. Maledonatus Ieſuita in c.16. Ioh: v.16. p.1050. inquit*: Cedò iſtam doctrinam certè veriſſimam, in Chriſto unam tantum eſſe perſonam, duas naturas, ubi nam Apoſtoli aut viva voce aut ſcripto apertè tradiderunt? *Adeò ut etiam citra controverſiam magnum pietatis myſteriũ, Deum manifeſtatum in carne, inter traditiones cèſeat.*

Miſſa ſolis traditionibus nititur.

Doctrina de perſona Chriſti non apertè in S. L. tradita, juxta Maldon.

† *SEXTO. Quod poriſmatis loco num.7. ponitur,* per ſacrificium Miſſæ nihil divino honori, nihil Chriſto D. N. & cruenti ſacrificij à Chriſto in cruce patrati ſufficientiæ precioq; infinito derogari, quin utrunque promoveri plurimùm: quia per ſacrificium Miſſæ, tanquam perfectiſſimum actum Chriſtianæ religionis, Deum Dominum honoramus & quia, ut ſalvo cruenti ſacrificij precio per baptiſmum, ſacramenta, eleemoſynas, pœnitentiam, orationes, adeoq́ue ipſam fidem fructus ſanguinis Chriſti in ara crucis effuſi nobis efficaciter applicatur, ſic per incruentum miſſæ ſacrificium meritorum Chriſti theſaurus in nos transfertur: *effugium eſt non ſatis tutum, non ſatis pium.* † *Nam 1. negamus*, miſſæ ſacrificium eſſe perfectiſſimum actum Chriſtianæ religionis, *quia eſt peßimus actus ſuperſtitionis, ut patebit, 2. baptiſmus, ſacramenta & in pœnitentiâ fides & ex fide oratio ſunt* TUM MANUS DEI, *quibus ille ſua nobis diſpenſat dona, atque adeò conſtant ex ordinatione divina*: TUM MANUS NOSTRÆ, *à Spiritu Sancto datæ, quibus accipimus dona virtutis ſummæ.*

§. 62.

§. 63. *An Miſſa nihil detrahat honori Chriſti, dignitati-*

q, sacramentorū? Missam verò Pontificiam nescit ordinatio divina: & missa nec manus
Dei est, nec hominis. 3. Falsum est, per eleemosynas fructum sanguinis
Christi in ara crucis effusi nobis efficaciter applicari, ut alibi docetur. 4.
Derogari verò divino honori & sacrificio Christi in ara crucis oblato per
§. 64. Missam, sequentia monstrabunt. 1. † Illa nova atque iterata oblatio aut
Applicatio missatica evertitur. addit aliquid virtuti & merito parto per crucis sacrificium à Christo
peractum, aut nihil addit. Si nihil addit, planè est frustraneum. Si addit; ergo Sacrificium Christi in ara crucis exhibitum non fuit infinitæ
virtutis, efficaciæ immensæ, meriti summi. Ergò sacrificium Missæ dero-
§. 65. gat perfectioni sacrificij Christi in cruce præstiti. † 2. Applicatio illa
meritorum Christi fit vel ante consecrationem, vel in consecratione, vel
post consecrationem. Non ante consecrationem: quia tum nondum
est sacrificium. Non in consecratione: quia illa actio circa immutanda tantum elementa est occupata & adducendum Christum. Non post
consecrationem: quia id, quod est post consecrationem, non facit ad essentiam sacrificij Missæ. Ipsâ verò Missâ precisè & ratione sui dicitur
applicari passio & mors Christi. E. Missa non applicat thesaurum meri-
§. 66. torum Christi. †. 3. Applicatio illa meritorum Christi in Missa fit aut
ACTU ipso oblationis, aut INTENTIONE de actu offerentis. Non actu ipso, quia ille per se est indeterminatus & illimitatus. E. intentione offerentis de actu Missæ. E. non ipsa Missa applicat thesaurum meritorum
§. 67. Christi. † 4. Si Missa applicat thesaurum meritorum Christi illud fit
aut per imputationem, aut per realem aliquam mutationem in eo,
cui debet fieri applicatio. Non per imputationem. Quod probo ijs argumentis, quibus utitur Bellarminus in neganda imputativa Iustitia. E. per
realem aliquam mutationem in eo, cui debet fieri applicatio, quod est
absurdum: Cum nec corporali nec virtuali contactu contingat eum: nisi
fortè per modum objecti, qui tamen est contra applicationem.

§. 68. † 5. Certum est, Modum in oblatione crucis illum cruentum &
sanguineum infinitæ fuisse virtutis & efficaciæ, imò ad sacrificium in
cruce necessariò pertinere. Aut igitur modus quoque sacrificij Missatici
est virtutis & efficaciæ infinitæ, aut finitæ tantum virtutis, aut nullius.
Non concedent Pontificij esse nullius. Ergò vel infinitæ vel finitæ. Ergò
§. 69. arguit imperfectionem sacrificij crucis. † 6. Applicatio illa meritorum
thesauri, qui est in sacrificio crucis, aut est ex virtute & merito thesauri, qui est in sacrificio Christi, aut ex virtute, quæ est in sacrificio Missæ.
Nam tertium non datur. Necessarium autem est, ut illa applicatio suam virtutem ex aliquo sacrificio habeat virtutis summæ. Quia sacramentalis applicatio est ex sola virtute sacrificij crucis Christi. Et fides,
quæ

quæ applicat sibi fiducialiter misericordiam Patris, justitiam Christi, promißiones Evangelij, illa applicationis illius virtutem omnem ex merito Christi in cruce habet. Si applicatio meritorum thesauri in cruce Christi parati fit ex virtute & merito thesauri ipsius crucis sacrificij, supervacaneus est actus missaticus sacrificialis applicatorius. Ergò applicatio meritorum Christi fit sacrificij missæ singulari virtute. Ergò non omnis virtus pendet & fluit ex merito sacrificij Christi. † 7. *Si non eo modo generali sacrificium Missæ applicat thesaurum meritorum Christi, quo modo baptismus, sacramenta, fides, sequitur sacrificium Missæ esse injurium gloriæ Christi. Ratio conseq.* Herberus probare vult, sacrificium Missæ nil derogare sacrificio crucis, quia nec sacramenta, &c. applicando derogant, *ergò vi consequentiæ Herberi necesse est modo generali applicationis sacrificij Christi convenire missam cum illis. Et si non convenit, esse injuriam. At non est idem modus generalis applicationis Missæ & aliorum ab Herbero allatorum. Cum baptismus & sacramenta à Deo datam æternæ vitæ gratiam applicent hominibus. Missa verò gratiam à Deo datam Deo offerat.* Eò enim contendit applicationis actus, quò oblationis. Si igitur oblatio est sursum, applicatio quoque fit sursum; si oblatio est deorsum, applicatio quoq; fit deorsum. *Quando Deus offert hominibus, applicat ijs quoque. Quando homo offert Deo, applicat Deo, &c. Si igitur infinitum illum gratiæ thesaurum Christum offert Deo sacrifex, non applicat eatenus illum hominibus, sed necesse est alia actione fiat applicatio: ad quam oblatione Missatica commovere intendit Deum. Patet ergò, eundem generalem modum applicationis in sacramentis & sacrificio Missæ non esse. Esse igitur hoc injurium Christo.* † 8. *Statuunt Iesuitæ,* sacrificium, quod vocant incruentum, infinitæ dignitatis etiam ante sacrificium cruentum fuisse ita, ut Christus eo potuerit genus humanum redimere. *Gregor. de Valentia l. 1. de Miss. c. 4. p. 683. lit. C. ait,* Etsi enim sacrificio cœnæ incruento, cum infinitæ dignitatis fuerit, potuerit Christus humanum genus redimere, quia tamen ad eum effectum illud non ordinavit, necesse fuit, ipsum secundum consilium suum atq; æterni etiam patris voluntatem, in cruce demum integrum pretium solvere nostræ redemptionis. *Igitur, cuicunque tribuitur* INFINITA DIGNITAS *meritoria præter dignitatem meritoriam crucis sacrificij ejusque obœdientiæ, quæ patri usq; ad mortem præstita, illi tribuitur singularis aliqua & separata virtus à merito Christi, quæ in meritum Christi est injuria. At sacrificio Missæ tribuitur talis aliqua infinita meritoria dignitas, qua sola potuisset humanum genus redimi, non*

Quod iterum derogat majestati sacrificij Christi.

§. 70.

§. 71.

An sacrificium Missæ ante crucis fuerit infinitæ dignitatis.

accedente merito Christi. E.*Sacrificium* MISSÆ *est injurium in meritum Christi.* † 9. *Statuunt inter Pontificios quidam*, sacrificium Missæ ideò non esse injurium sacrificio crucis, quia Christus ipse est primarius sacerdos. *Quicunque igitur contrarium statuit & negat Christum esse primarium sacerdotem in sacrificio Missæ, est injurius sacrificio crucis. At sunt quidam Pontificij, qui negant Christum esse primarium sacerdotem in sacrificio Missæ, aut seipsum offerre Deo patri. Inter reliquos Ioh. Viguerius Granatensis in Instit. Theolog. pag. 448. ait*, Eadem est hostia, quam offert Sacerdos (in Missa) & quæ in ara crucis, sed illa cruenta, quia Christus ibi mortuus est. Hæc verò incruenta, quia idem Christus immortalis in memoriam illius oblationis offertur à nobis. Et non seipsum offert, nec apparet vultui Dei pro nobis, seipsum iterum offerendo: sed ejus oblatio sive propitiatio per hoc sacramentum nobis applicatur.

§. 72. *An Christus in Missa primarius sacerdos?*

§. 73. † 10. *Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 28. §. Respondeo, nullus, ait*, Christus non solum est Sacerdos, sed etiam unicus & æternus magister noster. Imò etiam ad sacerdotium pertinet docere, & tamen, quia Christus non docet nunc per se humano more & visibiliter, ut hominum natura requirit, non repugnat unitati & æternitati magisterij ipsius, ut sint multi homines, qui dicantur doctores & magistri. Eodem igitur modo, quia Christus non sacrificat nunc per se visibiliter & humano more in terris, non repugnat unitati & sacerdotij ejus æternitati, ut habeat in terris sacerdotes ministros & vicarios, per quos id faciat. *Ex quibus Bellarmini verbis pro defensione sacrificij missatici allatis* DUPLEX *injuria in crucis Christi sacrificium committitur.*

Confundis officiũ sacerdotale & propheticũ.

§. 74. † NAM I. *Si ideo sacrificium Missæ sacrificium crucis non violat, quia ministerium Evangelij magisterium Christi non violat, sequitur* 1. *sacrifices Missæ esse ministros sacrificij crucis, & ita Iudæorum coadjutores. Ratio, quia se sic habere sacerdotes Missæ ad sacerdotem crucis ait, Bellarm. ut ministerium ad magisterium: atq. ita sacrificuli Missatici sunt Iudæorum adjutores. Sequitur* 2 *quod, quemadmodum ministerium Evangelij magisterium salutis Christi non impedit, ita satisfactio Christi pro peccatis totius mundi non impediat satisfactionem pro ijsdem alterius alicujus suppositi. Consequentia nititur collectione Bellarmini. At posterius est injurium in sacrificium crucis Christi: Ergò & prius, nempe præter sacerdotium crucis aliud sacerdotium Missæ instituere.*

§. 75. † NAM II. *Si ideò sacrificium crucis non impeditur aut violatur à sacrificio Missæ, quia magisterium Christi non violatur à ministerio Evangelij, sequitur quod, quemadmodum ideò non violatur*

violatur à miniſterio Evang. Magiſterium Evangelicum Chriſti, quia idem ſubſtantiâ & definitione verbum utrinque ſonat; ita quoque ideò non violetur ſacerdotium crucis à ſacerdotio Miſſæ, quia IDEM SUBSTANTIA ET DEFINITIONE SACRIFICIUM *utrinque conſtat. At hoc eſt abſurdum & injurium in ſacrificium crucis, hodie etiam iterari, & ſacrificium Miſſæ eſſet cruentum.* † 11. *Bellarm. cit. loco ait,* Non poteſt quis alia ratione dici ſacerdos in æternum, niſi per miniſtros ſacrificet, quandoquidem certum eſt, eum per ſe propriè non ſacrificare. *Inde concluditur: ſi Chriſtus ſecundum aliam rationem ſacerdos in æternum dici nequit, niſi per Miſſifabros ſacrificet, ſequitur* 1. *quod ſacrificium Miſſæ ſit continuatio ſacrificij crucis, & ita ſacrificium crucis ſine ſacrificio Miſſæ eſſe imperfectum. Ratio conſeq. Nam quæ unica eſt ratio ſacerdotalis æternitatis, unica eſt perfectio ſacrificij Chriſti in cruce. At conſequens eſt injurium ſacrificio crucis.* 2. *quod Chriſtus per ſacrificium crucis non ſit ſacerdos in æternum: quod iterum eſt injurium in ſacrificium crucis. Ratio conſeq. eſt, quia cap. 20. l. 1. de Miſſa docuit Bellarm.* ſacrificium & ſacerdotium Chriſti à ſacrificio & ſacerdotio Miſſæ eſſe diverſi ordinis, illud enim eſt religionibus omnibus commune, hoc eſt proprium Chriſtianæ religionis, illud nunquam fuit tempore Chriſtianæ religionis, hoc fuit, hoc eſt cultus à Deo præceptus pertinens ad latriam, illud non: hoc eſt ritus, illud eſt veritas. §. 76.

† 12. *Videntur in gloria ſacerdotij Chriſti evertendâ cum novis* PHOTINIANIS *conſpirare. Catech. Ra. p. 329. & Chriſtoph. Oſtorrod. p. 315. negant,* Chriſtum fuiſſe ſacerdotem, antequam ingreſſus eſſet cœlum. *Schmalcius in Refutat. Theſ. D. Franzij pag. 144. ait,* Chriſtum non prius factum pontificem, quàm in cœlum aſcenderet, tam eſt certum, ut nemo hodie illud negare queat, niſi bonam partem ſacrarum literarum negare velit. *Si enim addideris, ſecundum Pontificios, Chriſtus non fuit ſacerdos* CHRISTIANÆ RELIGIONIS, *antequam aſcenderet in cœlos, vel Chriſtus non fuit ſummus pontifex priusquam in cœlum eveheretur, vel Chriſtus non perfectè & ſecundum ſacerdotium æternum Chriſtianum ſacrificat, niſi in conſpectum Dei patris oblatio ab angelis transferatur,* ſecundum canonem Miſſæ, *non longè à Photiniſmo receſſeris.* §. 77.

Pontificij Photinizant in principijs Miſſæ.

† 13. *Bellarm. l. 1. de Miſſ. c. 25. §. ad locum autem; ait:* In lege veteri ob mortem Aaronis ſucceſſit illi in dignitate & poteſtate Eleazarus, Eleazaro, Phinees & ſic de alijs, & ſi nunquam Aaron mortuus eſſet, nullus ei ſucceſſiſſet, tamen vigente Aarone multi erant ſacerdotes inferiores. Sic igitur Chriſto nemo §. 78.

ſuccedit in eadem dignitate & poteſtate, quia nunquam moritur, tamen ipſo vivente multi alij inferiores ordinantur, qui ſunt ejus VICARII ATQVE MINISTRI. *Vnde infero. E. Chriſtus non ſacerdos eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed ſecundum ordinem Aaronis: quia ex mente Bellarmini, imitatur in conſtitutione ſacerdotij ordinationem Aaronicam, quod iterum eſt contra majeſtatem ſacerdotij & excellentiam Chriſti.*

§. 79. † 14. *Bellarm. loco cit. §. Reſpondeo quod Apoſtolus, ait,* fatemur ſacrificium crucis vim infinitam & ſempiternam habere, ad ſanctificandum: negamus autem inde ſequi, non poſſe ſine crucis Chriſti injuria multiplicari ſacrificia repræſentantia ſacrificium crucis & ejus fructum nobis applicantia: nam ſi ita eſſet, non ſolùm tollerentur Miſſæ de medio, ſed etiam efficeretur, omnia ſacrificia teſtamenti veteris fuiſſe peracta in injuriam crucis Chriſti. *Vnde infero. Si ideò ſacrificium Miſſæ non eſt in injuriam crucis Chriſti inſtitutum, quia ſacrificia Vet. Teſtamenti repræſentantia non fuerunt in injuriam crucis Chriſti inſtituta; ſequitur ſacrificium Miſſæ, quod hodiè celebrant Pontificij, eſſe inſtitutum ad repræſentandum & figurandum ſacrificium crucis* FUTURUM, *quia ſacrificia V. T. fuerunt ordinata ad ſacrificium crucis figurandum. At conſequens hoc eſt injurium in ſacrificium crucis Chriſti. Ratio verò conſequentiæ latitat in ſumma ratione, cujus intuitu ſacrificia V. T. non fuerunt injuria ſacrificio crucis: quia tendebant ad futurum ſcilicet ſacrificium Chriſti præfigurandum, tanquam typicæ delineationes & deductiones ad venturum Chriſtum: niſi enim duxiſſent ad futurum Chriſtum, fuiſſent injuria in ſacrificium crucis. Si igitur ſacrificij Miſſæ ordinatio deberet non injuria eſſe ſacrificio crucis, deberet tendere ad futuri Chriſti repræſentationem, quo tamen ipſo actu eſſet jam injurium ſacrificium Miſſæ ſacrificio crucis.*

§. 80. *An ſtatuenda nova occiſio in Miſſa?* † 15. *Bellarminus loc. cit. in reſponſ. ad tertium argumentum Calvini, quod eſt;* Hoſtiam, quæ offertur, occidi & mactari neceſſe eſt. Ergò Chriſtus in Miſſa occiditur rurſus; reſpondet, occiſio ſolum requiritur in oblatione rei viventis, & quæ in forma rei viventis offertur. At cum forma ſacrificij eſt inanimæ rei, non poteſt requiri occiſio, ſed ſolum conſumptio rei illi conveniens, quæ eſt manducatio. *Vnde cap. 27. prop. 7. ait,* conſumptionem ſacerdotis eſſe partem eſſentialem, licet non ſit tota eſſentia. *Contra verò Ægid. de Coninck. Ieſuita in tract. de Sacr. q. 83. art. 1. dub. 5. pag. 312. num. 90. ex Franc Suarezio diſt. 75. q. 5. ait,* conſumptionem non eſſe partem eſſentialem. *Vnde ita concludo. Ad hoſtiæ cujuſvis oblatio-*

nem

tiem est aliqua consumtio necessaria, sive omnis hostiæ oblationis essentia consistit in aliqua consumtione: sive occisionis, sive manducationis. Bellarm. At hostiæ corporis & sanguinis Christi oblata essentia non consistit in consumtione manducationis; ut habet Iesuita cit. E. hostiæ oblatio in Missa essentialiter occidendo est consumenda. E. Corpus Christi in Missa hodie etiam est occidendum, quod est injurium in sacrificium crucis Christi sanctißimum. † 16. Ægid. de Coninck. Societ. Iesu. q. 83. art. 1. dub. 5. num. 96. pag. 313. ait. Novæ legis sacrificium totum essentialiter perficitur consecratione, & quidem primariò, quatenus per eam corpus & sanguis sub specie panis & vini quantum est ex vi verborum separatim ponuntur, illud quasi occisum, hic quasi effusus, atque ita mortem Christi perfectissimè repræsentant. Secundariò verò, quatenus per eam panis & vinum esse desinunt, quæ tanquam terminus à quo ad sacrificium Christi pertinent. Quod negat Bellarm. l. 1. de Miss. cap. 27. prop. 8. verba sunt. Ideò quidam existimant in consecratione consistere sacrificij essentiam, quia per consecrationem fit vera realisque mutatio panis in corpus Christi. Nos cum Bellarmino 1. ita concludimus contra Conincium & Acad. Lovaniensis Soc. Ies. in qua ille docet: 1. Si sententia Conincij Iesuitæ vera est, sequeretur in sacrificio Missæ solum panem triticeum Pontificios sacrificare, quod est injurium sacrificio Christi. Id enim propriè realiter sacrificatur, quod mutatur, ut desinat esse. At solus panis mutatur. Id autem absurdißimum esse, inquit Bellarm. nemo negare potest, quia si ita esset, haberet Ecclesia sacrificium inanimum & multò vilius, quam habuerunt olim Hebræi. † 2. Si sententia hæc vera esset, inquit Bellarm. non esset idem sacrificium Ecclesiæ & sacrificium crucis, quod ipsi Pontificij injurium sacrificio Christi judicabunt. Injurius est igitur Iesuita Conincius in crucis sacrificium, sententiam de Missa explicando. † 3. Si sententia hæc de Missa vera esset, inquit Bellarminus, sequeretur in sacrificio non esse eundem sacerdotem & sacrificium, quod iterum derogat perfectioni infinitæ Christi. Vnde saltem quoad sententiam Conincij & aliorum Pontificiorum Missa erit injuria sacrificio crucis Christi.

§. 81. An sacrificiũ Missæ essentialiter perficiatur consecratione, & quid inde sequatur?

§. 82.

§. 83.

† 17. Quodcunque sacrificium singularem dicitur habere propitiandi virtutem, præter infinitam illam propitiationem Christi in cruce, illud est injurium sacrificio crucis. Nam negat infinitatem propitiationis Christi, si affirmat singularem propitiandi vim Missæ. At sacrificium Missæ dicitur habere singularem vim propitiandi præter infinitam propitiationem sacrificij crucis. Bellarm, lib. 2. de Miss. cap. 2. ait, sacrificium

§. 84. An Missa dicatur habere singularẽ propitiationis

vim, præter crucis ſacrificium? ficium Miſſæ eo modo eſſe propitiatorium, quo vetera ſacrificia fuerunt propitiatoria. Illa autem ſuo modo ait propitiatoria: & non tantùm, quatenus typi erant, in quibus fide amplectendum eſt ſacrificium crucis Chriſti in temporis plenitudine exhibendum.

§. 85. † 18. *In quocunque ſacrificio ſtatuitur ſingularis aliqua traditio corporis Chriſti & ſingularis effuſio ſanguinis in remiſsionem peccatorum, præter eam infinitè ſatisfactivam quæ eſt in ara crucis & morte, illud eſt injurium ſacrificio crucis. Quia illa traditio corporis fuſioque ſanguinis in remiſsionem, quia ſingulariter ſacrificialis, non eſt ſubſtantia & virtute eadem cum hac traditione & fuſione in cruce. Imò crucis traditio & fuſio eſt cruenta. Atqui in ſacrificio Miſſæ ſtatuit Bell. cap. cit.* ſingularem aliquam traditionem corporis & fuſionem ſanguinis Chriſti in remiſſionem peccatorum.

§. 86. *An Chriſti meritum per Miſſam minutatim & in partes ſeparatum applicetur, & quid hinc ſequatur?*

† 19. *Chriſtus totus in ara crucis pro omnibus hominibus & pro ſingulis eſt oblatus. Meritum igitur ejus & ſatisfactio omnium & ſingulorum jure dicitur. Vnde quando medijs divinitùs ordinatis applicatur acquiſita divinitùs ſatisfactio & meritorum theſaurus, non in partes diſſecatur ſatisfactio, & hæc ejus particula huic, altera alteri minutatim confertur, ſed, quæ eſt natura infinitæ virtutis,* TOTA *ſatisfactio* OMNIBUS ET SINGULIS *fidelibus applicatur. Itaque* UNUSQUISQUE *fidelium* TOTUM *theſaurum meritorum & ſatisfactionis cum* TOTO CHRISTO *poſsidet, abſque* SUBTRACTIONE *aut* DIVISIONE, *per verbum & ſacramenta communicatum. Injurius eſt igitur in ſanctiſsimum Chriſti meritum & ſacrificium Martinus ab Azpilcueta Navarrus, qui* particulatim illud diſtribui vult. *Verba ſunt cap. 25. Manual. confeſſar. num. 110. pag. 747.* Arbitror autem, quod non præſtituitur à Domino Deo quantitas dividenda æqualiter inter omnes, qui participant de hoc fructu ſatisfactionis Miſſæ: ſed quod pro ſua infinita benignitate cuilibet orthodoxo, eo ſolo nomine, quod eſt orthodoxus, deputat CERTAM PARTICULAM, quæ nec creſcit, eo quod ſint pauciores orthodoxi, nec decreſcit eo, quod ſint plures. Et præter hanc deputat ALIAM CUILIBET circumſtanti, quæ nec creſcit nec decreſcit, ob majorem vel minorem numerum circumſtantium & ALIAM toti Eccleſiæ, & SPECIATIM juſſis nominari ab ea, ſcilicet Papæ, antiſtiti & Regi: quæ etiam eſt ſtabilis; ALIAM facienti Miſſam, & nominatis ab eo privatim, quæ creſcit aut decreſcit pro numero majore vel minore à ſe voluntariè nominatorum: ALIAM porrigenti pithantiam, vel facienti eam fieri, & ei vel eis, pro quo vel pro quibus fit; quæ & creſcit vel decreſcit

pro nu-

pro numero facientium eam fieri, vel eorum pro quibus fieri faciunt. † 20. *Omnis valor actionum in Deum relatarum dependet à sacrificio crucis Christi. Illius merito Deo placet, quicquid placet. Actiones igitur illæ non æstimantur ratione* ACTUALITATIS *suæ, sed* RATIONE MODI REFERENDI *ad supremum hoc objectum obœdientiæ mortis Christi. Vnde quoque sacramentorum virtus non dependet ab administrantis dignitate aut indignitate, sed à meriti Christi infinita amplitudine. Injurius est igitur in meritum Christi* BARTH. FUMUS VILLA-LAURENT. *Plac. in* aurea armilla *pag. 614. num. 34. edit. Antverp. dum ait,* Missa boni sacerdotis, orantis etiam in persona Ecclesiæ, ut ejus instrumentum, plus valet, quam mali ad impetrandam gratiam: quantô enim MELIUS EST INSTRUMENTUM, tantô OPUS MELIUS efficitur. *Quomodo autem oblatio boni sacerdotis potest esse melior, quàm mali, cum utraque sit corporis & sanguinis Christi? An instrumentum addit & detrahit Christo?* † 21. *Alphonsus Salmeron Tom. 9. Comm. in Histor. Evang. tract. 28. pag. 216. inquit:* Sacerdotium Christi perfectum debuit auferre vetus imperfectum: ergò si non est ALIUD, QVAM ILLUD CHRISTI IN CRUCE, quod cessante cruce cessavit, vetus igitur sacerdotium & proinde lex nondum desijt. *Verba hæc Missam probatura, nonne sunt injuria in sacrificium crucis Christi? Ita est. Nullum memoriale & repræsentativum dicitur id tollere, quod prototypus ipse & repræsentatum non sustulit. At ex sententia Salmeronis prototypus & repræsentatum, crux scil. ejusq; sacrificium, non potuit tollere sacerdotium vetus. Ergò multò minus Missa, quæ memoriale & repræsentatio est crucis sacrificij, poterit tollere illud: aut typus fortior erit antitypo: Missa validior, quàm sacrificium crucis.* † 22. *Alphonsus Salmeron loco cit. pro sacrificio Missæ ita argumentatur:* Qui est summus sacerdos, ille non tantùm imperat & impetrat communionem ex præsentia pascentem tantùm sumentes unientemque cum proximo, sed etiam impetrat instar sacrificij, quod etiam non sumentes ex memoria juvat & cum Deo unit. At Christus est summus sacerdos. E. non debuit tantùm impetrare communionem ex præsentia pascentem tantum sumentes, unientemque cum proximo, quod putat facere Eucharistiam, sed etiam impetrare instar sacrificij, quod & NON SUMENTES EX MEMORIA IUVAT ET CUM DEO UNIT. Quod sacrificium Missæ solùm facere vult modo summo & perfectissimo. *Vnde colligo, tùm, Eucharistiam tantùm in præsentia sumentes juvare, tùm non unire cum Deo, sed tantùm cum hominibus, tùm sacrificium Christi crucis non*

§. 87. *An Missa boni sacerdotis plus valeat ei, qui curat sacrificari, quam mali, & quid hinc sequatur?*

§. 88. *An si nullum esset præter crucis sacrificium, vetus sacerdotiũ nondum cessasset?*

§. 89.

cis non unire cum Deo, aliàs Salmeron nihil concluderet, quæ tamen omnia sunt injuria sacrificio crucis. † 23. *Quando à nostris respondetur, satis applicari sacrificium crucis verbo & sacramentis, adeò ut novo sacrificio Missæ opus non sit; Respondet Bellarmin. l. 1. de Miss. cap. 25. §. Illud autem.* Eodem argumento probari posse, supervacaneam esse cœnam Dominicam, quia fructus crucis satis applicatur per baptismum: imò & baptismum supervacaneum esse, quod sola prædicatione verbi possit excitari fides, per quam applicatur fructus crucis. Et ita non argumentandum esse, ab eo, quod satis est, sed ab eo quod institutum. Non igitur injuriosum esse in sacrificium crucis sacrificium Missæ. *Videat tamen* EODEM ARGUMENTO *utentes suos Bellar. & Heinr. Henriquez. qui in summ. Theol.* l. 8. c. 44. n. 5. p. 475. *ait*: Quidam opinantur, ut Alexand. 4. part. q. 11. art. ult. §. 3. Caspar. Casal. lib. 2. de cœna & cal. dom. Ioann. Arbor. in Ioan. c. 6. Et multi Episcopi in Concil. Tridentino, ut retulit Francisc. Blanco Archiepisc. Compostellanus, per potum vini consecrati addi novum gratiæ gradum, quia est diversa ratio signo expressi, cum diversa materia & forma: fatentur tamen, hunc gradum non esse huic homini necessarium ad salutem: sed satis esse, si pane consecrato utatur. Imò ipse Henriquez inquit num. 6. Excedit utraque species in ratione signi expressi & perfecti respectu passionis Christi, cujus virtute causat effectum proprium & respectu materialis convivij: sed altera species æquatur, quod ad rem significatam & efficaciam virtutis, satis est igitur frui altera. *Si igitur ideò satis est, Laicos frui in cœna altera tantum specie,* quia vel *æquantur species ratione rei significatæ & efficaciæ virtutis,* ut vult Henriquez: vel *utraque ad salutem non est necessaria, licet ratione signi excedentior & ratione graduum gratiæ excellentior sit utraque species, ut voluerunt Episcopi Tridentini: sequitur ideo quoque satis applicari nobis fructum sacrificij crucis Christi per baptismum, verbum & cœnam dominicam* (*quo nomine Eucharistiam appellasse vetustissimos scriptores, Anselm. Bedam, Thomam, Hieronymum, Lyranum, Theodoretum, Cyrillum, Theophylactum, Iansenius in Conc. Evang. cap. 91. Nazianzenum, Augustinum, Basilium, Tertullianum, Henriquez Iesuita l. 8. c. 1. num. 1. fatetur, licet idem jubeat fugere hoc nomen, licet Maldonatus in Comment. ad Matth. Hæreticum vocet. Conf. Diss. 1. AntiZvving. §. 22. p. 22.*) *quia ratione rei significatæ & efficaciæ virtutis æquant omnes alios modos & formas externas applicandi, quæ quidem excogitari possunt. Quodcunque nobis hic responsum fuerit, Pontificijs respondebitur.*

† 24.

Marginalia: §. 90. — *An nomen cœnæ sit hæreticū, in materia Eucharistica?*

† 24. *Bellarm.lib.3.de Evch.c. 17.dicit*: ideò impium esse & injurium Christo, statuere eum secundum humanitatem esse ubique, quia alias corpus & sanguis ejus in Evcharistia ad distributionem moveri non posset. *Quicunque igitur ita statuit, corpus Christi alicubi præsens, ut illud moveri loco nequeat, ille violat mysteria Christi & injurius Christo est. At in actu sacrificiali Missæ, qui consecratio est, ita est corpus Christi, ut non moveatur loco.* Durand. 4.sent.d.10.q.3. Corpus Christi nullo modo movetur ad motum hostiæ, nec per se, nec per accidens: quia corpus Christi & hostia non sunt unum secundũ subjectum, nec se habent ut continens & contentum, nec habent colligationem aut contactum. Et quia Corpus Christi existens in cælo localiter, fit de novo existens in hoc sacramento absque motu locali tam per se quam per accidens. Ergò à fortiori existens in hoc sacramento non movetur ad motum hostiæ. Cajet. p.3.q.76.a.6.p.362. *Henriquez Iesuita l.8.de Evcharist.c. 25. num. 2. pag.*447. Ex eo, *inquit*, quod in novo specierum loco aut in multis hostiis de novo adsit præsens per conversionem corpus Christi, non habet in seipso motum localem (cujus oppositum quidam tenent, ut Thomas, Capreolus, Richardus, Alexander, Soto, Bonavent. Marsilius, Ledesmius, Bellarminus, Victoria) nec dicit immediatum respectum ad locum, nisi ratione specierum, nec deserit locum cœli, in quo manet absque ulla amissione, sicut prius, nec ex novo modo, quo adest totum sub aliqua parte specierum, adquirit aliquid in se. *Et cap.28.* Adest sub speciebus corpus Christi, sine motu locali, quia non deserit locum, in quo erat, nec fit immediata per mutationem adductivam: nec acquirit immediatè realem respectum ad novum locum. Ut justificatio impij fit in instanti, sic in corpore Christi non est motus localis etiam discretus, ut movetur angelus. *Si igitur præsentia transsubstantiatione facta sit absque motu corporis per consecrationem, nec impedit mysterium sacramenti, sed tantum novum modum præsentiæ superaddit præsentiæ in cœlo, omnipræsentia quoq; corporis Christi non impediet præsentiam in cœna, imò tanquam fundamentum generale firmabit. Aut injuria erit Missæ mater transsubstantiatio in sanctissimum* θεανθρώπου *mysterium.*

An corpus Christi adsit in Missa immobiliter? ex mente Pontificiorum.

† 25. *Bellarminus l.3.de Christo cap.12.§.Item fides requirit.Concludit*, Lutheranos negare veritatem mortis Christi & ita injuriosos esse in sacrificium crucis Christi, quia statuunt corpus Christi per & propter unionem personalem esse omnipræsens: requiri

§. 92. *An missa neget mortis Christi veritatem*

ex hypoth. Bellar. 8 enim, ut in morte Christi corpus & anima separata fuerint, & corpus quidem in sepulchro jacuerit, anima ad infernum descenderit: cum tamen secundum ubiquitatem in sepulchro etiam fuerit anima cum corpore, & in inferno caro cum anima. *Ægidius Coninicus tamen Iesuita statuit,* beneficio Missæ potuisse in triduo mortis corpus, extra sacramentum mortuum, in sacramento verò vivens simul & eodem tempore consistere. *Si ergò illud nostrum omnipræsentiæ communicatæ magno priscæ Ecclesiæ consensu stabilitum asseveratum pugnat cum natura mortis Christi, hoc Conincianum eodem pugnabit modo. Verba sunt q.81. art. 4. p. 289.* si spectemus naturalem connexionem, quam habet corpus Christi, prout est in propria specie, secum prout est in sacramento, ex eo, quod in propria specie moriebatur, nullo modo sequitur, eum moriturum fuisse in sacramento, si fuisset tum conservatum. Et hoc etiam videtur conforme principiis D. Thomæ, qui docet, Christum conservatum in sacramento non vulnerandum tempore passionis, nec emissurum cruorem; quare sequitur non etiam emissurum animam. *Hæc Coninc. Cui tamen contrarius est Iesuita Henriquez l. 8. c. 27.* In triduo mortis Eucharistia prius à Christo consecrata potuit conservari, & sub specie panis adesset tantum corpus cum forma cadaveris, sicut erat in re. Si verò consecraretur, dum cadaver Christi in cruce adhuc retinebat partem sanguinis, adesset & ille sanguis sub specie panis: sub speciebus autem vini post effusum totum sanguinem adesset totus sanguis in passione effusus semperq; unitus verbo: non autem adesset corpus & anima. At si consecratio fieret ante lateris apertionem, adesset & sanguis, qui latebat in corpore, &c. *Si itaque ex assertione communicatæ personaliter omnipræsentiæ sequitur negatio mortis Christi, etiam ex asseveratione vitæ Christi in triduo mortis sub speciebus Eucharisticis sequitur negatio mortis Christi, quod Basilidianum, Cerdonianum, & Manichæum.*

§. 39. † 26. *Supervacaneum autem esse sacrificium Missæ, & proinde in injuriam Christi sacrificij excogitatum aliâ hypothesi Bellarminianâ demonstramus. Is* lib. 4. de Euch. cap. 23. §. *Probatur igitur. ita argumentatur.* Si sumptio utriusq; speciei plus gratiæ aut fructus spiritualis conferret, quàm sumptio unius, id necessariò oriretur vel ex symbolo continente, vel ex re contenta. Non ex symbolo, quia symbolum non operatur nisi per virtutem sibi impressam: si ex re contenta oriretur, id fieret vel quia res contentæ in utraque specie sunt revera duæ, & quælibet operatur aliquid in anima suscipientis, &

tis, & hoc dici non poteſt, cum unus & idem Chriſtus in utraque ſpecie ſit: vel quia una res quidem & eadem utrâque ſpecie continetur, ſed ea bis ſumitur, cum ſumitur utraque ſpecies, ſemel autem tantum ſumitur, cum una ſpecies ſumitur. At nec dici poteſt, &c. *Inde ita argumentor: ſi opus eſt oblatione cruenta & incruenta, ſiq; plus fructus & gratiæ ſpiritualis percipitur ex conjunctione incruentæ oblationis cum cruenta; id naſceretur vel ex ſymbolo oblationis, vel ex re oblata. Non ex ſymbolo; quia ſymbola ex ſe nihil operantur, ſed tantum ex virtute ſibi impreſſâ. Non ex re oblata. Id enim fieret, vel quia res oblatæ in utraque oblatione ſunt revera duæ ac diverſæ & quælibet operatur aliquid. Et hoc dici non poteſt, cum unus & idem Chriſtus in utraque oblatione ſit, vel quia una res quidem & eadem in utraque ſpecie oblationis continetur, ſed ea bis offertur, cruentè & incruentè, quod iterum fieri nequit. Si enim, qui ſucceſſivè duas Miſſas audit eodem tempore, non majorem gratiam ſpiritualem percipit, quam qui unam, ſequitur non plus quoque fluere virtutis ex cruenta & incruenta oblatione, quàm ex cruenta tantùm. At prius eſt ex Bellarminiana ſequela.* Non, *inquit loco cit.* augetur gratia vel fructus quando bis ſumitur eodem tempore, quia ſumitur per modum unius refectionis: alioqui qui duas, trésve particulas ſumeret, unam poſt alteram in eadem participatione myſterij, majorem gratiam acciperet, quàm qui unam tantùm, nam in ſingulis particulis totus Chriſtus eſt. *Ita, inquam, non augetur gratia, quando bina oblatio auditur eodem tēpore, quia auditur pro modo unius oblationis, alioqui qui duas trésve Miſſas audiret, unam poſt alteram in eadem participatione myſterij majorem gratiam acciperet, quàm qui unam tantùm; nam in ſingulis Miſſis totus Chriſtus eſt. Quæ abſurdiſſima eſſe,* Bellarminus *clamat: Supervacanea igitur & religioni inimica eſt Miſſa.*

Ex negata neceſſitate communionis ſub utraque, negatur neceſſitas Miſſæ.

† 27. *Dabimus aliud ex hypotheſibus Pontificijs, quod abſurditatem & impietatem Miſſæ arguat. Quicquid æqualitatem perſonarum Trinitatis evertit, id impium eſt. Sacrificium Miſſæ ex hypotheſibus Pontif. æqualitatem perſonarum Trinitatis evertit. Nam dicere, quod totus Chriſtus ſeu ipſe filius Dei incarnatus in utraque natura ſua ſit ſacrificium & ſacerdos noſter, evertit æqualitatem perſonarum Trinitatis. Bellarminus in Iudic. de lib.* Concord. *Error.* 2. Eſſe Pontificem & ſacerdotem, adde etiam ſacrificium, intrinſecè & eſſentialiter includit eſſe creaturam, & longè minorem eô, cui ſacrificium offerri debet: omnis enim Pontifex & ſacerdos eſt miniſter Dei & cultu latriæ Deum ſummum colit, dum ei ſacrificium offert. Ergò ſi

§. 94. An Miſſa evertat æqualitatē perſonarū SS. Trinitatis?

Christus, ut Deus est, pontifex etiam est, & patri suo se sacrificium offert, profectò ut Deus patre suo longè minor est atque adeò verè & propriè creatura. *At Bellarminus ipse dicit* FILIUM DEI INCARNATUM seu totum Christum in utraque natura esse sacrificium nostrum IN MISSA, & fuisse simul etiam sacerdotem in prima ejus celebratione. *Vide in lib. 4. de Evch. c. 21. de* Concomitantia *disserentem. Vbi notandum, ibi non quæri* DE OMNIPRÆSENTIA DEITATIS CHRISTI, *qua etiam sine ullius dubio est in cœna, licet non speciali illo sacramentali modo per* ἕνωσιν μυστικὴν: *sed de singulari, sacramentalique, & ex antecedenti de sacrificiali præsentia Deitatis Christi sub speciebus panis & vini, sive immediatè sive mediatè. Dicit autem Bellarminus*, apertissimè eum solvere Iesum, qui ALICUBI corpus sine anima, & sanguine & Deitate ponit. *Qui igitur in materia Deo pro sacrificio offerenda ponit solum corpus sine anima & sanguine & Deitate, apertissimè* ex mente Bellar. *solvit Iesum.* Porrò, *inquit Bellar.* quandocunque aliqua sunt & manent inter se conjuncta, nisi novum miraculum fiat, non potest unum alicubi esse, ubi non sit etjam alterum, manente illa conjunctione. Sed corpus Domini, anima, sanguis & divinitas inter se conjuncta sunt, nec potest IAM (*ergóne aliquando potuit, quoad omnia?*) solvi illa conjunctio: (*nec in oblatione sacrificiali Missatica etiam.*) Ergò, ubi est corpus, ibi est sanguis, anima, divinitas. *In actu & objecto sacrificij est corpus, sanguis, anima, divinitas. Ergò divinitas etiam sacrificatur. Consentit Heinric. Heinriquez. lib. 9. de Sacram. Miss. cap. 5. §. 2. pag. 502.* Offerimus DEI FILIUM INCARNATUM non tantùm æterno Patri & Spir. S. sed ipsi Filio: quia quorum una est substantia, & una ratio principij rerum ad extra, illis tribus exhibetur una adoratio latriæ & sacrificium.

§. 95. *An Missæ sacrificio labefactetur articulus sessionis ad dextram?*

† 28. *Dabo aliud ad convincendam Missæ absurdam impietatem ex hypothesibus Bellarminianis. Quodcunque dogma statuit, Christum non semper considere in throno majestatis divinæ, illud est impium & in admirabilem Christi eminentiam injurium. At tale est dogma* Missæ. *Probo. Gregorius de Valentia lib. 1. de Miss. c. 3 pag. 677. fac. A. lit.* D. Bel. *lib. 3.* de Incarnat. *c. 13. §. 1.* Si caro, *inquit,* Christi est ubique, certè non egemus Evcharistiâ, & frustra imus ad templa, frustra recitamus verba cœnæ, frustra paramur ad illam cœnam, cum domi habeamus in pane & vino & in alijs omnibus cibis corpus Christi, *& in Iud de F. C. error. 3.* Si corpus Christi ab ipsa conceptione est ubique, non egemus sacramento cœnæ, ut præsentiam habeamus

corporis

corporis Dominici. & lib.3. de Evchar. c.17. Si corpus Christi est ubique, non egemus cœna Domini, ut Christi corpus habeamus, neque opus est ad Ecclesiam ire, aut parare se ad communionem, aut institutionem audire, sed possumus domi nostræ in pane & vino, & in quolibet cibo, imò & in aëre, quem inspiramus, Christi corpus habere. *Vnde infero. Si ideò in cœna non potest haberi corpus & sanguis Christi per consecrationem vi verborum & promissionis Christi præsens, quia jam ante ex ubiquitate in cœna est sua majestate, ut Lutherani volunt; sequitur, si jam ante corpus & sanguis Christi in sublimi altari Dei, imò in throno dexteræ Dei potentis sunt & in conspectu divinæ majestatis, non opus est, ut per consecrationem demum oblata proferantur à sancto angelo in sublime altare Dei, in conspectu divinæ majestatis ejus; quia jam ante ex vi majestatis sunt in throno sublimitatis & conspectu majestatis divinæ. At hoc opus est. Canon Missæ id docet. In Missali jussu Pij V. edito. p.242. Edit. Leod.* Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ. *Ergò Christus secundum humanam suam naturam non semper est in sublimi altari Dei, in throno majestatis, in cōspectu Dei, quod absurdū.* §. 96.

Canon Missæ.

† SEPTIMO. Missæ oblatione diversarum victimarum distinctas proprietates contineri, ait Herberus ass.1.n.5. Holocausti quidem, quia uti holocaustum totum igne consumebatur, sic in consecratione tota substantia panis & vini, per consumentem Spiritus Sancti ignem ita in corpus & sanguinem Christi convertitur, ut nulla sui parte sit. At ratione farinæ, ex qua Evcharistia conficitur, rectè Mincha prophetico Spiritu à Malachia dicitur. Pacifici vim habet, quia idem illud sacrificium sacramenti conditionem participat, ut ab offerentibus, more pacificorum, manducetur. Propitiatorij verò tàm pro peccato, quàm pro delicto, quod ex primæva sui institutione datum sit oblatumque in remissionem peccatorum. *Hæc ille. R. 1. Falsa hic assumuntur plurima & principium petentia, debuit igitur rem prius confirmare, antequam analogiam rei affingat Herberus. 2. Proprias hypotheses evertit. Nam 1. holocaustum in ipso actu oblationis igne consumitur. Panis & vinum ante actum oblationis. Hinc* Bellar. *lib.*1.de Miss.*c.*27.§. *Quinta propos.* Oblatio quæ sequitur consecrationem ad essentiam sacrificij non pertinet, ut nec quæ antecedit. 2. *Holocaustum consumendum est jam ipsum sacrificium, antequam igne consumatur. Panis & vinum ex hypoth. Pont. ante consumtionem consecratoriam non sunt sacrifici-* §. 95.

um.3.

An Missa rectè cum holocaustis conferatur?

um. 3. Cum consortibus suis pugnat. Nam 1. Gregorius de Valentia esum & totalem comestionem panis & vini cum holocaustis confert. lib. 1. de Miss. cap. 2. p. 666. §. itaque ut. 2. Ægidius Conincius Iesuita *de Sacram. q. 83. Art. 1. dub. 5. dist. 96. cum thymiamate confert sacrificium Missæ, quod opponit holocaustis & hostiarum animatarum oblationi.* Nam in holocaustis & hostiarum animatarum oblatione, *inquit,* principalem hostiam esse id quod destruitur. In thymiamate res producta sive suffitus ex illius crematione proveniens est principalis hostia. Similiter in nostro sacrificio principalis hostia est corpus & sanguis Christi IN HONOREM DEI HIC REPRODUCTA, & quantum est ex vi verborum & specierum significatione separatim quasi victima mactata posita. *Non igitur cum holocausto comparari potest, sed cum thymiamate. Aliàs ex Iesuitæ sent. in Missa principalis hostia esset panis & vinum, minus principalis corpus & sanguis.* 3. Iohannes Viguerius Granatensis Dominican. *in Instit. Theolog. pag. 381. holocausto non sacrificium Missæ, sed professionem religionis successisse, ait:* Holocaustum, *inquit,* erat sacrificium, quod offerebatur Deo, specialiter ad reverentiam majestatis ipsius & ad amorem bonitatis ejus, & totum comburebatur, Ideò dicitur holocaustum quasi totum haustum & incensum. Et significabat sacrificium Christi, qui totum se obtulit Deo patri, pro nobis. HUIC SACRIFICIO SUCCEDIT IN NOVA LEGE PROFESSIO RELIGIONIS APPROBATÆ, quæ potest dici holocaustum, quia totus homo offert seipsum Deo, nihil sibi reservans.

CAP. II.

DE DEFINITIONE SACRIFICII origine vocabuli Missæ, antiquitate, Deo Mahuzim, &c.

ASSERTIO. *Missa veræ puræq; antiquitatis non est sacrificium, accuratè & propriè ita dictum, repræsentativum sacrificij crucis, singulari novoq; modo propitiatorium, impetratorium & satisfaciens, liberans defunctos è purgatorij flammis: sed est verum, proprium & sanctissimum sacramentum corporis & sanguinis Christi.*

§. 1. EXEGESIS. *Primò, describit Herberus sacrificium,* quod sit actio, quæ ex primariâ ac definitâ sui institutione refertur ad cultum

tum

tum externum latriæ Deo, in divinæ excellentiæ recognitionem,
certo ritu ceremoniaque exhibendum ab eo, qui singulari delectu
à cæterorum hominum cœtu ad id muneris assumitus est. *Ait por-
rò*, in illa exhibitione esse mutationem, quâ res humanis usibus
subducta mystico ritu velut in Dei possessionem, tàm quoad usum,
quàm quoad substantiam transscribatur, ad supremum ejus in o-
mnia dominatum contestandum. Diversarum verò virtutum o-
pera per religionem imperata esse sacrificia impropriè ita dicta.
R. Contradictiones hîc sunt innumeræ. Nam † 1. *hâc conditione posi-* §. 2.
*ta, Missa non est sacrificium. In vero sacrificio enim res humanis usi-
bus subducta mystico ritu velut in Dei possessionem, tàm quoad usum,
quàm quoad substantiam transscribitur, ad supremum ejus in omnia
dominatum contestandum. At in sacrificio Missæ non est talis aliqua
res. Quia corpus Christi, quod est primarium oblatum, non est* RES
HVMANIS VSIBVS SVBDVCTA, *quæ mystico ritu, velut in Dei
possessionem, tàm quoad usum, quàm substantiam transscribitur.* † *Si* §. 3.
*dixeris, rem illam esse panem & vinum. Respondeo, tùm, panem & vinum
non transscribi in possessionem Dei & quoad usum & quoad substantiã,
sed annihilari. Quomodo nihilum poterit poßideri etiam à Deo? tùm,
panem & vinum non esse rem illam, quæ offertur ad contestandum Dei
in omnia dominatum, quia panis & vinum actum sacrificij essentialem
non ingrediuntur: actus enim essentialis sacrificij est ipsa adductio ho-
stiæ in aram. Adductio autem corporis & sanguinis Christi, beneficio
consecrationis quæ fit, in aram, præsupponit non existentiam panis &
vini; non igitur assumit in actum: tùm, res illa, quæ transscribitur in sa-
crificio possessioni divinæ, est permanens.* Panis autem & vinum non
sunt res permanentes in sacrificio *ex hypoth. Bellarm.* sed transeun-
tes & abolendæ. *tùm, re illa, quam in sacrificio humanis usibus sub-
ductam possessioni divinæ transscribimus, terminatur sacrificium. At
pane & vino sacrificium Missæ non terminatur: tùm, si illa mutatio &
transscriptio occupatur tantùm in pane & vino, sequitur nulla reali
mutatione corpus & sanguinem Christi in sacra cœna offerri, quod con-
tradictorium est. Mutatur enim oblatione esse naturale in sacrificiale,
statui absoluto superadditur relativus.* † 2. *Hac conditione posita sa-* §. 4.
*crificium crucis non est sacrificium. Quomodo enim Christus in sacrifi-
cio suo cruento* HVMANIS FVIT SVBDVCTVS VSIBVS? *quomodo in
divinam possessionem transscriptus, qui jam ante inhabitantem & se
poßidentem habet plenitudinem divinitatis? Et hoc contra hypotheses
Pontif.* † 3. *Requirit Herberus* legitimum ministrum, qui è cæte- *De mini-*
stro sacri-

ficij Missæ contradictiones. rorum hominum cœtu ad id muneris assumtus est. *Consentit cum eo Bellarminus lib.1.de Miss.cap.2.§. Quintò diximus.* Non est cujusque offerre sacrificium, sed publici & certi hominis, qui communi nomine hæc peragat, ut omnia concilia & omnes patres & omnium Ecclesiarum consuetudo docet. *At Conincius Iesuita* adeò necessarium esse judicat Ministrum legitimum in sacrificio *q.83. art.1.dub.1.dist.19.* ut etiam omnes patresfamiliâs in immolatione paschatos sacerdotes fuisse asserat. *licet id Bellarminus l.1.c.7. concedere apertè nolit. Contradicit tamen Herberus. Gregorius de Valentia l.1.de Missa c.4.§. Num illud fuerit p.687.* Ut maximè concedamus, *inquit*, ceremoniam agni paschalis non à solis sacerdotibus multitudinis nomine, sed promiscuè à populo usurpatam fuisse: nequaquam tamen inde sequitur, quod non fuerit verum sacrificium. Etsi enim sacrificium offerre externum PRÆCIPUE munus sit delectorum ministrorum, ut ab illis autem solis offeratur, NON EST EX RATIONE ET ESSENTIA SACRIFICII.

§. 6. Dissentientes opiniones Pōtif. in essentia Missæ explicanda. † 4. *In essentia generali explicanda quoq; dissentiunt. Herberus vult esse* actionem, *Bellarminus* oblationem, *Heinriquez* externam ceremoniam; *qui addit*, Bellarminum longa oratione definivisse MISSAM. *Melchior Canus lib.12.loc.Theol.in respons.ad 4. arg.* Sacrificij Missæ essentiam inveniri *ait* in quatuor, CONSECRATIONE, OBLATIONE, FRACTIONE & CONSUMTIONE. *Dom. Soto in 4.Sent.q.1.art.1.* tria ad necessitatem sacrificij postulat. Consecrationem, oblationem, communionem: quam propter verba Concil. Toletani XII. cap. Relatum: asserit. *Chlictoveus, Eccius, Roffensis* ponunt sacrificium in duobus, in consecratione & oblatione. *Ruard. Tapperus, Casp. Casalius & Guilielmus Alanus* essentiam sacrificij in sola consecratione quærunt, *quibus Bellarm. Suarez, &c. assentiunt: refert & consentit posterioribus Alph. Salmeron Tom.9.tract.29.p.223. Imò statuit Salmeron*, oblationem non esse de essentia sacrificij: nec Christum obtulisse vocali oblatione: & oblationem fieri, ut tantum significetur, quod factum est.

§. 7. Dissensus Pontificiorum in causa finali. † 5. *In fine dissentiunt. Herberus ponit* finem, divinæ excellentiæ recognitionem. *Sed hic generalissimus est: primarium omittit. Bellarminus conjungit* humanæ infirmitatis agnitionem & divinæ majestatis professionem. *Henriquez ponit* placationem Dei. *Conincius* protestationem summi in res omnes divini dominij. *Alphons. Salmeron novem fines ponit.* 1. excusationem aliorum peccatorum, ut idololatriæ & superstitionis, sanctamque occupationem. 2. protestatio-

teſtationem internæ fidei ac devotionis in Deum. 3. Honorationem Dei in ſeipſo ſummè boni ex amore. 4. Commercium unionemq; cum Deo. 5. Actionem gratiarum de beneficijs. 6. Impetrationem novi beneficij. 7. redemtionem ſui & alieni peccati. 8. Significationem rei vel præſentis, vel præteritæ, vel futuræ. 9. Significationem pactorum initorum. *Licet autem hi fines in ſe non adeò pugnent, ut diſtinctiunculis & coloribus adſcititijs conciliari nequeant, quomodo tamen omnes Miſſæ competant, vel quomodo oblatione corporis & ſanguinis Chriſti ex ſanctæ ſcripturæ puriorisq; Eccleſiæ conſenſu, vel divina recognoſcatur excellentia, vel ſummum aſſeratur dominium, vel indicetur divina Majeſtas, &c. non ſatis illi explicant.*

† 6. *Inſtitutionem ſacris literis conteſtatam in ſacrificij definiti-* §. 8.
one omittunt Herberus, Bellarminus, Valentinianus, Heinriquez: quam tamen ponit Conincius q.83. art.1. dub. id.30. Sacrificium, *inquit*, eſt oblatio externa, LEGITIMA AUCTORITATE INSTITUTA, qua res aliqua ſenſibilis immutatur per legitimum miniſtrum, legitimo loco & ritu Deo vero facta, in proteſtationem ſummi ipſius in res omnes dominij. *Vide ejus diſt. 11.12.13.14. &c. Unde Salmeron T.9. tract.29. p.219 falſum ait*, quod de viro quodam erudito intellexit, quod ſi Chriſtus Eucharistiam in ratione ſacrificij non inſtituiſſet, ECCLESIA POTUISSET ILLUD INSTITUERE. *Falſum autem, quod ibi Salmeron addit & contradictorium eſt*, divinam illam inſtituendi ſacrificij revelationem non ſolius eſſe ſcripturæ, ſed fundari etiam traditione Apoſtolica, vel revelatione ſancto alicui facta, vel approbatione Eccleſiæ expreſſa aut tacita: vel peculiari ſignificatione facta ipſi Eccleſiæ vicario vel concilio, vel doctoribus cœlitùs impreſſa. HIS ENIM OMNIBUS RATIONIBUS PRÆTER SCRIPTURAM SCIRI VOLUNTATEM DEI. *Supra enim contrarium evicimus.*

† 7. *Cauſam, cur in generali ſacrificij definitione transmutatio po-* §. 9.
natur, dat Rob. Bellarm. lib.1. de Miſſ. cap.2. §. Octavò diximus, ſignificationem mortis Chriſti. Unde ſequitur. Ergò generalis omnium ſacrificiorum conditio eſt, ſignificare per transmutationem mortem Chriſti. Ergò mors Chriſti non eſt ſacrificium. Alias mors Chriſti per tranſmutationem etiam ſignificaret & adumbraret mortem Chriſti, quod abſ.

† *Deinde ORIGINEM VOCIS MISSÆ quærit Herberus in voce* §. 10.
Hebraica מנחה *ex Claudio de Sainctes Ebroicenſi Epiſcopo præf. in Li-* *Vocis Miſ-*
turg. c.4. p.7. edit. Antverp. qui hallucinatos & rerum potius, quàm *ſæ an ſit*
verborũ, pietatis quam eruditionis magis ſtudioſos eſſe ait eos, qui *hebræa o-*
latinis originem ejus adſcribunt. *At Demochare Monchiaceno lib.2.* *rigo, an*
latina?

dissensus Pontificiorum. *de Miss.c.1.Genebrardo lib.de lit.Apost. c.7. Cæsare Baronio Card. ann. 34. num. 59. Inclinat etiam in hunc sensum Alfons. Salmeron. Tom. 9. p.213. quibus consentit Rulandus in loc. Theolog. p. 86. tit. 8. Martinus Azpilcueta Navarr. in Manual. c.25. n.111.§.Trigesimo quinto.p.746. Verba sunt:* nec dictio Missa est novè,ut nonnulli ajunt,ficta, sed deducta olim ex Hebræo à patribus,& Chaldæo Missach; Deut.16. quod oblationem spontaneam significat. Quare non impropriè dixit Felinus in cap.sufficit.de consecr.dist.1.& Gregor.IX. in cap. Salonianæ 63.dist. & Concil. Toletan.cap.nihil 7.q.5. facere Missam pro dicere vel legere Missam, & ejus pars præcipua etiam in ordinario Missæ actio appellatur: pro quo faciunt etiam ea, quæ subtiliter Cajet.tradit de illo Christi, Hoc facite, in tract. de sacrificio Missæ, licet ipse Innoc. lib. 6. c.12. immemor prædicti loci

§. II. Deut. 16. originem verbi Missa à mittendo deducat. † *Hanc verò ex Hebræo derivationem CLARISSIMAM VETUSTISSIMAMQUE appellat Herberus,putatq́;,* à primis Iudæis ad Christum conversis id nomen impositum, *ut vult Cl. Sanctesius,* vel ab ipsis Apostolis Petro & Paulo Romanis traditam. Conf. Fr. Meurisse Francisan. tract. singulari de nomine Missæ. *Sed refutatur à Bellarmino lib. 1. de Miss.cap.1. Verba sunt:* Non videtur Apostolis in usu fuisse hoc vocabulum Hebraicum,multoque probabilior est eorum sententia,qui docent,vocem esse Latinam,& à Latinis primum usurpatam in celebratione mysterij Eucharistiæ.Nam 1. si vox ista Hebraica Apostolis in usu fuisset, certè retinuissent eam Græci & Syri, atque aliæ nationes,ut retinuerunt alias similes voces, ut Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna, Satan, Sabathum, Pascha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt, cum ipsi etiam Apostoli & primi Ecclesiæ doctores Græcè scripserint. Porrò apud Græcos nulla est mentio hujus vocis Missa. Adde quod Syri, ut Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant divinum sacrificium, non habent Missæ vocabulum, sed pro eo dicunt, Codescha, id est, sacrum sanctum. Et tamen si Hebraica vox apud ullos conservari debuit,apud eos maximè, qui semper ea lingua, licet nonnihil corrupta,usi sunt. Adde quod viri docti linguæ Hebraicæ,ut Origenes, Epiphanius, Iustinus, Hieronymus hac voce nunquam utuntur, quod meritò admirandum videri posset, si ea vox esset Hebraica. Adde quod si vox illa esset Hebraica, non Missa sed Missah dicendum esset,quomodo tamen nemo scribit aut loquitur. Adde Vasquez.in 3.part.Tom.3,disp.221.cap.1,Hinc Matth.Galenus prof.

primarius olim Duaci in Catechiſmo à Croquetio edito Catecheſi 91. monuit ſodales ſuos, non eſſe ſomniandum, ab Hebræo ductum nomen Miſſæ Chriſtianorum, eamq; deducendi rationem propterea libentius fugere debere, quod tributi ſignificatio, quæ in מסה atq; alijs à מכס derivatis eſt, expoſita videatur hæreticorum calumnijs. Nempe metuebat, ne hac ratione exprobraretur Miſſę, quod ſub ejus prætextu gravibus exactionibus populus Chriſtianus oneretur. Idem deniq; addit, etiam aliunde præſumendum eſſe, Miſſæ vocem Hebrææ originationis non eſſe, quia Chriſtus potius uſitatis in V.T. vocabulis uſurus fuiſſet, ſi ex Hebraiſmo petere vocabulum voluiſſet, ut ſunt voces *Zebach*, *Todah*, *Mugaſch*, *Muktar*, *Mincha*, quam hac voce מסה tam obnoxia calumnijs hæreticorum, qui ajunt, Miſſam egregium ſeque dignum vocabulum ſortitum eſſe, ut ſacerdotum avaritiæ vel luxui ſumtum ſuggerat. *Concludo cum doctiſſ. Iſ. Caſaub. Ex 16. Ad Ann. Bar. n.* §. 9. p. 581. Nomen Miſſa Hebraicum eſſe vel Chaldaicum puridiſſimum commentum eſt hominum, neque Hebraicas, neque Chaldaicas literas intelligentium, aut certè judicij prorſus nullius, quod ab eruditiſſ. viris luce clarius eſt demonſtratum, inprimis à viro longè doctiſſ. Picherello presbytero, &c.

† *Quidam autem ex illis qui Latinam voluerunt ejus originationem, Miſſam dici volunt*, quod oblatio & preces ad Deum mittantur. *Ita ſentire Hugonem de S. Victore* lib. 2. de Sacrament. part. 8. c. ult. *ait Bellarminus, quod refert & probat Richardus de Mediavilla* lib. 4. ſent. diſt. 13. quæſt. ad literam. *Ita ſentit Magiſter ſententiarum* lib. 4. diſtinct. 24. l. M. Miſſa dicitur, quia, *inquit*, miſſa eſt hoſtia: cujus commemoratio fit in illo officio. Unde dicitur, Ite Miſſa eſt, id eſt, ſequimini hoſtiam, quæ Miſſa eſt ad cœleſtia, tendentes poſt eam. *Ita ſentit Durandus de S. Portiano* lib. 4. Rat. divin. offic. Rub. 1. Quod uſitatius, *inquit*, eſt, Miſſa dicitur, quaſi transmiſſa, eò quod populus fidelis per miniſterium ſacerdotis, qui vice mediatoris inter Deum & homines, id eſt, vice Chriſti fungitur, preces ſupplicationesque ac vota Altiſſimo transmittit. *Ita ſentit Albinus Flaccus, dictus Alcuinus Eboracenſis* l. de divinis Off. pag. 79. Miſſa dicitur, quaſi transmiſſa, vel quaſi transmiſſio, eò quod populus de ſuis meritis non præſumens preces & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre deſiderat, per miniſterium & orationem ſacerdotis ad Deum transmittit, quem mediatorem inter ſe & illum eſſe cognoſcit, confidens per ejus orationem atque interceſſionem

§. 12.

à malis omnibus liberari atque creatori suo reconciliari & in omnibus corroborari. † *Quidam Missam dici volunt, quod angelus à Deo mittatur, qui sacrificio aßistat, & ad Deum illud deferat.* Et hos minus probabiliter sentire, censet *Bellarminus. Sentit tamen ita Petrus Lomb. Mag. Sent. l.4.d.13.lit.a.* Missa, *inquit,* dicitur, eò quod cœlestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, juxta dictum sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum. Idcircò nisi angelus venerit, missa nequaquam jure vocari potest. † *Sentit ita Thomas* (*cujus doctrinam universaliter approbat Vrbanus Papa V. & Stephanus Episc. Paris. referente Gersone* tract. de *6.* grad. Ver. Cath. Alph. 14. *Alphons. de Tostato* 2. parte def. c. 81. *Sylvest.* verb. judex. n. 2. §. 5. *Ferrari.* contra Gent. c. *93. Soto.* dist. 8. q. un. art. *6. Ledesma* 2. parte. q. 84. art. 1. *Cordovens.* l. 1. q. 37. tanquã doctrinam perutilẽ Ecclesiæ, in qua certa aut quæ probabilius ad res fidei accedunt semper sequitur & quam insignium Theologorum caterva acceptat: à qua nemo sine hæreseos suspicione dissentire potest, *aiente Hieron. Balbo Episc. Gurcens.* de Coron. Imp. pag. 28. qui nihil temerè aut supervacaneè docet, *Henriquez* Tom. 1. Theol. Mor. lib. 1. c. 1. n. 1.) part. 3. summ. q. 84. art. 4. Resp. ad 9. Missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem: vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Unde in fine Missæ in festivis diebus Diaconus populum licentiat dicens, Ite, Missa est, scil. hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit accepta Deo. † *Sentit ita Durandus Mimatensis Ep. sc. loc. cit.* Missa, *inquit,* significat angelum, qui mittitur, ut per ejus manus offeratur hostia in sublime altare Dei. *Sentit ita Richard. de Media Villa l. 4. sent. dist. 13. quæst. ad lit.* Dicitur, *inquit,* Missa, quod cœlestis missus, id est, angelus adveniat ad consecrandum, non ut consecret, sed ut sacerdoti consecranti adsistat, nec intelligendum, quod tantum mittatur unus angelus, sed magna multitudo angelorum. *Addit:* Dicitur etiam Missa, quod populus fidelis per ministerium sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum & homines, preces, vota & oblationes Deo offerat. † Vel Missa dicitur, quod per transsubstantiationẽ substantiæ panis & vini in corpus Christi & sanguinem incipit sub utraque specie totus esse Christus, quasi de novo esset missus. *Sentit ita Bandinus lib. 4. sent. dist. 14. pag. 61. Edition. Vienn.* Missa dicitur, quod missus cœlestis, id est, angelus ad consecrandum corpus Dominicum adveniat. † *Tandem COMMVNISSI-*

[Margin notes:]
§. 13. *An Missa dicatur propter Missum angelum?*
§. 14.
Doctrina Thomæ ex mente Papist quanta?
§. 15.
§. 16.
§. 17.

MVNISSIMA ET VERISSIMA *sententia est, Missam dici à missione sive dimissione populi. Ita sentiunt è Pontificiis, præ cæteris Ferdinand. Ponzetus Card.* l. 4. de Evchar. tract. 1. c. 3. *Bellarm. Cardin.* lib. 1. de Miss. cap. 1. *Iulius Cæsar Bulengerus defensor Baronij contra Casaub.* diatrib. 3. ad cap. 58. pag. 24. *hac parte contra Baron. Ægidius Conincius Iesuita* lib. de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 5. §. Sed his. pag. 303. † *Heinricus Henriquez Iesuita Salmanticensis* l. 9. de Miss. cap. 10. num. 3. p. 511. *inquit*; Vox Missa est planè Latina, & illa nunquam utuntur Apostoli, qui Hebraicè aut Græcè scripserunt: nec ullus ex patribus Græcis & Syris, ut Origenes, Iustinus, Epiphanius, cum tamen multas voces Hebræas Apostoli & Græci patres retinuerint. Latinè dicitur Missa à verbo mitto, etiam apud Gentiles, ubi pars quædam hostiæ immolatæ, quæ mittebatur absentibus, dicitur Missa in signum amicitiæ. Apud Christianos Missa dicitur, quia per consecrationem mittitur nobis Christus à patre: per oblationem verò, aut consumtionem nos rursus Christum transmittimus ad patrem per manus angeli & sacerdotis: Sic per incarnationem Filius à patre missus & datus nobis est, sed sacrificio incruento per passionem ascensionemque (mira locutio) à nobis transmissus ad patrem. *Rabanus Maurus Archiepisc. Moguntinus l. 1. de instit. Cleric. c. 32. p.* 328. Heinriquezio subscribunt Lorich. thes. Cathol. 1395. Tanner. T. 4. theol. schol. p. 1270. §. 18. N B.

† *Tertiò.* ANTIQVITATEM *quam jactitat Herberus*, tantam non esse *fatetur* Bulengerus *diatriba tertia Anti Casauboniana ad c.* 58. *p* 240. Missæ, *inquit*, vocabulum à B. Iacobo institutum Hierosolymis aut multum ante Hieronymi ætatem (*vixit is anno Dn.* 390. *floruit anno* 14. *Theodosij teste Bellarmino de scriptorib. Ecclesiasticis p.* 154.) usurpatum esse probari autoribus locupletibus & melioris notæ, non potest. † *Ipse Bellarm. l. 1. de Miss. c. 1. ut antiquitatem vocabuli probet* supra Ambrosij ætatem non ascendit. *Quæ verò Herberus è Iacobo, Pio, Clemente & similis notæ scriptis promit, dubiæ sunt an nullius fidei. Innuit Bellarm. Sixtus Senensis, &c.* Vide infra c. 7. §. 21. *Sed hæc Grammatica.* §. 19. §. 20.

† *De Deo Maozim, præter petitiones principij nihil adfert, quo destruat nostrorum Theologorum fundamenta. Concedimus non esse originationem, sed allusionem ad Missam, & tum reliqui cultus Antichristiani copiam idololatricam intelligi, tum jactitatum illud sacrificium Romanensiũ.* † *Est enim sermocinatio ibi etiã de Antichristo, non tantũ Antiocho,* quia *Antiochus nunquã exactè & plenè patravit, quod ibi patratum* §. 21. De Deo Maozim §. 22.

tratum est. Quia 1. *Antiocho non competijt, non curare amorem mulierum* Equidem Vulgatus contrarium sensum habet, quasi is, de quo angelus apud Danielem c. 11. loquitur, futurus sit in concu-
§. 23. piscentijs mulierum. Et hunc aptius ac verius exprimere sensum spiritus sancti, ait Cornel. à lap. Comm. h. l. Idem tamen ait: *In Hebræo verba contrariè verti possunt cum LXX.* & in concupiscentiam feminarum & super omnem Deum non intelliget, (*Syrus*: non considerabit) quia super omnes magnificabitur. *Possunt etiam præcedentibus jungi, itaque verti cum Vatablo*: non curabit etiam Deos Patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam. *Quod primò sic S. Hieronymus & alij exponunt*; *q. d. Antichristus, licet occultè spurcissimus sit futurus, exterius tamen magnam præ se feret castitatem & simulabit se abominari concupiscentiam feminarum. Secundo & aptius, q. d. Antiochus & Antichristus, etsi mulierosi erunt, tamen ambitio eorum & crudelitas superabit luxuriam adeò, ut nec mulieres, nec Deos sint curaturi.* Quod ad occultum feminarum amorem à Pontifice R. contra professionem continentiæ exercitum attinet, vide apud D. Gerhardum Tom. 5. Loc. Theol. c. 11. s. 10. §. 263. Adde præfat. nostram ad fata urbis Romæ apocalypticæ seculo 8. 9. &c. Requirit autem translationem negativam præter textum evidentissimè hunc sensum offerentem, etiam allegatio Paulina 1. Tim. 4, 1. Sanctius C. ad v. 37. c. 11. Dan. & pro *at* interpretatur, ut affirmativum sensum obtineat. At sequens membrum ostendit esse copulativum. Quomodo autem illud odium erga amorem mulierum de amore conjugali sit capiendum, & Pontifex R. antichristiano spiritu illud exprimat, 1. Conjugalem cohabitationem immunditiem & pollutionem vocando, 2. eandem ad impedimenta pietatis referendo, 3. cum ejusdem contumelia cœlibatum laudando, 4. eandem ordini Ecclesiastico interdicendo, 5. concubinatum & vagas libidines in ordine Ecclesiastico tolerando præ conjugio, 6. lupanaria permittendo, 7. conjuges divinitus conjunctos separando &c. docet idem D. Gerhardus N. T. 7. de conjug. §. 51. quia *Antiochus Deum patrum suorum reputavit*: quia *Antiochus non persistet usque ad implementum vaticinij de resurrectione mortuorum.* † *Igitur præcipuè Antichristi cultus Missaticus quoque per nomen illud intelligitur*: *quod docet* tùm *consonantia quadam & collusio vocabulorum*: tùm *radix vocis à confirmando descendentis*: *robur enim Antichristianismi est Missa*: tùm, *quia loco baseos, in basibus altarium, destructa vera basi sacerdotalis honoris, instituta*: tùm, *quia singulari*

gulari veneratione in divinam transfertur tùm *virtutem ,* tùm *existimationem :* tùm, *quia suo colore, quo à Romanensibus tincta, nova est & sanctioris sincerioris que fidei patribus ignota :* tùm, *quia auro, argento & alijs ejuscemodi electitijs ornamentis penè est obducta :* tùm, *quia cultores suos multiplici ornat gloria, constituit dominos super multos, destinat terræ loco pretij possessores :* tùm, *quia clàm colitur, partim ratione linguæ, quæ maximæ auditorum parti ignota : partim ratione pronunciationis : fiunt enim quædam murmurando & mußitando : partim ratione adstantium : fiunt enim Missæ etiam unica tantum præsente persona : partim ratione loci : fiunt enim in specubus monasticis & idolomaniæ Romanæ dicatis : tum ratione ipsius numinis, quod plebi & simplicioribus ignotum est : nesciunt illi, quid revera Missæ ceremoniis colatur : tum ratione ipsius Antichristi, ille enim Missam quovis modo palliare, excusare, pingere & fingere solet, ut ejus verenda tegat & fœditatem involvat.*

CAP. III.

TYPUS MELCHISEDECHI EXAMINATUS, quousque se extendat, indicatum; sacrificium Missæ eo stabiliri nequaquam, ostensum.

ASSERTIO. *Illustrißimum fuisse typum Christi, Melchisedechum regem Salemitarum, sacerdotem altißimi, Epistola ad Hebræos docet. Eundem Melchisedechum sacrificij cujusdam incruenti sub panis & vini speciebus conficiendi, & continuata serie à quibusdam eò adstrictis sacrificibus exhibendi in N.T. typum prætulisse, sacris ignotum est literis : licet sacram cœnam aliquo modo repræsentasse epulum illud triumfatori Abrahamo sacrum, non negemus.*

EXEGESIS. *Equidem Herberus ad Missæ adstructionem hunc locum in frontispicium collocat & posito Hebræo, Chaldaico, Græco, Latino textibus institutaq́ cum Psalmo 110. collatione infallibiliter se concludere putat, duobus imprimis observatis.* I. *Ex Psalm.* 110, Hebræum דברתי *à* דברה cum Iod paragogico notare non imitationẽ, nec participationẽ sive durationis sive genealogiæ Melchisedechi, sed ritum, typum, similitudinem : quare & R. Aben-Esra expreßim dissertèq, על מנהג secundum morem, & Apostolus ad Hebræos §. 1.

κατὰ τάξιν ſecundum diſpoſitionem, aliàs κατὰ τὴν ὁμοιότητα, ſecundum ſimilitudinem juxta Chaldæam Pſalmi paraphraſin eſt interpretatus. Quin & Syrus omnibus in locis ijs, quibus hanc ſententiam Apoſtolus cum τάξεως nomine repetivit, conſtanter per nomen דמותה ſimilitudinis extulit. Quæ ſimilitudo cum in alijs multis per D. Paulum explicatis, tum vel maximè in illo alijs ſacerdotibus inſolito ſacrificij incruenti genere, ſpectabatur, quo Melchiſedech non ſanguinem aut carnes animalium, ſed ritu ſingulari panem & vinum ſacrificans Deo, incruentam Christi victi-
§. 2. mam præſignabat. † II. Cum Chriſtus ſit ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem, ritum, typum, atque inſtitutum Melchiſedechi, nullus verò ſacerdos verè ac propriè dictus ſine ſacrificio veri item ac proprij nominis juxta pronunciatum Apoſtolicum conſiſtere poſſit, nullum quoque USPIAM aliud ſacrificium æternum ad conſummationem ſeculi duraturum, & à temporario Aaronico diverſum, ÆTERNO CHRISTI SACERDOTIO RESPONDENS agnovit vel uſurpavit ab Apoſtolorum ævo Eccleſia, PRÆTERQVAM SACRIFICIUM MISSÆ. Ea porrò ſacrificij Melchiſedechiani cum Chriſti ſacrificio analogia IN EO, QVOAD MUNUS SACERDOTALE poſita eſt, quod ſicut Melchiſedech Deo panem & vinum obtulit, oblataque in gratiarum actionem pro Abrahæ victoria militibus diſpertijt. Ita Chriſtus gratias agens obtulit in cœna ultima panem & vinum ea conſecrando, atque admirabili actione, quam TRANSSUBSTANTIATIONEM vocant, in corpus & ſanguinem convertendo oblataque in diſcipulos diſpertiit, & jugiter idem ab iis in ſui ſuæque paſſionis ac mortis memoriam fieri præcepit. *Talis eſt forma.*

§. 3. † Quicunque *repræſentatur ab eo, qui panem & vinum in ſacrificium omnipotenti Deo obtulit, in hoc ipſo oblationis ſimulacro, ille panem & vinum quoque ſuo modo Patri cœleſti offerre in ſacrificium debuit, ſacerdotibusq; minoribus ut idem faciant mandare. Atqui Chriſtus eſt repræſentatus à Melchiſedecho ſeu præfiguratus, in ipſo oblationis ſacrificialis panis & vini ſimulacro. E. Chriſtus panem & vinum quoque ſuo modo Patri cœleſti offerre in ſacrificium debuit, ſacerdotibusq; minoribus ut idem faciant mandare.*

§. 4. † *Ad eundem ſcopum collimat* Alphonſus Salmeron *Tomo 9. Comment.*

Comment. in Evang. histor. tractat. 27. *pag.* 203. §. *secundis locis ad stabiliendam veritatem. Idem quinque argumentis hinc inde conquisitis demonstrare conatur* Pererius *in c.* 14. *Gen. disput.* 5. *num.* 72. *&* 73. *pag.* 542. *Idem prolixissimè aggreditur* Alphonsus à Castro Zamorensis *lib.* 10. *adversus hæreses fol.* 281. *Quod & magno conatu tentat. in Epist. ad Hebr. c.* 7. *a num.* 52. *usq;* 65. *pag.* 350. *& seqq.* Franc. Ribera Soc. Iesu Presbyter. *Amplissimè totam rem pertractat* Bellarminus *lib.* 1. *de Missa cap.* 6. *Tom* 3. *Controv. Operosus etiam hic est* Gregorius de Valentia *Sect.* 4. *Controvers. pag.* 688. *ed. Parisiens. & ante hos* Felicianus Capitonus Narniensis, Archiepiscopus Avinionensis *in Explicat. Cathol.* 18. *pag.* 35. *Novissimè autem hoc agit* Becanus *in lib. de tripl. sacrif. c.* 4. *Tom* 2. *Opusc.* Pistor. *in hodeget.* Cornelius Cornelij à Lapide *in Gen. ad hunc loc. edit. Antverp. an* 1618. Iac Gordon. Huntlæus *Tom.* 3. *Controv. cap.* 3. *Controv.* 9. *p.* 209. *edit. Col. Hæc cum infinitis alijs multitudo est errantium.* † *Respondemus ordine.* I. *Textum* §. 5.
ejusdemq; translationes proponendo. Textus Hebraicus sic se habet.

ומלכי־ צרק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון ויברכהו:

CHALDÆVS sic sonat.

ומלכי־צרק מלכא רירושלם אפק לחם רחמר רהוא משמש קרם אל עלאה: וברכיה

GRÆCVS, qui septuaginta adscribitur, est talis. Καὶ μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον. ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ ὑψίστου καὶ εὐλόγησε τὸν ἀβραμ.

Editio vulgata, quam IOH. BENEDICTVS PARISIENSIS THEOLOGVS *recensuit & notis illustravit Lutet. Anno* 1564. *ait:* At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.

SANTES PAGNINVS LVCENSIS, *quem Christ. Adrichomius Delphus, in descr. terræ sanctæ de Ierusalem n.* 242. *p.* 77. *vocat Concionatorem Apostolicum & fidum interpretem Bibliorum. in versione sua ita habet.* Porrò Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: & ipse cum esset sacerdos Deo altissimo possessori cœli & terræ, Benedixit ei.

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS *ita habet in Appar. Reg.* Et Melchisedech Rex Salem eduxit panem & vinum, Et ipse sacerdos Deo altissimo, & benedixit ei.

FRANCISCVS VATABLVS *ita vertit.* Et Malchi- sedec Rex

Salem protulit panem & vinum : & hic ſacerdos erat Dei altiſſimi, benedixitque ei.

EDITIO VVLGATA, quæ in Apparatu operis regij eſt, ita habet. At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. Benedixitque ei.

VERSIO SEPTVAGINTA INTERPRETVM ibidem Codici Regio adfixa ita habet. Et Melchiſedec Rex Salem protulit IPSI PANES & vinum : erat autem ſacerdos Dei altiſſimi, & benedixit ei.

CHALDAICÆ PARAPHRASEOS translatio in eodem apparatu ita habet. Et Melchiſedech Rex Ieruſalem adduxit panem & vinum : & ipſe erat miniſter coram Deo excelſo & benedixit ei.

SEBASTIANVS CASTALIO ita habet. Melchiſedechus quoq; Solymæ Rex & ſupremi Dei ſacerdos panem protulit & vinum, Abramumque fauſtis ominibus proſequens inquit, &c.

FRANC. IVNIVS ET IMMAN. TREMMELIVS ita habent. Malci-tzedeck autem Rex Schalemi proferens panem & vinum : prout hic erat ſacerdos Deo forti excelſo, benedixerat illi.

PSALMI verò 110. verſus 4. ita habet.

נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צדק:

ARIAS ita vertit. Iuravit Dominus & non pœnitebit : tu ſacerdos in ſeculum : ſuper verbum meum Melchiſedec.

LATINA VVLGATA quæ in op. R. ita vertit. Iuravit Dominus & non pœnitebit eum ; tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

LATINA VVLGATA, quam edidit Iohann. Bened. Pariſ. conſentit.

CAIETANVS CARDINALIS ita interpretatur. Iuravit Dominus & non pœnitebit: tu ſacerdos æterno, ſuper rem Malchiſedec.

SEPTVAGINTA ita transferunt. Ὤμοσε Κύριος καὶ οὐ μεταμεληθήσεται: σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ.

VERSIO hæc ita transfertur in COD. REG. Iuravit Dominus & non pœnitet eum : tu ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

CHALDAICA PARAPHRASIS ita traducit. קים יי במימריה דאנא מתמני לרבא לעלמא דאתי בגלל זכותא דהוית מלך זכי:

VERSIO LATINA op. Reg. eſt. Iuravit Dominus in verbo ſuo, me præfectum iri magnum (ſacerdotem) in mundo futuro, pro merito, quod fuerim rex immaculatus.

SANTES PAGNINVS ita interpretatur Hebraica. Iuravit Iehova & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in ſeculum ſecundum morem Melchiſedec.

FRAN-

FRANCISCVS VATABLVS ita reddit. Iuravit Dominus, nec pœnitet eum, ut tu ſis ſacerdos æternus ritu Melchiſedeci.

SEBASTIANVS CASTALIO ita traducit. Iurat Iova non mutaturus ſententiam, te ſacerdotem in æternum eſſe ad ordinem Melchiſedeci.

FRANCISCVS IVNIVS ET IMMANVEL TREMMELIVS ita habent. Iuravit Iehova & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in ſeculum ſecundum ordinem Malcitzedeki.

† *Quis verò ex textu aut textui ſubnexis variis interpretationib° atq; traductionibus ullũ ſacrificium Miſſæ, aut Chriſti quoad oblationem panis & vini Deo factam cum Melchiſedech conſonantiam agnoſcet, ſi tantum absq; mente ſiniſtro illo præjudicio informatá textum inſpexerit?* § 6.

† II. ℞. *Majorem propoſitionem negando. Non enim omnis ille, qui eſt repræſentatus ab eo, qui panem & vinum in ſacrificium omnipotenti Deo obtulit, in hoc ipſo ſimulacro oblationis, ille panem & vinum quoque ſuo modo patri cœleſti in ſacrificium offerre debuit, ſacerdotibusq; minoribus, ut idem faciant, demandare.* § 7. † *Etiamſi in illo ipſo ſimulacro oblationis panis & vini fuerit repræſentatus, non tamen idem ob id neceſſariò ſub pane & vino ſacrificare tenetur. Potuit enim id, quod in actu ſacrificationis & materia oblata repræſentatum de ipſo eſt, etiam* absque actu ſacrificatorio *poſſidere & adimplere ſumma aliqua & incomprehenſibili virtute. Potuit interna aliqua virtus ineſſe repræſentantibus ſive actui ſive materiæ, quam repræſentatus exhibet, licet vel actu vel materia ipſa non conveniat.* § 8. † *Potuit* alio aliquo objecto ſacrificiali *accuratius & divinius id exhibere, quod à typico ſacrificio in ipſo repræſentatum eſt, ut non opus ſit convenire materia repræſentans & repræſentatum. Potuit* in perſona ſacrificante & repræſentante *eſſe ſingularis aliqua ex divina ordinatione inſtitutoq; arcano nota, in qua repræſentatio fundetur, ita, ut fundamentum ejus ἀποτυπώσεως non ſit neceſſariò quærendum in ipſa materia per ſacrificium offerenda.* § 9. † *Potuit etiam inter repræſentatum & repreſentantem,* quoad actus ſacrificiales & objecta oblationum *eſſe concordantia: non tamen ob id neceſſarium eſt, ut etiam per minores quosdam ſacrificulos, id quod eſt repræſentatum in typo, continuato quodam, imò iterato tertiatoq; actu impleatur atq; exhibeatur; inprimis ſi antitypus ejus ſit efficaciæ & immenſitatis, ut acceſſum non patiatur: id quod exemplis è ſacra ſcriptura illuſtribus firmari poſſet.* § 10.

† III. *Negando etiam minorem.* Nam PRIMO, *Theologia ſymbolica non eſt argumentiva. Tota autem illa de Melchiſedeco argumenta-* § 11.

Sensus sacræ scripturæ literalis efficax. *mentationis substructio nititur figura. Figuræ verò nulla vis est in concludendo: nisi MANIFESTO ALIQVO SCRIPTVRÆ SACROSANCTÆ DICTO fiat illius accommodatio. Quia enim figurarum propositio & institutio est MERVM OPVS VOLVNTATIS DIVINÆ, quis accommodationem illarum intentionemq; nosse potest certam, nisi simul eadem voluntas divina institutrix figurarum & revelatrix accommodationem illarum eodem quo instituit instrumento eademque certitudine doceat.*

§. 12. † *MISSÆ verò figmentum à Melchisedeco figuratum esse, quis apex docet in universo sanctissimæ scripturæ theatro? Regerit equidem* Bellarm. *lib.1.de Missa cap.6.p.314.* Ex figuris dogmata fabricari posse, quando ex scripturis juxta communem patrum consensum intellectis colligitur expositio. Nó enim necesse esse, ut semper scriptura apertissimè loquatur, sed satis esse, si ita loquatur, ut, communem patrum interpretationem sequuti, sententiam ejus assequamur: ALIOQVI PAUCISSIMA AUT FERE NULLA ESSENT DOGMATA CERTA IN ECCLESIA. Iam verò scripturam Psal.110. testari, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, in quo autem consistat ille ordo Melchisedech, SCRIPTURAM APERTE NON EXPLICARE. Sed licet Scriptura NON APERTE dicat, in quo consistat ordo Melchisedech & figura sacerdotij Christi, tamen ita insinuare & indicare, UT PATRES SUMMO CONSENSU IN EANDEM INTERPRETATIONEM INCIDERINT.

§. 13. Sixti Senensis de sensu historico testimoniũ. † *Cui nos opponimus illustrem locum* è Sixti Senensis *Biblioth. sancta lib.3.pag.156.* Historicum expositionis genus infirmis summopere necessarium est, AD INSTRUCTIONEM EARUM RERUM QVÆ NOBIS CREDENDÆ SUNT: ad fidei confirmationem ac defensionem & ad redarguendum eos, qui resistunt veritati, & ad omnes hæreses convincendas. Nulla enim expositio ad probationem dogmatum inducta vim habet ac robur, nisi ea, quæ verè, purè & germanè literæ sententiam explicat. Nam cum aliæ explanationes sensus intra medullam abditos rimentur, indeque eos ex quibusdam rerum similitudinibus extrahere conentur, facilè ex similium rerum imaginibus falli possunt. Præsertim cum hæc spiritualium sensuum deductio & elucidatio cogitatione, discursu & inquisitione humani ingenij fiat, quod sæpè decipitur & crebrò in rebus obscuris fingere solet ea, ad quæ animus potissimum est vel naturâ vel exercitatione propensior. *Modestior & considератior hic, quam in seqq. ubi eos, qui literalem sensum spretis mysticis sequuntur, ait* DORMITANTI LITERÆ perpetuò assidere, & solis mortuis

mortuis syllabis & dictionibus incumbere, ut frigidi, sine spiritu,
exanimes & exangues. † *Addimus numerosi illius allegoriarum ar-* §. 14.
chitecti Hieron. Laureti Cervariens. Abbatis Guixolensis *in aditu*
ad Sylvam Alleg. judicium. Primum, *inquit*, jaciendum est funda-
mentum literæ, ut veritas historiæ teneatur, ne falso fundamento
allegoria innitatur. Corruet tota allegoriæ machina, si non veri-
tas historiæ teneatur. Deinde id cavendum, ne allegoria coacta,
violenta ac detorta proferatur, sed quæ maximè cum historia con-
gruat, licet non opus sit omnia, quæ in historia proferuntur, mi-
nutatim ad allegoriam deducere, sed solùm ea sunt accipienda,
quæ ad eum locum allegoriæ explicandæ sufficiant, ne multa fri-
gidè & ineptè interpretari cogamur. Licebit autem cuiq; SUPRA
FUNDAMENTUM LITERÆ allegoriam formare, modò pietati con-
gruat, nec ab alio loco, qui in scriptura habetur, dissideat. Illaque
est optima allegoria, QUÆ PER ALIUM LOCUM SCRIPTURÆ COM-
PROBARI POTEST. Estq; habendum pro regulâ, quod ait PETRUS
apud CLEMENTEM, sunt multa verba in scripturis divinis, quæ
possunt trahi ad suum sensum, quem sibi unusquisque sponte præ-
sumsit: quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrin-
secus attuleris, alienum & extraneum, debes quærere, quem ex
scripturarum autoritate confirmes: sed ex ipsis scripturis sensum
capere veritatis. † *Addimus etiam* Alfonsi à Castro Zamorensis *ex* §. 15.
lib. 1. adversus hæreses cap. 3. fol. 7. lit. a. testimonium. Cum ergò, *inquit*,
tot possint eidem literæ sensus accommodari, hoc advertendum
est, nullum eorum sensuum in argumentationem adducendum,
nisi qui verè & germanè literam explicat, quem literalem sensum
nostri Theologi appellant. Nam cum alij sensus intra literæ cor-
ticem magis lateant, oportet, ut ratiocinatione & discursu & per
quasdam rerum similitudines deducantur. In quibus deducen-
dis facilis est error, cum per humanam inquisitionem hoc fiat.
Quo fit ut solus sensus literalis efficax sit, ad dogma aliquod de-
struendum aut fulciendum. Conf. nostras Vindic. ad c. 4. Exodi
diss. 2. § 5.

† DEINDE *Omnes ipsius textus & sacrificij Melchise-* §. 16.
deciani circumstantiæ sacrificio Missatico repugnant.

Nam 1. sequeretur Christum etiam sub speciebus sacrificio-
rum Aaronicorum offerendum. *Cum enim ideò dicatur sub specie*
panis & vini offerendus, quia à Melchisedeco ex illorum sententia panis
& vinum oblata sunt: cur non ideò quoq; dicetur Christum etiamnum
hodiè

Hieronymi Laureti de Allegorijs judicium.

An Christus vi Missæ sub animalium

quoq; specie offerendus? *hodiè sub specie animalium & aliorum sacrificandi modorum offerendum esse, quia eadem fuerunt oblata & ita quidem oblata, ut repræsentarint Christum omnia. Paritas rationis paritatem desiderat consequentiæ, nec ratio indicari idonea ulla potest, cur repræsentatio sacrificialis sub pane & vino facta, magis obliget Ecclesiam ad imitationem sacrificatoriam, quam repræsentatio animalium?*

§. 17. An Christus vi Missæ etiam sacerdos secundum ordinem Aaronis? † 2. Sequeretur, Christum fuisse Sacerdotem non tantùm secundum ordinem Melchisedeci, sed & Aaronis. *Cum enim ideò dicatur secundum ordinem Melchisedec sacerdos, quia panem & vinum obtulit, cur non & secundum Aaronis ordinem diceretur sacerdos, in quo panis & vinum quoque apponebantur & offerebantur. Licet enim ordo Aaronicus panem & vinum tanquam partem aliquam reliquo sacrificio apponendam requisiverit, tamen 1. nihil impedit, quo minus etjam Christus hujus appositæ partis intuitu sit secundum ordinem Aaronicum sacerdos. Qui enim partem sacrificij adumbrantem tanquam prototypus seu figurâ eâ significatus exhibet, is eo modo ordinem sacrificij executus esse dicitur.*

§. 18. *† 2. Modus adessendi accidentalis & variabilis in uno & altero sacrificio non parit differentiam specificam inter ea: si tantum modo generali, nempe ut sacrificanda, adsint. Quia igitur accidentalis & variabilis hic modus est, adesse panem & vinum sacrificiale tanquam partes & condimenta, non parit essentiale discrimen inter ordinem Aaronicum & Melchisedecianum, quia generalis modus integer & perpetuus conceditur, nempe utrobique ad esse.*

§. 19. *† 3. Panis & vinum in sacrificio Missæ non adsunt, ut principalis & primaria res, sed tantum ut velamen & assumentum extrinsecum, ex mente Bellarmini: Non igitur ex ejusdem hypothesi parere poterunt essentiale & constans discrimen inter Aaronicum Melchisedecianumq; ordinem.* Gabr. Vasquez. Tom. 1. Com. & disp. in *3.* part. Thom. disp. *86. c. 4.* n. 31. non probat illam responsionem Bellarmini: Christum ideò non posse dici sacerdotē secundum ordinem Aaronicū, licet & Aaronici ordinis sacerdotes panem & vinum obtulerint, quia panis & vinum fuerunt pars accessoria sacrificij principalis; ille aliam subjicit, & ait; Melius respondetur, licet legatur, Leviticos sacerdotes obtulisse panem & vinum, nusquam tamen legi, utrumque simul obtulisse, aut ita per legem statutum fuisse. Panes quidem legi oblatos à Leviticis sacerdotibus Ex. 29. & Lev. 7. & 29. & 24. tamen sine vino. Contra verò legimus quidem, eos aliquando obtulisse vinum, Num. 28. non tamen cum pane, sed cum aliquo cruento sacrificio, ut condimentum illius, nempe in jugi sacrificio agni anniculi

niculi in quo offerebatur certa mensura ad libandum, sicut etiam ut condimentum ipsius offerebatur simila conspersa oleo. Solus Melchisedech obtulit panem & vinum tanquam unicum & integrum sacrificium. Sed nec sic effugit Gabriel vim consequentiæ. Nam 1. nullum est interdictum simultaneæ oblationis panis & vini, in institutione sacrificiorum Aaronicorum. 2. neque ex sententia Vasquez ita sunt in H. T. unum & integrum sacrificium panis & vinum, ut non potuerint separari & unum etiam planè omitti. 3. Ex 29,40. Omnino conjunguntur, decima ephæ similæ mistæ quarta hinis olei & libamen quarta hinis vini. Lev. 23,13. Munus Deo offerendum describitur decima ephæ similæ mistæ oleo, libamenq; ejus quarta hinis vini. Confer & Num. 28, 5.7. ubi cum agno, qui sacrificium per se erat, etiam alterum sacrificium ex simila & oleo parandum describitur.

† 3. Sequeretur, transsubstantiationem esse nullam in consecrationis sacerdotalis arcano illo præstigijsque varijs comto opificio, quam tamen tantopere jactitant sacrifici. *Nam Melchisedechus non transsubstantiabat panem & vinum magico quodam murmure, in aliud aliquod. In Missa autem excavantur quasi accidentia & transitus, imò interitus acceleratur substantiæ panis & vini fortissimo sacerdotis halitu. Sacrificium igitur Missæ in ordine accidentium consistit, cum Melchisedeci in substantiarum ordine constiterit. Imò deterior hac sequela efficeretur ratio sacrificij Missatici, quam Melchisedechiani, cum ignobilior sit sedes & conditio accidentium, quam substantiarum.* † *Licet enim, supponente* Bellarmino, *adsit in hoc sacrificio corpus & sanguis Christi, ignobilior tamen ejus conditio nondum cessat. In sacrificio enim Melchisedechi duo fuerunt, terrenum unum panis & vinum; & cœleste, nempe repræsentatio Christiani sacrificij, si fuit sacrificium, quod Melchisedechus protulit. Corpus igitur & sanguis Christi successerunt repræsentationi illi explêruntq; id, quod illa intentione sacra figuravit. Panis verò & vinum, ut Missæ sunt, deterioris tamen ratione suæ substantiæ sunt conditionis, quam ut in sacrificio Melchisedeci sunt, stante* μετουσιώσει. † *Et quod potissimum est, consumtio sacrificiorum cui dicitur respondere figmentum transsubstantiationis, post sacrificium Melchisedecianum demum facta fuit; ipsa verò transsubstantiatio in actu sacrificiali ponitur, diciturque à Bellarmino ipsa hostiæ in aram adductio & oculis divinis expositio. Transsubstantiatio igitur non est ex ordine sacerdotij Melchisedec. Aut Christus in prolatione panis & vini non est sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

§. 20. *Transsubstantiatio tollitur per sacrificium Missæ.*

§. 21.

§. 22.

Paucis; Subſtantio permanens non eſt typus accidentium ex abolititione ſubſtantiæ relictorum: perfectum non eſt typus imperfecti: Certum non eſt typus incerti. Præſertim, quoniam illa ſubſtantiæ abolitio nihil ad rationem myſterij pertinet.

§. 23.
Ποτηριοκλεψίαν tollit Melchiſedeci ſacrificiũ.

† 4. Sequeretur, illam poculi benedicti ſanguinis in ſacra cœna diſtribuendi inſtrumenti oblationem impiam eſſe & contra ordinem Melchiſedechi pugnare. *Nam ſacrificium Melchiſedech proferens, ex hypoth.* Bellarmini *panem & vinum, idem etiam omnibus & ſingulis reducibus è prælio feliciter peracto Abrahami militibus diſtribuit, & nemo illorum fuit, quem non ad participationem ejuſdem lubentiſſimè, non conſiderato aliquo diſcrimine perſonarum ordinumq; humanorum, admiſerit. Ille igitur ordinem Melchiſedechi, quem tantoperè jactant urgentq; Papiſtæ, rectiſſimè tenebit, qui panis viniq; Eucharistici ſacrificium omnibus & ſingulis cujuscunq; ordinis hominibus, divina tamen conſiderata ὑπεροχῇ diſtribuerit & communicaverit, quod dum non faciunt, qui Melchiſedeco ſacrificij hoc tantum genus vendicant ab ejusdem ordine exerrare ſe plurimũ & longiſſimè ſecedere confitebuntur.*

§. 28.
Vicariatum univerſalē Epiſcopi Romani tollit ſacrificium Melchiſedeci.

† 5. Sequeretur, Pontificem Romanum non eſſe Vicarium Chriſti, *ita ut ſit Chriſtianorm monarcha, à Deo aſſumtus, mortalium ſupremus, primæ ſedis præſul, Catholicæ Eccleſiæ primas, concilijs jure divino prælatus, autor, præſes, præfinitor, moderator, judex conciliorum, nec falli, nec fallere ſciens, nec judicari à quoquam hominum potis, à quo nulla provocatio, ad quem in rebus fidei provocatio, depoſiti Apoſtolici ſervator, à Chriſto & Spiritu Sancto traditæ doctrinæ dictator, ſacræ ſcripturæ cuſtos & cognitor, ejus interpres, conditor dogmatum, doctor orbis, judex controverſiarum de fide, hæreticorum ultor, innocens ab hæreſi,* impollutus & à peccatoribus ſegregatus, *cenſor librorum, antiſtes ſacrorum, claviger cœlorum, janitor regni cœleſtis, judex cœli, in judicio terreno ſupremus,* fons ſacerdotij, *princeps paſtorum, legiſlator, totius Eccleſiæ curator, judex Epiſcoporum, vertex religionis, patrimonij Apoſtolici juſtiſſimo titulo poſſeſſor atque paterfamilias, Chriſtiani imperij columen, imperij Chriſtianorum ſervator, unctor regum,* arbiter orbis, *indeficiens. His enim & alijs adjunctis Vicariatum Romani Pontificis evoluit quinquagenâ capitum integrâ* Abrahamus Bzovius Monachus *libro de R.P. Edit. Col.* 1619. ſequetur, *inquam*, non eſſe Vicarium Chriſti his eminentijs fulgentem Romanum Pontificem.

Tituli Papæ a Bzovio inſcripti.

§. 25.
† *Nullus enim Melchiſedecho ſucceſſit Vicarius: quod quidem vel ſacris literis, vel antiquitatis conſenſu teſtatum relictum eſſet, ſi ad ordinem Melchiſedecianum pertinuiſſet, ejusdem Vicarij inſtitutio. Quo*

ordine

ordine igitur Pontifex Vicariatum suum tuetur? Antichristi, opinor. Aut (quo pacto iterum ab Ordine sacerdotij Christi recedet) Romanus sacerdos erit Vicarius secundum ordinem Aaronis, à quo tamen ordinem sacerdotij N.T separavit Christus. Innuere hoc autem videtur Bellarminus, *lib.1.de R.P.cap.9.§.15.Tom.1.Controv.* Addo, *inquit*, ipsum etiam Aaronem non solum Christi gessisse figuram, sed Petri quoque & successorum ejus; sicut enim veteris legis sacrificia & sacrificium crucis significabant & simul typi erant ejus sacrificij, quod nunc offertur in Ecclesia, ita summus sacerdos Testamenti Veteris & Christum summum sacerdotem referebat, & simul typus erat ejus sacerdotij, quod nunc offertur in Ecclesiâ: eadem enim sacrificij & sacerdotij ratio est. Arrodere ausus fuit, cum totum Mysariæ opusculum nunc per viginti annos intactum steterit, me tunc Argentorato absente, hanc & alias consequentias è Melchisedeciano typo ductas *Simon Felix Iesuita Friburgensis* A.1625.*in Muscis morientibus.* Sic vocavit tractatum, quem Aranearum telis, à Iac. Reihingo D. Theologo Tubingensi dissipatis, opposuit. Non indicavit autem rationes animadversionis. Itaq; hunc apponimus Syllogismum. In quo præcisè Spiritus sanctus ὁμοιότητα Sacerdotij Melchisedeciani & Christi constituit, ejus oppositum non est permittendum ijs, qui sacerdotij Christi amatores sunt. Atqui in eo, quod Melchisedecus in theatro s. literarum repræsentatus est, ut μοναδικὸς sacerdos, cui neque antecessor legitur fuisse, quocunque nomine & titulo, qui quacunque relatione ad sacerdotium Melchisedecianum sacrificaverit, neque successor, aut Vicarius, aut quocunque alio titulo obveniens, quod sit se defuncto neminem nominandum consecutus, qui idem aut tantundem divino impulsu egerit. Ergo oppositum sacerdotis μοναδικοῦ, quod est sive successorem sive in ipso sacrificio habere Vicarium, non est permittendum ijs, qui sacerdotij Christi amatores sunt. Minorem probamus ex *c.7.ad Hebr.v.3.* ubi dicitur fuisse *sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, & manens εἰς τὸ διηνεκές.* Sicut S.Paulus eum vocat sine Patre & Matre & genealogia, quia planè sub hoc nomine ipsius parentes & genealogia silentio involvuntur, ad id adumbrandum, quod Christus sit juxta humanam naturam sine Patre, juxta divinam naturam sine Matre & genealogia, quia absolutè æternus uti in disp.ad c.13,8.ad Hebr. demonstratum est; ita etiam rectè ex eo, quod initium & finis dierum Melchisedeci non indicatur s.literis,

ipſe Apoſtolus colligit ὁμοίωμα Majeſtatis Chriſti, quod ſit abſolutè æternus, h.e. neque initium, neque finem dierum habeat. Quapropter ſi Apoſtolus ullo modo è ſ. literis convinci potuiſſet, aliquem ſive ſucceſſorem ſive Vicarium fuiſſe Melchiſedeci, illam Majeſtatis Ieſu Chriſti demonſtrationem conficere non potuiſſet. Apoſtolus autem pro fundamento ſuę aſſertionis habet ſilentium ſcripturæ. Idcircò quoniam ſilentium Vicarij perpetuum eſt, nobis pariter concluſionem Apoſtolicam imitari fas eſt. *Vaſquez* in 3. part. Th. T. 1. diſp. 86. cap. 2. num. 12. 13. quando ἀπαράβατον Chriſti ἱερωσύνην apud Paulum explicat, ita differit. *Aßimilatur ſacerdotium Chriſti ſacerdotio Melchiſedech etiam in eo, quod ſicut Melchiſedech dicitur ſine patre & ſine poſteritate, & ita nec ſucceßione & jure hæreditario ſacerdotium accepit, in quo differt ſacerdotium illius à ſacerdotio Aaron; nam Levitici ſacerdotes hanc electionem & ſacerdotium jure hæreditario accipiebant, ita etiam Chriſtus, & ſicut Melchiſedech nullum habuit in ſacerdotio ſucceſſorem, hoc eſt, cum non legatur Filios habuiſſe, non legitur alicui filio ipſius ſacerdotium ejus fuiſſe hæreditario jure derivatum; Ita etiam ſacerdotio Chriſti nullum ſacerdotium ſucceßit. Et quamvis ipſe ſui vicarios in terra ſacerdotes Evangelicos reliquerit, tamen ipſi non dicuntur Chriſto in ſacerdotio ſucceßiſſe, ſicut unus ſacerdos Leviticus alteri defuncto Levitico ſacerdoti ſuccedebat, quod ille amplius non eſſet ſacerdos, prohibitus ſanè permanere per mortem; ſed ſacerdotes Evangelici eatenus ſolum in hac vita dicuntur ſuccedere Chriſto, quatenus ipſe per ſe jam amplius Sacerdotis officium non exercet, quia tamen adhuc manet Sacerdos in æternum, ideò poteſtate ab eo in ipſos derivata vicarij ejus dicuntur.* Sed nihil agit Vaſquez. Nam S. Paulus, ut diximus, typi rationem in eo collocat, quod uti de Patre & Matre, ita etiam de ceſſatione atque fine Melchiſedeci in ſ. literis ſummum ſit ſilentium, adeò ut tanquam omnimodo unicus ſacerdos repræſentetur, cui nullo reſpectu aliquis etiam per vicarij cujuſcunque modum ſubjunctus fuerit. Qui enim ullo modo ſacerdotes vicarios in terris habet, ille non eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, judice Paulo. Etiàm in ſacerdotio Aaronico Chriſtus adhuc ἄσαρκος fuit certo modo ſummus ſacerdos. Nam officium Sacerdotale, quod Chriſtus in tempore inijt ſecundum humanam naturam, certo modo ab æterno & condito mundo, quatenus fieri poterat, exercebat. Nam uti ab æterno Sapientia divina interpellavit pro genere humano lapſo, ſponſione certiſſimè præſtanda ſacrificium ſuum, & ſatisfactionem

infinitam

infinitam offerens, unde dicitur ἀμνὸς προεγνωσμένος πρὸ καταβο-
λῆς κόσμου 1.Pet.1,19.20. ita etiam in tempore quaſi induebat ſeſe in
ſacrificia & in ijs Patri ſuo cœleſti ſuum καθολικὸν ſacrificium qua-
ſi proponebat, unde dicitur ἀρνίον ἐσφαγμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.
Apoc.13,8. Itaque hoc modo Aaron miniſter erat ſummi ſacerdo-
tis Chriſti, per incarnationem denique conſummandi.. Neque ta-
men ita ſibi ſubordinando & per modum vicariorum inſtituendo
Sacerdotes Aaronicos, aut in eos derivando poteſtatem, ſacerdoti-
um ad formam Melchiſedecianam compoſuiſſe dicitur. Itaque ut
ſecundum hunc ordinem inſtitutum dicatur ſacerdotium, requi-
ritur ut Melchiſedeci, ita & Chriſti quoad perſonam unitas, quo-
ad ſacrificium cum alia perſona quocunque modo ſubordinata
incommunicabilitas. Sacrificium in hoc ordine à ſolo & uno
Melchiſedeco miniſtratum in ſ. literis legitur. Ita & Sacrificium
N.T. quod illius ordinis, ab uno & ſolo Chriſto adornatum & cele-
bratum. Et ſic omnis vicarius excluditur.

† 6. Sequeretur, Chriſtum non eſſe offerendum ſub ſpecie §. 26.
panis & vini, aut formam antiquorum ſacrificioram remanſiſſe,
& ita figuram & veritatem ſimul ſtare potuiſſe. *Si enim Melchiſe-
decus obtulit excelſo panem & vinum eum etiam in finem, ut excellen-
tiſſimum quoddam* N.T. *ſacrificium adumbraret, ſi etiam certiſſimè re-
ipſa compareret in* N.T. *id & excellentiſſimè, cujus figuram in V.T. ſtitit
Deus, ſi ergò perfectiſſimo modo adumbratio illa & figuratio in* N. T. *im-
pleta eſt, quid opus eſt etiamnum indagare aut exquirere ſacrificium
quoddam figura panis & figura vini celebrandum. Figurarum ea ratio
conditioq; non eſt, ut illarum involucro inveſtitæ indutæq; res ipſæ com-
pareant. Ceſſant figurarum lineamenta, ubi rerum majeſtas illuceſcit,
& lucis fulgor exterminat umbras.* † *Itaq; cum extra controverſiam* §. 27.
*ſacerdotium legitimum ſteterit uſque ad mortem Chriſti, quo ſacerdotio
conſtante ſola ſacerdotalia legitima fuerunt, utique Miſſæ ſacrificium,
quod ante mortem ſuam Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech ex
ſtatuto Pontificiorum in ultima Cœna celebravit, non poterit dici legiti-
mum, quia conſtante adhuc ſacerdotio legitimo factum fuit ita, ut Le-
viticum ſacerdotium in ipſo terminatum nequaquam fuerit, ſed vigor
ejus in morte demum Chriſti* PROMVLGATA PROCLAMATAq; CON-
SVMMATIONE *exhalarit. Non legitimum verò dicere Miſſæ ſacrificiũ
primo quidem actu, facit ſuſpecta ejus natalia & ex ordine omni legiti-
mo excludit.* † *Certè, ſi oblatio & ſacrificium Melchiſedechi, fuit figu-* §. 28.
ra Chriſti, Chriſtus figuram ejus aut implevit, aut non implevit. Im-

Sacrificiũ Miſſæ tollitur ſacrificio Melchiſedeci.

plevit? Ruit igitur Missæ sacrificium: quod enim semel impletum, quotidie implēdum non est. Non implevisse autem, quis unquam Christianus dicere ausit? Et si adventu Christi exhibita fuit ea veritas, cujus Melchisedech erat figura, & nihilominus remanserunt species oblationis Melchisedeci, nempe species panis & vini, ergò figura & veritas simul stare possunt, quod affirmabit ille, qui omnem veritatis professionem ejuravit.

§. 29. *Vis propitiatoria tollitur è Missa per typū Melchisedeci.* † 7. Sequeretur, sacrificium Missæ non esse propitiatorium. *Quod tamen magno conatu* Bellarminus *1.* testimonijs V.T. 2. Verbis institutionis Eucharisticæ, *3.* confessione Apostolicæ autoritatis, 4. consensu antiquorum patrum Græcorum & Latinorum, 5. Conciliorum decretis roborare nititur *libro secundo de Missa, cap. 2.* sequeretur etiam non esse idem impetratorium, *quod iterum* 1. ex hostiarum natura, 2. ex mandato Apostolico, 3. ex Liturgijs, 4. ex scriptoribus veteribus, 5. ex subminiculo rationis, *sequenti capite stabilire vult.*

§. 30. † *Nam propitiatio aut impetratio quædam per Melchisedechi sacrificium facta non fuit. Fuerunt enim gratiæ tantum omnipotenti Deo agendæ maximæ, pro strage in hostes edita maximâ, pro spolijs è bello deportatis opulentissimis, pro victoria, manu impetrata exiguâ, admodum splendidâ, pro liberatâ regione ab invasorum tyrannide, & vindicatis alijs, quorum amissionem gemitu prosecuti fuerunt prius lamentabili. Hunc in finem benedixit Abrahamo & gratias egit altissimo Sacerdos ille Venerabilis; non autem ut iratum peccatis Deum hostiarum interventu propitiare aut aliquid impetraret.* Simon Felix Iesuita l. c. rursus inter flosculos absurditatis hanc ex typo Melchisedeciano deductam sequelam connumerat, nulla addita ratione. Existimamus autem illam optimè quadrare. Si enim sacrificium panis & vini Melchisedecus obtulit Deo, neque obtulit, ut hoc ipso propitium reddat Deum, & tamen hoc sacrificium omnium clarissimum est, in quo vis sacrificij Missæ maximopere explicata fuit, eccur non sequeretur, neq; sacrificium Missæ propitiatorium fuisse? Equidem Cornelius à Lapide ad c. 14. Gen. h. l. notat; Melchisedec prius panem & vinum obtulisse in sacrificium, scilicet partem panis cremando, partem vini libando, id est, effundendo coram Deo, in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ; deinde reliquam panis & vini partem in milites Abræ libandum, id est, participandum & comedendum distribuit. hoc enim moris erat, in sacrificio pacifico. Quamvis autem totum hoc facinus nullo fundamento s. literarum adstruat, ut planè ea facilitate negari queat, qua ille protulit, tamen hoc ipso incertum esse profitetur, an Mel-

an Melchiſedecianum ſacrificium propitiatorium fuerit? Ipſe e-
nim ad c.3. Lev. ubi de pacificis ſacrificijs agitur, ita ait: Erat du-
plex hoſtia pacifica, una erat in gratiarum actionem oblata pro
proſperitate obtenta, altera erat ad proſperitatem vel beneficium
alicui impetrandum. LXX. vertunt θυσία σωτηρίυ, hoſtia ſalutaris
aut ſalutis, h.e. hoſtia oblata pro ſalute. Chaldæus vertit hoſtia
ſanctificationis. Hebraicè vocatur hæc hoſtia זבח שלמים, quod
primò verti poteſt hoſtia pacificorum, id eſt, pacifica, quia hæc ho-
ſtia pacem quaſi faciebat inter Deum, Sacerdotem & offerentes,
eò quod in ea ſua victimæ pars cuique tribuebatur. Secundò ver-
ti poteſt victima tranquillorum, i.e. victima oblata pro quiete &
tranquillitate. Tertiò verti poteſt victima retributionum, i.e. vi-
ctima gratiarum actionis, ut vertit Ioſephus &c. Sit igitur hoſtia
pacifica, quam protulit Melchiſedecus, non tamen illicò erit pro-
pitiatoria. Idem Corn. ad c.14. Gen. Videtur Abraham ex Dan &
convalle Save ſive illuſtri domum rediens in Hebron, ſive ad con-
vallem Mamre, nonnihil deflexiſſe verſus Salem ad Melchiſedec,
ut Regem tam pium & tam celebrem viſeret, utque per eum pro
victoria adepta gratias Deo ageret & ſacrificaret.

†. 8. Sequeretur, non opus eſſe, ut à jejunijs adeatur hoc ſa-
cramentum & accipiatur, ſed fieri poſſe, ut etiam cibati potatique
benè illo fruantur: *Quod tamen tanta vehementia negat* Bellarmi-
nus, *ut etiam ex neceſſitate jejunij infallibiliter ſervandi neceſſitatem
infallibilem transſubſtantiationis evincere velit. Verba ſunt lib.3. de
Evchariſtia, cap.22. §.5.* Quarta ratio, *inquit*, eſt: quia ſi panis ſub-
ſtantia adeſſet, non poſſet corpus Domini ſumi, quin ſolveretur je-
junium, ex quo ſequeretur, ut nemo poſſet eodem die ſæpius com-
municare, ſiquidem ex decreto Apoſtolorum, teſte Auguſtino E-
piſt. 118. c.6. non niſi à jejunis corpus Domini ritè ſumi poteſt. Et
tamen conſtat, ante mille annos fuiſſe in Eccleſia morem, ut ſa-
cerdotes ter ſacra celebrarent in die natalis Domini, ut patet ex
Gregorij Homil. 8. in Evangelia: & præterea extra eum diem cer-
tis de cauſis permittunt Canones, ut unus presbyter ſæpius eodem
die ſacra faciat & corpus Domini ſumat. † *Cui tamen aſſertioni
Bellarminianæ contraria videtur alia* cap. ſeq. 23. §. antepenultimo,
*de accedentibus poſt tranſſubſtantiationem ſuperſtitibus nutrientibus
quoque.* Adde, *inquit*, ultimò, quod etiam ſpecies ſacramenti nu-
trirent, ſi IN MAGNA COPIA SUMERENTUR: ſicut enim divino
miraculo manent ſine ſubjecto, ita etiam nutriunt, ut Theologi
docent.

§. 31. *An à jejunis neceſſariò ſacrificandũ & communicandũ ex hypotheſi Põtificia?*

docent. *Qui enim eam corpoream rem accipit, quæ nutrit, ille accepta illa re non est jejunus. Accipit autem rem nutrientem, qui accidentia panis vinique accipit in sacramento Eucharistiæ. Quod utrumq; concedet* Bellarminus. *Quomodò igitur tuetur jejunij necessitatem, quam supra asseruit? Sed utut sit, jejunij in sacramento Eucharistiæ necessitas valdè periclitatur, si sacrificium Missæ ad sacrificium panis & vini fictitium Melchisedechi reducatur, ex ejusq; ordine promanasse dicatur.*

§. 33. † *Nam Melchisedechus hoc suum, quod ajunt Pontificij, sacrificium iis distribuit, quos noverat è spolijs hostium satis abundè refectos & plenos.* Nam, *inquit,* Bellarminus lib. 1. de Missa, cap. 6. §. Nono, ut scriptura habet, redijt Abraham ex prælio cum ingenti præda, in qua etjam erant ea, quæ ad cibum pertinent, ut illic dicitur: imò in fine capitis additur, milites Abrahæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. quid igitur opus erat pane & vino iis, qui spoliis abundabant & paulò ante comederant & biberant. †

§. 34. Nam, *inquit porrò Alfonsus de Castro Zamorensis lib.* 10. *adversus hæreses fol.* 283. quatuor illi reges, pro quibus pugnaverat Abraham, secum portari fecerant ea, quæ ad cibum erant necessaria, quibus Abraham illiusque servi sunt usi, prout Abraham ipse testatur, loquens ad Regem Sodomæ, qui omnia spolia præter animas ipsi offerebat: non accipiam, inquit Abraham, ex ijs quæ tua sunt, exceptis illis, quæ comederunt juvenes. Neq; enim opus erat, ut Melchisedech cibum & potum afferret bellatoribus, qui tam opimis spoliis è prælio revertebantur, omnem supellectilem captam secũ reducentes. *Hæc Castrensis. Prætereo alios è Pontificijs, quibus eadem mens, sententia eadem, qua etiam nos fortißimè constringi arbitrantur: de quo postea. Adeò certum est, Melchisedechum obtulisse panem & vinum cibatis tum sufficienter potatisq;.* Etiam hanc consequentiam in Muscis suis Simon Felix inter flosculos ridendos enumerat. Sed profectò nascitur è fundo Papistico. Si namque Melchisedec sacrificavit panem & vinum, deque sacrificio postea militibus Abrahæ distribuit, saturis jam à præda & opiparè cibatis, & est typus illustrissimus sacrificij perennis Missæ, ut vocant, quid obstat, quo minus in typo tam effulgens circumstantia communicantium etjam in antitypo effulgere possit.

§. 35. *An vinum aquæ admiscendũ* † 9. Sequeretur, vini cum aqua mixturam non esse in sacrificio Missatico aut in Eucharistiæ sacramento tentandam statuendamq; quod tamen *severè facit* Synodus Tridentina *sessione* 22. *cap.* 7. Monet, *ait,* deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia

sacerdo-

sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi beati Iohannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. *Consentit Canon anathematicus 9 pag.* 227. † *Ridiculus valde est hac in parte* Alfonsus Castrensis *lib. 6. Adversus Hæreses pag.* 177. Septima, *inquit*, hæresis est, quæ sic vinum in calice apponit, quod nullam penitus miscet aquam asseritque minimè miscendam esse. Hic est error Græcorum à Guidone Carmelita (*Bellarminus contradicit lib.* 4. *de Evcharist. cap.* 10. §. *quarto. Verba sunt*: Ejusdem erroris accusantur Græci, à Guidone Carmelita in Catalogo Hæreticorum & ab Innocentio III. lib. 4. de officio Missæ, cap. 32. Sed contrarium tamen colligimus ex ipsorum scriptis, tum veterum, tum recentiorum, ut infra ostendemus. Quare credibile est, Innocentium & fortasse etiam Guidonem per Græcos intellexisse quosvis Orientales, non auté eos, qui propriè Græci dicuntur) undecimo loco inter errores Græcorum locatus. Est etjam error Armenorum, quem Guido 24. ordine recenset. Pro ejus erroris reprobatione est unum hoc prius jaciendum fundamentum, quod modica scilicet aqua vino mixta in vini substantiam convertitur, aut in sua substantia sine conversione manens cum modicum sit minorisq; efficaciæ, quam vinum, non vertit vinum à suâ naturâ. Utrum autem horum sit verius, NON SUM ADEO DEMENS ut audeam definire, quod Innocentius III. Pontifex summus, vir alioqui doctissimus, non ausus est definire: prout in cap. cum Marthæ, tit de celebratione Miss. patet. † *Hæc Castrensis: qui necessitatem mixturæ, 1. exemplo & 2. miraculo Christi, 3. institutione Ecclesiæ, 4. antiquitate, 5. Liturgia Iacobi, 6. Conciliorum decretis stabilire attentat. Bellarminus ipse necessitatem mixturæ lib. 4. de Evch. cap. 10. §. 7. docet, dum ait*, Porrò Ecclesia Catholica semper credidit ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti. *Constat igitur apud omnes Pontificios, aquam admiscendam vino.* † *Quæ tamen vino à Melchisedecho nullo modo admixta fuit, cum id nec sacræ literæ apice quodam innuant, nec ipsi Pontificij asseverare audeant. Excellentissimus autem typus, imò unicus plenarius & perfectus sacrificij Melchisedechianus statuitur. Debuisset igitur hanc quoque mixturæ sine gravi peccato non omittendæ necessitatem non silentio præteriisse. Aut hoc cum argumentis aliis as-*

[Margin notes: *ex hypothes. Pontificia?* (beside lines 1–3); §. 36. (beside "repræsentatur. Consentit Canon…"); §. 37. (beside "cum Marthæ…"); §. 38. (beside "quam admiscendam vino…")]

sumimus, ut concludamus, Missaticum illud spectaculum, chaos abominationum, cum sanctissimo & beatissimo Melchisedechi ordine nihil commune habere. Fuisse autem in Melchisedechi prolatione solum vinum ipse etiam Cardinalis Bellarm. *concedit l.4.de Evcharistia*, §.*antepenult.c.10.* Hanc quoque consequentiam sine ulla ratione refutationis inter absurditatis flosculos collocat Simon l. c. Educta est verò ea methodo, quam nec ipsi Pontificij defugiunt. Thomas Henrici diss.de Evchar.antith.1. probatur[9], debere in S.cœna adesse verum panem & vinum, utitur exemplari primæ cœnæ. Et rectè. Cur non etiam liceret nobis uti typo, quatenus ab ipso exemplari non dissentit? Sanè licet concludere; in Sacramento Evcharistiæ oportet adesse verum non solum, sed & merum panem, qui lacte, uvis & esculentis alijs non sit permixtus, quia veri & meri panis duntaxat fit mentio. Ita & licet concludere, in sacra evcharistia oportet adesse verum & merum vinum, quia & in prima cœna & in Melchisedeciano typo solum veri & meri vini fit mentio. Sic & Bellarminus negat, Mincha Aaronicum convenire cum sacrificio Melchisedeciano, quia Melchisedecianum non fuit perfusum oleo. Unde hoc probat? Nonne exinde, quia in historia Melchisedeci non legitur facta olei mentio?

§. 39. *An Christus ipse in prima cœna obtulerit?*

† 10. Sequeretur, Christum ipsum in prima cœna obtulisse sacrificium in Deo Patri pro peccatis viventium & mortuorum. *Quia enim Melchisedech ipse, tanquam sacerdos Dei altissimi, sacrificavit, ut volunt Pontificij omnes & singuli, quia porrò in hoc unico consistit accuratissima inter Melchisedechum adumbrantem & adumbratum Christum in sacerdotali dignitate harmonia & convenientia, ut quemadmodum Melchisedech panem & vinum obtulit, ita etiam Christus panem & vinum obtulisse dicatur juxta eosdem: utiq; Christum ipsum sacrificasse dicendum erit necessariò.*

§. 40. † *Quod fatetur etiam* Alfonsus Salmeron, *Toletanus Iesuita, Tom. 9. Comment. in Hist. Evang. tract. 27. pag.* 204. Nec illud item est validum, si quis dicat Christum per alios offerendo esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, eò quod per nos tantùm, non per seipsum obtulerit in pane & vino. Id enim esse falsum deprehenditur: tùm quia otiosa fuisset potestas illa in persona Christi, quæ in actum non prodiisset, sacrificando secundum illum ritum Melchisedec, cum tamen dicatur, TU ES SACERDOS, nimirum IN PERSONA TUA; At sacerdotis proprium munus est, offerre dona & sacrificia pro peccato, ut ad Hebræos tradit Apostolus: tùm etiam, quia cum sacerdotis sint

munera,

munera, docere, exemplo paſcere, benedicere Laicis, & denique offerre; ſi Dominus reliqua omnia, id eſt, orationem, doctrinam, exemplum per ſe ipſum exercuit, ergò & offerre incruentè in pane & vino. Ipſe ergò primus, ut ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech obtulit, & alios offerre docuit: atque hæc offerendi poteſtas continua perpetuo perſeverat uſque ad judicium, quam per
ſacerdotes, ut ad miniſtros exercet. † *Sequuntur Salmeronem alij* §. 41.
etiam Doctores Pontificij, qui neceßitatem ſacrificationis in prima cœna à Chriſto factæ urgent, ut Heinr. Heinrique. Ægid. Conincius & alij. Vtut autem hoc urgeatur ab ijs, ſunt tamen Pontificij plurimi, qui Chriſtum in prima cœna obtuliſſe negant: unde reliquorum judicio ſequitur, Chriſtum in prima cœna non fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem
Melchiſedech. † *Concedit id nobis* Alfonſ. Salmeron *loc. cit. pag.* 198. §. 42.
Fuerunt, *inquit*, & noſtro ſeculo quidam Catholici, qui pro Eccleſia ſcriptitarunt, aſſerentes, Chriſtum non obtuliſſe, ſed benè no-
ſtros ſacerdotes offerre. † *Conſentit in hiſt. Concilij Tridentini* Pe- §. 43.
trus Suavis Polanus, *qui putatur eſſe* Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, *lib. 6. pag.* 617. Quæ, *inquit*, inter Theologos fuit controverſia, eadem quoque tranſijt ad præſules doctrinæ & anathematis conficiendis deputatos, quæ in congregatione poſtmodum proponerentur. Cum enim doctrinæ capitibus inſerendæ eſſent probationes explicationesque, cur Miſſa ſit ſacrificium, ut quisque variè afficiebatur, hic unam, ille aliam aut probabat, aut repudiabat. GRANATENSIS diſſidens ab omnibus, neque ſinebat id dici, Chriſtum obtuliſſe in Cœna, neque ſacrificium inſtituiſſe his verbis. CARDINALIS SERIPANDUS, alterum ducebat minimè neceſſarium, eoque omittendum; cum ſufficiat Chriſtum oblationem inſtituiſſe? ſed neceſſe eſſe exprimere, quibus verbis inſtitutio fiat, neque præter jam dicta alia reperiri. At IOHANNES ANTONIUS PANTUSA EPISCOPUS LITERANENSIS, affectibus ſuis indulgens, rationes omnes decreto inſeri poſtulabat, tàm de Melchiſedecho & ex Malachia Prophetâ, quàm de adoratione mulieris Samaritanæ & menſis D. Pauli & oblatione Chriſti in Cœna & alias ſupra allegatas. & pag. 645. Decreto, *inquit*, ſic recitato, aſſenſum eſt à patribus, niſi qua parte Chriſtus ſeipſum offerre dicitur: cui ab Epiſcopis tribus & viginti eſt reclamatum. Erant, qui dicerent, utcunque id verum eſſe crederent, hujuſce tamen nec loci eſſe nec temporis, id determinare. Vnde ſuffragia non abſq; aliqua confuſione pronunciata, multis eodem

 tempore

tempore loqui adnitentibus. Ab ARCHIEPISCOPO GRANATENSI factum dissentiendi initium, qui cum in congregationibus assensum non accommodasset, ne in sessione idem factitaret, constituit

§. 44. omninò cœtui non interesse. *Hæc Polanus.* † *Adeò incertum fuit, num Christus in prima cœna sacrificarit ipse, suumque corpus Patri sub pane, sanguinemque sub vino obtulerit, ut ipsi Concilio Tridentino non adamußim constiterit, imò multi magnæ & invictæ autoritatis Episcopi negaverint. Illud igitur incertum erit, an Christus Melchisedechi typum in sua persona* SACRIFICANDO PATRI COELESTI SUB PANE ET VINO *gesserit unquam?*

§. 45. *An nulla sit successio in sacrificio Missæ ex hypothesi Pötificiâ?*

† II. Sequeretur, tantùm in sua persona Christum sacrificasse corpus & sanguinem suum sub panis & vini speciebus. *Quod non concedent Pontificij, qui magno conatu nutuq; de inevitabili & necessaria continuatione sacrificij Missatici disserunt: imò hoc unum sacrificium stabiliendæ Christianæ religionis fundamentum basinque autumant, cui superstruatur etiam reliqua sacrorum divinorumq; cultuũ series. Hoc itaque fundamento ipsis sublato cadit sacrificulorum otiosa illa caterva, cadit totuplex officiorum in Synagoga Romana distinctio, cadit supremum illud & fictitiæ potestatis majestatisq; opinione tumens caput Pontifex Romanus, cadit locus purgandis residuis animarum beandarum navis vitiisq; dedicatus, cadit tot monasteriorum collegiorumque ineptißima soboles, cadit amplißima uberrimorum salariorum è proventibus splendidißimis redditio, cadunt alia, quæ tanta ostentatione Romanensis schola plebeculæ simplicißimæ proponit. Vt adeò certum*

§. 46. *sit, consectarium illud ægrè nobis concessum iri.* † *Concedere autem cogentur hypothesi sua stante. Quia enim contendunt Christum secundum ordinem Melchisedechi sacerdotem esse: ordini autem Melchisedechi hoc annexũ est, ut nullus alius, præter solum Melchisedechum, in eo ordine sacrificarit, sequeretur, in Christiano quoque sacerdotio, quale Pontificiorum dogmata parturiunt, imò peperisse jam videntur, quod secundum ordinem est Melchisedechi, nullum alium sive superiorem sive inferiorem agnoscendum esse sacerdotem, præter unum solumque Chri-*

§. 47. *stum.* † *Id quod Salmeron verbis supra allegatis concesßit sequela decima, ubi ait,* Nec illud item est validum, si quis dicat, Christum per alios offerendo esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, eò quod per nos tantum, non per se ipsum, obtulerit, in pane & vino: id enim esse falsum deprehenditur, quia otiosa fuit potestas illa in persona Christi, quæ in actum non prodiisset, sacrificando, secundum illum ritum Melchisedech, cum tamen dicatur, TU ES

SACERDOS

SACERDOS, nimirum IN PERSONA TUA. Ille locus *vi suâ nil probat, nisi Christum in PERSONA SVA esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non autem esse sacerdotem in hoc ordine ex persona aliorum.* Non placet & hæc consequentia Simoni in aranearum telis muscas consectanti. Sed non potest ejus defugere vim. Ita enim concludimus. Aut successorem habuit Melchisedecus, qui post ejus obitum panem & vinum offerre solitus sit Deo, aut Vicarium, aut post ipsum planè nunquam & nuspiam ille ritus usurpatus fuit. Si successorem habuit, quomodo ergò discernetur ab Aaronico ordine? Quomodo constat vis Paulinæ argumentationis? Unde verò constat, eum habuisse Vicarium? Quid verò dicet Paulus? qui negat πλείονας fuisse ἱερεῖς cogitandos, quia Melchisedecus proponitur, ut non habens initium dierum, aut vitæ finem. Ergò post Melchisedecum planè nunquam & nuspiam ille ritus Melchisedeci usurpatus est. Dicat ergò, cur ultra personam Christi alibi & ab alio panis & vinum Deo offerenda sint, si omninò in prima cœna oblata fuisse non inficias iremus.

† TERTIO. *Melchisedechus à Patribus & Pontificijs quoque frequentur dicitur esse SEMVS ipsius Noachi filius.* §. 48. *Melchisedecus fuit Sem, secũdum Pontificios.*

Vnde colligitur, ipsum non habiturum oblaturumque fuisse aliud sacrificium, quam illud, quod Noachus ipse ex divino mandato antecessorumq; sanctißimo instituto obtulit. Vnde igitur nova illa panis & vini oblatio Deo facienda originem traxit, aut Melchisedechus ejusdem offerendæ celebrandæque mandatum accepit, aut quibus sacri textus circumstantijs illud tandem evincetur? † *Ita autem loquitur liber Gen. c.8 v.20. Scilicet post diluvij calamitates horrendas omnes ad finem deductas.* Noë ædificavit altare ipsi Iehovæ, tulitque ex omni animali mundo, & ex omni volatili mundo obtulitque holocausta in altari illo. † *Ad quæ verba* Pererius *disput.* 12. *pag* 379. Notandum est primum hoc loco fieri mentionem altaris excitati ad cultum Dei; an autem ante usus fuerit altarium, nec ne, incertum est. Id verò genus divini cultus cognovit Noë majorum suorum traditione, vel per expressam Dei revelationem, vel tacito Dei instinctu. † *Non debuit igitur Sem, tanquam primogenitus* Noë, *& ob id Sacerdotali dignitate illustris in illa familia recedere ab illo sacrificandi more, majorum traditione, vel per expressam Dei revelationem, vel tacito Dei instinctu recepto. Si ergò sacrificavit, sacrificavit sacrificia usitata, nec novo ritu novam materiam suis sacrificijs adaptavit.* Erant autem usitata Patriarchatum sacrificia non alia, quam quæ postea in monte Sinai

§. 49. (beside "cumstantijs illud tandem evincetur?")
§. 50. (beside "altari illo.")
§. 51. (beside "† Non debuit igitur Sem")

te Sinai divina autoritate restaurata in formam atq; ordinem certum collecta, certis definita ritibus, loco peculiari alligata & preceptionibus cœlestibus auctiora Moses acceperat & Israelitis exposuerat, quæ nos verbo Dei etiamnum comprehensa in Pentateucho legimus.
§. 52. † *Illi autem qui Melchisedechum ipsum Semum affirmant sunt plurimi. Licet enim ORIGENES de Melchisedecho Pontifice differens, asseruerit, eum non hominem fuisse sed angelum, quem errorem illi tribuit* Hieronymus *in Epistola ad Evagium, ita scribens:* Statim in fronte Geneseos in prima homiliarum Origenis reperi scriptum de Melchisedech, in qua multiplici sermone disputans illuc devolutus est, ut eum angelum dixerit: iisdemque penè argumentis, quibus scriptor, qui Melchisedech Spiritum Sanctum facit: transivi ad Didymum sectatorem ejus & vidi hominem pedibus ivisse in Magistri sententiam. *Hæc Hieronymus, forte per homiliam primam Tomum primum intelligens.* Nam in prima ORIGENIS homilia quæ nunc in Genesin habetur, nulla est Melchisedech mentio.
§. 53. † *Excusari tamen potest ORIGENES ex diversitate opinionum, quæ hac de re inter veteres fuerunt, apud quos, ut* Hieronymus *ad Evagrium testis est, famosissima quæstio fuit super Melchisedech Pontificis persona. siquidem, ut EPIPHANIUS refert lib. 2. adversus hæreses, hæresi 55.* innominati quidam hæretici dixerunt Melchisedech fuisse unigenitum ipsum ac naturalem filium Dei, qui in humana specie Abrahæ apparuerit. Idem statuit P. Cunæus de Rep. Hebr. l. 3. c. 3. p. *396. Et* Hierax Ægyptius *qui Græcè & Ægyptiacè in Hexameron docta, sed hæretica elaboravit commentaria, putavit ipsum esse Spiritum Sanctum. Imò Melchisedeciani hæretici, quorum autor fuerat THEODORUS ARGENTARIUS, id ipsum existimarunt esse magnam quandam virtutem Christo superiorem, à qua ipse Christus ordinem sempiterni Pontificatus acceperit.*
§. 45. *Et IUDÆI arbitrati sunt, illum fuisse hominem quidem justum & sacerdotem Dei altissimi, velut divina habet scriptura, sed ex impura meretrice & fornicatore viro progenitum & ob id parentes ejus in sacris literis non referri. IRENÆUS ET HIPPOLYTUS scripserunt, fuisse regem Hierosolymæ, quæ primum Salem, postea Iebus, ad extremum Ierusalem appellata sit. quorum opiniones* Hieronymus *in prædicta ad Evagrium epistola relinquens affirmat Melchisedech non fuisse regem Salem, quæ postea Ierusalem dicta est. Sed regnasse eum in Salem, oppido, juxta Scythopolim Regionis Sichem in tribu Ephraim, ubi palatium Melchisedech fuisse magnificum ex magnitudine ruinarum deprehenditur, Vide de opinionum illa diversitate*

versitate Sixtum Senensem *libro quinto Bibliothecæ sanctæ annotat.* 90.*pag.*33.*edit Lugdun.* † *Quin & in libro quæstionum V.& N. Test.q.* 109.*qui liber* Augustini *operibus accensitus est, multis argumentis nititur autor probare, Melchisedech non fuisse hominem purum, sed quandam DEI virtutem, videlicet Spiritum S. qui tunc in forma humanâ apparuerit, quemadmodum postea filius Dei in carne apparuit.* † *Quem errorem expendens ALFONSVS CASTRENSIS lib.*10.*adversus hæreses, negat librum illum, qui inscribitur de quæstionibus V.& N. Testamenti, esse AVGVSTINI, quamvis sub nomine ejus circumferatur & præter alia argumenta, quæ ad hoc convincendum affert, (quod & FELICIANVS CAPITONVS Narniensis, Archiepiscopus Avinionensis, in explic.* 18.*p.*34.*facit,)* hoc unum censet efficacissimum, quod hanc sententiam Augustinus *in libro de hæresibus ad Quodvult deum, ponit in trigesimo quarto loco, tribuens eam hæreticis, quos Melchisedechianos appellat. Non est autem verisimile, Augustinum fuisse tam stupidum, ut hæreticam assertionem & à se damnatam docuerit. quam etiamsi alicubi docuisset, oportuerit illum eandem in libris retractationum recantasse. quod tamen in toto decursu ejus operis nusquam ab eo factum reperitur.* §. 55. §. 56.

† *Qui igitur inter alios Melchisedechum ipsum Semum esse affirmat, est EVCHERIVS EPISCOPVS LVGDVNENSIS, qui vixit temporibus* Theodosij *junioris &* Valentiniani: *& sub* Valentiniano *&* Marciano *Imperatoribus obijt circa annum Domini* 433. *ut scribunt* Gennadius *de Viris illustribus &* Ado Viennensis *in Chronico. Existimat tamen* Baronius *Cardinal. Tom.*5. *Annal. hos autores falli, &* Eucherium *vixisse ultra annum Domini* 463. *quia invenitur Eucherij nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilij Aurasicani secundi & Arelatensis tertij. Sed suspicatur* Bellarminus, *lib. de scriptoribus Eccles. ab Anno Dom.* 400. *pag.* 217. *Eucherium pervenisse etiam ad annum quadringentesimum nonagesimum nonum. Cum in vita Sancti Cæsarij Episcopi Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Cæsario Arelatensi: Cæsarium autem fuisse in vivis tempore Symmachi Papæ, qui sedere cœpit Anno* 499. † *In Commentarijs in Genesin, (quæ citat* Bellarminus, *ut probet Gen* 4.*v.*7. *intelligi debere de peccato, non de Abele Caini fratre, ut inde liberum arbitrium deducat lib.*5. *de grat. & lib.arb.c.* 22. *& verum sacrificium offerri in Missa, lib.*1. *de Missa cap.*6. *citat ea quoque* Garetius *de Invocatione sanctorum pag.*68 *ut eam stabiliat.) lib* 2.*cap.*17.*ait.* tradunt Hebræi Melchisedecum esse SEM primum filium Noë & eo tempore, §. 57. *Eucherij Lugdunẽsis testimonium de Melchisedecho.* §. 58.

quo

quo ortus eſt Abraham, habuiſſe ætatis annos CCCXC, qui ita ſupputantur. Poſt diluvium anno ſecundo, cum centum annorum eſſet SEM, genuit Arphaxat. poſt cujus ortum vixit annos D. hoc eſt ſimul DC. Arphaxat Anno natus trigeſimo quinto genuit Sale, qui & ipſe natus tricenarius genuit Heber: quem triginta quatuor Annorum legimus genuiſſe Phalec. qui rurſum expletis annis triginta genuit Rehu, qui & ipſe poſt trigeſimum & quintum annum edidit Seruch; de quo cum ad 30. perveniſſet annos genuit Nachor, qui 39. annorum genuit Thare, quem legimus, quod ſeptuagenarius genuerit Abraham & Nachor & Aran. Supputa per ſingulas ætates annorum numerum & invenies ab ortu SEM, uſq; ad generationem Abraham CCCXC annos. Mortuus eſt autem Abraham centeſimo & ſeptuageſimo quinto ætatis ſuæ anno. Hac ratione deducta invenietur SEM abnepoti ſuo decimi gradus Abrahæ ſupervixiſſe annos XXXV. Simulque de hoc tradunt, quod uſque ad ſacerdotium Aaron omnes primogeniti ex iſtius genere, cujus ſeries & ordo deſcribitur, fuerint ſacerdotes & Deo victimas immolarint & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau fratri ſuo Iacob vendiderit, &c.

§. 59. *Epiphanij contra Eucharium teſtimonium de Semo.*

Hanc ſententiam refellens EPIPHANIVS ait rationem temporum ei prorſus adverſari. Putat EPIPHANIVS, cum Melchiſedech occurrit Abrahæ, fuiſſe tunc Abraham annorum circiter nonaginta: ſed recte Pererius *Comm. in Gen. pag. 540. num 64.* Reſpondet, Epiphanium in hoc lapſum eſſe. Nam infra Gen. 16. aliquanto ſcilicet poſt hunc occurſum tempore, legimus Abraham cum uxorem duxit Agar ancillam fuiſſe annorum octuaginta quinque. Deinde

§. 60. falſam eſſe illam opinionem ſic argumentatur Epiphanius. Sem non vixit amplius ſexcentos annos, ut traditur Geneſ. 11. ſed ab ortu Sem uſque ad nonageſimum ætatis Abrahæ annum, quo tempore contigit, quod hic ſcriptum eſt de Melchiſedech, numerantur anni mille centum triginta: vel ſecundum aliam chronologiam ſexcenti triginta octo, ergò ante hunc occurſum Abrahæ & Melchiſedech jam mortuus fuerat Sem, ſecundum priorem quidem Chronologiam annis quingentis triginta, ſecundum alteram verò Chronologiam annis viginti octo. Non igitur filius Noe potuit eſſe Melchiſedech. Verum hæc argumentatio, judice Pererio, planè nulla eſt: quippe quæ nititur mendoſa ſupputatione annorum à diluvio uſque ad Abraham, quam ille in vitiatis LXX. interpretum codicibus legerat. Etenim cum à diluvio uſq; ad ortum

Abrahæ

Abrahæ anni non plures ducentis nonaginta duobus numerentur, Gen. 11. Sem verò, qui vixit sexcentis annis, tempore diluvij centum fuerit annorum, necesse est, ut ab ortu Sem, usque ad nonagesimum annum Abræ, quo anno secundum Epiphanium evenit, quod hoc loco traditur de Melchisedech, recenseantur anni quadringenti octo. Tantum igitur abest, ut tum mortuus fuerit Sem, ut post id temporis annos centum viginti supervixerit. *Simul igitur responsum est PROCOPIO GAZÆO SOPHISTÆ qui cap. 15. Comment. in Gen. pag.* 121. Quidam, *ait*, admodum stultè opinantur Sem esse Melchisedechum. Verum id impossibile est, supra enim cum ejus genealogiam explicaremus, patuit, quod nec Tharæ tempora assequi potuerit, *&c.*

† *EVCHERIVM sequitur NICOLAVS LYRANVS cujus ad hunc locum verba sunt hæc.* Ideò vera expositio est ista, quod Melchisedech erat Sem, primogenitus filius Noe, qui adhuc vivebat, quod patet, si computentur anni ejus; sed contra hoc arguitur, quod ad Hebr. 7. dicitur de Melchisedech: sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: quod non potest dici de ipso Sem: ergò non est idem homo. sed ad hoc respondetur à doctoribus nostris, quod hoc dicit Apostolus, non quod Melchisedech non habuerit patrem & matrem, sed quod scriptura non facit mentionem ejus. sed adhuc videtur argumentum remanere, quod scriptura facit mentionem de patre Sem & matre ejus & genealogia & de principio vitæ ejus & fine. Dicendum, quod verum est: sed hoc non est sub nomine Melchisedech, sed solum sub nomine Sem & sic intelligit Apostolus & doctores sancti: quod sub nomine Melchisedech non fit mentio in scriptura, de patre & matre ejus, nec determinat etiam de genealogia, nec de principio & fine vitæ suæ: Erat enim sacerdos Dei altissimi, quod pater erat omnium eorum, qui remanserant in cultu DEI. §. 61. NICOLAUS DE LYRA.

† *LYRANVM sequitur* Commentator diu Anonymus *in Psalmos, autor Priscus, Compluti in Hispania editus, cum elogio FRANCISCI VERGARÆ Græc. Lit. in Complut. Acad. P.P. recusus post & inscriptus GEORG. DRASCOVITIO Archiepiscopo Colocensi & Baciensi, Episcopo Iavriensi Lugd. An.* 1581. *nuper verò inventus MICHAEL AYGVANVS AVGVSTINIANVS. Verba ad Psal* 109. *pag.* 218. *T.* 2. *sunt.* Ubi notandum, quod secundum glossam, quæ habetur ad Hebræos septimo, tradunt Hebræi istum Melchisedech fuisse Sem filium Noë. Et quando Abraham natus est, ipsum trecentos & nonaginta annos §. 62.

 habuisse.

habuisse. hic Abrahæ nepoti suo obviavit, quando revertebatur de cæde quatuor regum, de quibus dictum est in principio istius Psalmi, & panem & vinũ obtulit IN REFECTIONEM EIUS ET SUORUM.

§ 63. *Alfonsus de Tostato.* † *Hunc sequitur* ALFONSUS DE TOSTATO EPISCOPUS ABULENSIS HISPANUS *in magno illo, quod scripsit in Genesim, Opere, Venetijs excuso. Iste Sem, inquit pag. 56. est, qui vocatur infra cap. 14. Melchisedech, & pag. 251.* Fuit facta Jerusalem, *inquit*, multum ab antiquo, scilicet citò post diluvium, cum cœperunt civitates construi & in hac regnabat Melchisedech scil. Sem, filius Noë, qui Noë diviserat ipsam terram filio suo Sem, licet Cananæi eam tum violenter detinuerint & non est Melchisedech nomen proprium, sed commune & compositum & significat id, quod Rex meus justitiæ: quod autem iste fuerit Sem, satis patet, quia Sem vixit sexcẽtis annis, ut patet supra 11. cap. qui computati veniunt ad annum quadragesimum vitæ Jacob.

§. 64. *Thomas de Vio Cajetanus.* † *Hunc sequitur* THOMAS DE VIO CAIETANUS CARDINALIS *in Gen. pag. 36. edit. Rom. 1531.* Ajunt Hebræi, hunc fuisse Sem filium Noe & potest esse verum, quia supputatis annis à nativitate in nativitatem per omnes generationes Sem in cap. XI. recensitas incipiendo à nativitate Arphachsad geniti à Sem biennio post diluvium, manifestè patet, Sem fuisse vivum tempore illo, quo Abraham hanc habuit victoriam. Imò supputando annos à nativitate Abrahæ usque ad nativitatem Ishac, & inde usque ad nativitatem Hesau & Jahacob, manifestè apparet, quod Abram est mortuus priusquam Sem annis triginta quinque. Nam Sem vixit usque ad quinquagesimum annum ætatis Hesau & Jahacob. Abraham autem vixit usq; ad quintumdecimum duntaxat annum ætatis eorundem.

§. 65. *Hunc sequitur etiam Archiepiscopus Avenionensis,* FELICIANUS CAPITONUS in expl. 17. *pag.* 34. Verior, *inquit*, existimatur opinio Hebræorum, à quibus nec communis usus discedit, Melchisedech purum fuisse hominem & illum fuisse Sem primogenitum Noe, quem usque ad tempora Isaac ex temporum supputatione pervenisse colligunt: & propterea esse sacerdotem, quod usque ad Aaron primogeniti omnes sacerdotes essent.

§. 66. *Benedicti Pererij de Melchise-* *Contradicit equidem* PERERIUS *in Comm. in Genes. c.* 14. *n.* 55. *pag.* 541. *huic sententiæ aliquot argumentis, quæ ferè sunt hæc.* Apostolus ad Hebr. c. 7. v. 3. ait, Melchisedech fuisse sine patre & sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens, non

non quia revera ita fuerit, sed quia scriptura sacra nihil de ipso meminit. Atqui certum est, de Sem in sacro eloquio haberi hæc, omnia. Ergo non potuit Sem esse Melchisedech. Neque hîc recurrere possumus ad effugium Lyrani & Abulensis, qui ajunt, prædicta, quæ legimus in sacris libris de Sem, non haberi sub nomine Melchisedech, quia, *inquit Pererius*, probari non potest, hunc virum duobus nominibus fuisse appellatum, & non est credendum, quod Apostolus in tam levi nominum ratione pondus misterij, de quo illic agit, collocare voluerit. præsertim cum ad Hebræos scriberet, quibus notissimam esse Genealogiam Sem procul dubio sciebat. Item, si, ut ibidem v. 6. testatur Apostolus, generatio Melchisedech non connumeratur inter Hebræorum generationes, Ergò non potuit Melchisedech esse Sem, ex cujus linea omnes Hebræos descendisse certum est. Præterea, si Melchisedech esset Sem, id Moses aliquatenus indicare non omisisset, ad magis declarandam suæ gentis nobilitatem atque eminentiam. Denique ait, opinionem hanc non fuisse veteris Synagogæ. Josephus enim appellat Melchisedech Cananæum. *Huc etiam collimat BENEDICTVS IVSTINIANVS* Genuensis Jesuita, *in comm. in Ep. ad Hebr. 7. pag. 709. edit. Lugdun.*

dech opinio adversaria.

At respondet ad hæc PERERII objecta AVGVSTINVS TORNIELLVS Novariensis, *in annalibus Vet. Test. ad Ann. Mundi.* 2118. §. 9. *pag.* 184. I. Posito, *inquit*, quod Melchisedech fuisset Sem, non propterea tollitur pondus mysterij præfigurationis Christi in ipso Melchisedech, quod ibidem indicare intendebat Apostolus. Nam certum est, quisquis ille fuerit, non tanquam particularis persona, sed quatenus talis Rex & sacerdos fuit figura Christi. Unde sufficit, ut, quando repræsentatur in sacro eloquio, tanquam Melchisedech Rex Salem, id est, tanquam Rex justus atque pacificus & Sacerdos, repræsentetur sine genealogia, sine ortu & interitu, & sic magis assimilaretur filio DEI, h. e. ut sic, figura magis responderet figurato. Quare etiam si Melchisedech fuisset Sem, nihil ob id detraheret prædicto mysterio, quod scriptura sacra, quando agit de privata hujus viri personâ, mentionem fecerit genealogiæ ac principij finisq; vitæ ejus. Sufficit enim, ut, quando agit de ipsius officio nihil horum meminerit prædicta de causa, &c. † Ad secundum, non ait idem Apostolus absolutè generationem ipsius Melchisedech nullo modo inter Hebræorum generationes posse connumerari, sed diversam facit generationem Melchisedech à generationibus Levitarum seu sacerdotum de genere Aaronis, cujus sacerdotium pro-

§. 67. Augustinus Torniellus Novariensis.

§. 68.

bat fuisse minus ipso Sacerdotio Melchisedech, eò quod Aaron & ejus posteri tum essent in lumbis Abrahæ, quando ei benedixit & ab eo decimas accepit Melchisedech, & consequenter ipsi quoq; benedicti & decimati sint à Melchisedech, tanquam minor à majore. Porro hoc pacto certum est, quod etiam generatio ipsius Sem non connumeretur in eis. Quod autem nusquam Moses indicaverit Sem esse Melchisedech, non est ratio sufficiens ad probandum quod non fuerit, quia potuit Moses digna aliquâ de causâ, licet nobis incognitâ, id tacuisse. Non enim omnia, quæ ad suæ gentis nobilitatem & ad historiam illustrandam pertinent, explicare curavit Moses, quippe qui non fuerit purus historicus, sed Propheticus.

§. 69. † Deniq; arguere, quod hæc non fuerit antiquorum Hebræorum opinio, quia Josephus aliter sentit, non videtur satis tutum; præsertim cum B. Hieronymus hanc inter Hebræorum traditiones recenseat, ex quo datur intelligi, antiquos Hebræos ita sensisse: non enim opiniones recentiorum inter traditiones referri solent. Scimus etiam Josephum in multis alijs non solum à Rabinorum sententijs, sed etiam ab ipsomet sacro textu recedere non dubitasse. Quare hac in parte non videtur de ipso esse curandum. Adde Villalpandum in Apparatu Vrbis & Templi Part. 1. l. 1. c. 13. p. 51. Petrum Carbonarium Metropagitam Carthusianum in tract. de Hebr. verit. p. 21.

§. 70. *Atque hi sunt ex innumeris alijs, qui* Semum cum Melchisedech, eandem constituere personam, *singularibus Spiritus Sancti argumentis & causis, diversis nominibus notatam, statuunt; de quorum sententia, quid judicem, expreßè hic non addo, ut tamen ex ipsis Pontificijs evincam, Melchisedechum è linea patriarchali fuisse primogenitum, & proinde, quia primogenitus, sacerdotium Patriarchalis institutionis habuisse, adscribere hæc volui, unde sacrificium illud solitarium panis & vini fieret dubiæ fidei. Cum præsertim, ut diximus ratio firma nulla vel ex principijs luminis naturalis, vel ex arcano divinæ revelationis sinu, vel ex sacrarum literarum firmamento produci poßit, quæ movere debuisset Melchisedechum, ut solitam sacrificij materiam consuetumque sacrificandi ritum immutaret.*

§. 71. *Cur panis & vinum à Melchisedecho prolata?*

QUARTO; *Melchisedechus panem & vinum protulit, non sacrificandi, sed reficiendi causâ. Redierant enim è prælio Melchisedecho victoriam annunciaturi milites Abrahami & in integrum restituto Melchisedecho regnum universum insigni felicitate sedaverant. Decuit igitur triumphali illos excepisse epulo & ad contestationem*

ſtationem meritiſſimæ gratitudinis ea proferre, quæ majeſtatem ſimul & religioſum Melchiſedechi animum erga Deum, illuſtri victoriâ regnum ſuum vindicantem & erga Abrahamum nobilem bellatorem Dei & penè familiarem oſtenderent. TERTVLLIANVS *adverſus Iudæos ait:* Melchiſedech Abrahæ jam circumciſo de prælio revertenti obtulit panem & vinum incircumciſus.

Confirmat hoc CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 4. Stromat. pag. 145. edit. Florentinæ.* Salem enim, *inquit*, pax exponitur, cujus noſter ſervator Rex deſcribitur, quem dicit Moſes, Melchiſedech Rex Salem, ſacerdos Dei altiſſimi, qui VINUM ET PANEM, SANCTIFICATUM NUTRIMENTUM dedit in typum Euchariſtiæ. *Nam quod Bellarminus ſanctificationem urget & ex ea Spiritualem cibum concludere vult, ineptum eſt. Cum ſanctificatio nec ſacrificialis ſit actus proprius, nec ſacrificialem oblationem requirat aut præſupponat neceſſariò, nec cibi, in refectionem ſpiritualem, præparationem notet, nec alterationem aliquam aut tranſſubſtantiationem ſecretiorem inferat, ut utrobiq; apertiſſimum eſt.* §. 72. *Clemens Alexandrinus.*

Confirmat hoc CYPRIANVS *lib. 2. Ep. 3. pag. 36.* Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat Sp. Sanctus, in Pſalmis ex perſona patris ad filium dicens, Ante luciferum genui te, juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ordo utique hic eſt, de ſacrificio illo veniens & inde deſcendens, quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis ſacerdos DEI ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. §. 73. *Cyprian°.*

Comparat enim hoc loco CYPRIANVS *Melchiſedechum & Chriſtum in triplici actione, quam exercuerunt: in oblatione Deo facta: in oblatione Abrahæ facta & in benedictione. Qui actus diſtincti fuerunt. Oblatione* DEO *facta, Melchiſedechus ſacrificium ſibi divinitus præſcriptum obtulit altiſſimo: ita Chriſtus ſe ipſum in ara Crucis ſacrificium jucundiſſimum obtulit* DEO *Patri. Oblatione Abrahæ facta Melchiſedechus obtulit, non ſacrificialiter, id enim ex textu non probatur; ſed regiæ benevolentiæ causâ, panem & vinum: ita Chriſtus Eccleſiæ fruendum obtulit Corpus ſuum & ſanguinem, tanquam liberaliſſimus Dominus, divinorum theſaurorum Oeconomus.* §. 74.

Non igitur Bellarminianus ſenſus eſt affingendus verbis CYPRIANI, §. 75.

sed hunc infert omnis circumstantia. Qui ordo utique est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd cujusq; respectu & consideratione Melchisedech, sacerdos DEI summi fuit: non autem substitit in illo sacrificio Melchisedech, sed panem & vinum in refectionem Abrahæ sociisq; obtulit: & quod insigne argumentum est regiæ sacerdotalisque pietatis benedixit ei. Hoc ordine Christus quoq; primùm sacrificium Patri suo obtulit. Nec tantùm Patri sacrificium obtulit semet in ara Crucis, sed & nobis hoc ipsum refectionis donarium, quo Abrahamum Melchisedecus excepit, licet augustiori accessu Corporis & sanguinis sui dives obtulit, & tandem benedixit.

§. 76. *† Nam 1. quod sacrificium in Melchisedecho memorat CYPRIANUS, in Noacho vocat dominicam passionem Christi: aitque Noachum bibendo vinum imaginem dominicæ passionis expressisse. 2. Si ideò de pane & vino oblato à Melchisedecho affirmandum, quod sit sacrificium: quia Cyprianus ait, in sacerdote Melchisedecho sacrificij dominici sacramentum præfiguratum esse: cur non fabricant ex vino à Noacho bibito sacrificium Papistæ, ajuntque prius sacrificatum vinum, potatum esse ab eo, quia est imago dominicæ passionis. 3. Esset etjam Corpus Christi offerendum sub specie mactatarum hostiarum, & mixti in cratere vini, quia CYPRIANUS huc accommodat locum illum Proverb. 9. in eoq; typum dominici sacrificij præmonstratum asserit. 4. Et sequimur nos meritò hac in parte CYPRIANI in eadem epistola commonitionem. Si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum ipse mandavit, &c.*

§. 77. *Edit. Cōmel.* *Confirmat idem tractatus de Melchisedecho Tom. 2. op. S. ATHANASII insertus pag.* 10. Cum igitur occurrisset Melchisedech Abrahamo revertenti à strage regum ἐπέδωκεν αὐτῷ ποτήριον ἄκρατον ἐπιβαλὼν αὐτῷ καὶ κλάσμα ἄρτου καὶ τῷ λαῷ αὐτοῦ τιη. dedit ei vinum meracum, addito panis frusto, & populo ejus 318. virorum.

§. 78. *Epiphanius Salaminæ Episcopus.* *Confirmat idem EPIPHANIUS Salaminæ Episcopus adversus Melchisedecianos hæres. LV. pag.* 224. Melchisedech obtulit IPSI ABRAHAM PANES ET VINUM & erat sacerdos altissimi in illo tempore, qui benedixit Abraham & decimam ab ipso accepit. Oportebat enim sacerdotem altissimi à servo Dei honorari & primum quidem Abraham offerre sacerdoti in præputio sacra celebranti, quandoquidem ex ipso ex circumcisione futurum erat sacerdotium, ut omnis altitudo, quæ se effert contra cognitionem Dei, per cognitionem Dei destrueretur; *& post*: quod sanè NUNC IN ECCLESIA VIGET (*non actu iterato & successivo*) A CHRISTO & hucusque, dum non amplius semen secundum successionem eligitur,

ligitur, sed forma IUXTA VIRTUTEM quæritur: *& post.* † Ordinem verò Melchisedech corroborans scriptura & Sp. Sanctus expressè inquit, docens translationem sacerdotij ostendit à veteri synagoga & consuetudine ad consuetudinem optimam & summam & carnalem successionem non habentem atque unitam. Melchisedec enim sanctus hic non amplius post se successionem habuit, sed neque sacerdotij ablationem: mansit enim ipse sacerdos per omne tempus vitæ suæ & adhuc in scriptura celebratur sacerdos ita, ut nemo ipsi successerit, aut ministerium sacerdotij in tempore ipsius subverterit. Sic & Dominus noster non homo existens, sed ex Deo sanctus Deus, Verbum, filius Dei, genitus sine principio & sine tempore, semper cum patre existens, natus propter nos ex Maria homo, & non ex semine viri. Sacerdotium autem patri offert ex humana natura massa accepta, ut pro nobis sacerdos constitueretur secundum ordinem Melchisedech, qui non habet successionem. Manet enim pro nobis in perpetuum dona offerens. Et primum quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium V.T. quum perfectius & vivens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret & sacerdotij sui (quod ipse patri massa ex humana natura accepta obtulit) immutabile firmamentum efficeret. *Et post.* Quando enim Abraham fuit octoaginta octo aut nonaginta plus minus annorũ, tunc Melchisedech ipsi obviam venit & proposuit ipsi panes & vinum mysteriorum ænigmata præfigurans & exemplaria. *Et post.* Non enim dixit scriptura, quod Melchisedech detulit Abrahamo (i.e. Abrahami nomine & causa, quod Melchisedeciani volunt, quos hac in parte exprimit Papicolarum turba,) panem & vinum, sed obtulit ipsi & posteris ejus, velut à regibus venientem patriarcham excipiens, &c. *Noster est igitur Epiphanius hac in parte, non Pontificiorũ, quem proinde perperam Bellarminus, suppressis tamẽ verbis, allegat.*

§. 79.

§. 80.

Confirmat hoc AMBROSIUS *Mediolanensis Episcopus lib. 4. de Sacram. cap. 3.* Tunc Abraham redijt victor, & occurrit ei Melchisedec sacerdos & obtulit ei panem & vinum. *Et in Epist. ad Hebr.* Nec est novum, si Melchisedech victori Abraham obviam processerit & in refectionem tam ipsius, quam pugnatorum panem vinumque protulerit. *Loca autem à Bellarmino producta ex Ambrosio, de sacramentali in spiritualem refectionem instituta oblatione corporis &,* §. 81.

ris & sanguinis Christi, fidelibus facta aq; Melchisedeci prolatione repræsentata loquuntur. *Confirmat hoc* IOHANNES CHRYSOSTOMVS *In Gen. c. 14. pag 292.* Et vide per honorem IN PATRIARCHAM collatum, quomodo sacramentum insinuatur: Extulit enim ILLI (Patriarchæ) panem & vinum. Videns typum cogita oro veritatem (non omnia tamen require in typo, non enim typus esset, si omnia quæ veritati accidunt, haberentur, monet idem paulo superius) & admirare divinarum scripturarum virtutem, quomodo superioribus seculis & ab initio futura præsignata sint. *Confirmat hoc* EVCHERIVS LVGDVNENSIS *Episcop. lib. 2. in Gen. pag. 72. dum ait*: Non esse mirum, si Melchisedech victori Abraham processerit obviam, & in refectione tam ipsius, quam pugnatorum ejus panem vinumque protulerit & benedixerit ei, cum abnepoti suo hoc jure deberet, & decimas prædæ atque victoriç acceperit ab eo, sive quoniam habetur ambiguum, utrum ipse dederit decimas ei substantiæ suæ, & habitam largitatem ostenderit in nepotem. *Confirmat id* DAMASCENVS *lib. 4. de Orthod. fid. pag. 318. c. 14.* Excepit pane & vino Melchisedech Abraham, ex cæde alienigenarum revertentem qui erat sacerdos Dei altissimi. *Confirmat id* HAYMO EPISCOPVS HALBERSTADENSIS *Comm. in Psal. 109. pag. 597.* Christus sacerdos dicitur, quia seipsum obtulit, & semper Deum interpellat pro nobis, & hoc secundum ordinem Melchisedech, quia sicut Melchisedech obtulit Abrahæ panem & vinum, sic Christus discipulis calicem & panem, id est corpus suum in qualitate panis & vini & idem sacrificium per omnem Ecclesiam instituit. Sicut ergo Melchisedech sine principio fuit, & sine fine, non quod non habuerit; sed quia in scriptura legitur non habuisse, & sicut Melchisedech sine patre & sine matre, non quod non habuerit iterum; sed quia scriptura non dicit, sic Christus secundum humanitatem non habuit patrem, & secundum Deitatem non habuit matrem, & in alijs quoque multis assimilatur Christo, unde Apostolus ad Hebræos scribens ait. assimilatur autem filio Dei. *Confirmat hæc* EVTHYMIVS ZIGABENVS *doctissimus Græciæ Monachus, Comment. in Psalm. 109. pag. 219 fac. b.* Christus, *inquit*, Sacerdos quidem, veluti qui Mysticum panem & vinum in Cœna Apostolis tradidit, quemadmodum Melchisedech Abrahæ & socijs dedit redeuntibus è bello. Æternum autem hoc est sacerdotium, quia nec principium dierum, neque vitæ finem habet, ratione nimirum divinitatis Christi, quemadmodum nec ullum principium aut finem habuisse legimus

§. 82. Iohannes Chrysostomus.

§. 83. Eucherius Lugdunensis.

§. 84. Iohannes Damascenus.

§. 85. Haymo Episcopus Halberstadensis.

§. 86. Euthymius Zigabenus.

gimus Melchisedech. *Confirmat hoc PETRUS LOMBARDUS Magister Sententiarum dictus,* (de quo Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Historiali part.3.tit.18.cap.6. loquitur, cum ait: Circa ista tempora fuerunt tres solennes Viri valde studiosi, qui composuerunt libros multum perutiles Ecclesiæ Dei, scil. Gratianus Monachus Classensis, qui composuit Decretum, & M. Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui compilavit librum sententiarum, & Petrus, qui dictus est Comestor, qui fecit historiam scholasticam. Et à quibusdam prædicatur in populis, quod fuerunt germani ex adulterio nati, quorum mater cum in extremis peccatum suum confiteretur, & confessor redargueret crimen perpetratum adulterij, quia valde grave esset, & ideò multum deberet dolere & pœnitentiam agere, respondit illa; Pater, scio, quod adulterium peccatum magnum est, sed considerans, quantum bonum secutum est, cum isti filij mei sint lumina magna in Ecclesia, ego non valeo pœnitere. Et confessor ad eam, quod tui filii sint notabiles Viri, & opera utilia fecerunt Ecclesiæ Dei, non ex te, sed ex domo Dei est: ex te autem adulterium, crimen magnum & ex hoc doleas & si non habes illum dolorem, quantum exigit hoc peccatum, de hoc tamen doleas, quod non potes dolere. Sed de hoc potest dici id: Exempla ponimus, non qud ita sint, sed ut sentiant addiscentes. Non enim reperitur authenticum. Imò nec fuerunt contemporanei, etsi vicini tempore. Gratianus enim fuit ante alios duos. Nam, ut dicit Hugo, Gratianus librum decretorum edidit Alexandro III. Papa tunc legente Bononiæ in Theologia & Jacobo in legibus. Qui Alexander creatus fuit Papa A.D. 1150. M. Petrus L. fuit equidem tempore Friderici I. Imp. & Alexandri Papæ. Non autem Petrus Comestor germanus ejus fuit. Nec de more est, duos germanos eodem nomine vocari. Melius sententiam Antonini munit Gerh. Joh. Vossius in Petro Comestore, ubi neque natione eosdem fuisse docet.) *lib.4. dist.8. sect.1.* Hujus etiam Evcharistiæ sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem & vinum Abrahæ obtulit. Unde, ut ait Ambrosius, intelligi datur, anteriora esse sacramenta Christianorum, quam Judæorum. *Intelligit verò Lombardus per ostensionem ritus, non congruentiam exactam, vel in termino à quo aut ad quem: vel consonantiam formalem utriusq; typicæ & realis oblationis; Sed repræsentationem materiæ, quam postea ad sanctißimum Evcharistiæ mysterium adhibitam, tanquam dispensationis instrumentum, Melchisedecus in dispensatione*

§. 87. Petrus Lombardus.

recreatorij illius & gratulatorij epuli pridem adhibuit. Confirmat hoc

§. 88. *Cajetanus* THOMAS DE VIO CARDIN. CAIETANVS *Vir, Bellarmino de Script. Eccl. pag 435. teste,* summi ingenij, nec minoris pietatis, *Gen. 14. ad verba proferens panem & vinum.* Nihil, *ait,* refert, quod Hebraicè scribitur in præterito *protulit.* Nihil scribitur hic de sacrificio seu oblatione, sed de prolatione seu extractione: quam Josephus dicit factam ad reficiendos victores. Quod autem in vulgata editione subditur, ut causa oblationis, erat enim sacerdos Dei altissimi, non habetur ut causa, sed ut separata clausula, & ipse sacerdos & excelso. Adjungit siquidem regiæ dignitati ac liberalitati dignitatem sacerdotalem, non Dijs gentium, sed Deo excelso. *Con-*

§. 89. *Isidorus Clarius.* *firmat hoc* ISIDORVS CLARIVS BRIXIENSIS, *Episcopus Fulginas, ille, qui licet summa moderatione Biblia latina vulgatæ editionis tractarit, octo tamen millia loca annotata emendavit, ut ipse habet in Præfatione ad opus Biblicum a se editum.* Clarius verò *Gen. 14. ad verba,* REX SALEM, Ipsa, *inquit,* est Hierusalem, quæ jam tum hominibus innotescere cœpit, quod ad Dei cultum esset deputanda. Et quod Melchisedech panem & vinum lassis ex itinere protulit, voluit Deus hoc indicio significare ipsi Abrahæ, quod illic semen suum esset oblaturum decimas, & sacrificia & benedicturum Domino.

§. 90. *Herberi exceptio refutata.* *Objicit Herberus,* Melchisedechum panem vinumque protulisse, non ad cibatum duntaxat refectionemque militum, quo id temporis non egebant, uti in quorum potestatem hostibus debellatis cæsisque tùm alia spolia, tùm ciborum abunde venerat, neq; tantùm, ut recepto illarum gentium more humanitatis obsequium præbito epulo præstaret. *Desumsit hoc ex Nicolao Lyrano,* qui *ait, dicentes,* quod iste Melchisedech protulit panem & vinum non in sacrificium, sed magis ad reficiendum Abraham & populum ejus, qui veniebat de prælio, falsum loqui; dictum enim esse, quod illi quatuor reges, quos debellaverat Abraham, asportaverant de Sodomis universa, quæ ad cibum pertinebant, nec potuerunt adhuc omnia consumpsisse, nec fugiendo poterant secum portasse, & ideo Abraham invenit ibi satis pro victualibus pro se & populo

§. 91. *Pererij responsio ad exceptionem Herberi.* suo, &c. *Idem habent Alphonsus de Castro, & Rob. Bellarminus locis supra cit. Sed ad hanc instantiam respondet* PERERIVS *Gen. 14. disput. quinta, numero 71. Verba sunt:* Plerique recentiorum scriptorum secuti Lyranum & Tostatum, ita refellunt hanc sententiam, Milites & socij Abrahæ abundabant cibarijs, ergò supervacaneum fuisset ad eorum refectionem Melchisedech panem & vinũ attulisse.

Cum

Cum enim quatuor illi reges universam illam regionem Pentapolitanam deprædati essent, non est dubitandum, quin maximam copiam eorum, quæ pertinent ad victum, abstulerint: quæ quidem omnia illis cæsis & debellatis in potestatem Abrahæ venerunt. Idque putat apertè ostendisse Abraham illis verbis, quæ dixit Regi Sodomorum; Non accipiam, inquit Abraham, ex omnibus, quæ tua sunt exceptis his, quæ comederunt juvenes, nec cibarij Melchisedech indigebant; sed parum in hac confutatione videtur esse roboris. Dicat enim quispiam, nescisse id Melchisedech, imò putasse eos, propter laborem dimicationis & fatigationem itineris recentibus cibis refici ac recreari debuisse. Ac licet id scivisset Melchisedech, voluisset tamen eo munere suam erga Abraham benevolentiam, & ex victoria ejus lætitiæ suæ voluptatem declarare. *Consentit BENEDICTO PERERIO FRANCISCVS RIBERA in Comment. Epist. ad Hebræos num. 60. cap. 7. pag. 311.* §. 92. Quare, *inquit*, non necesse est ad id confugere, ad quod Lyranus & multi confugiunt, reges illos cum præda & cibaria abstulisse, eaque cum receperit Abraham, non eguisse ejus milites cibis: Cum moris sit ubique, hospites, etiam non egentes cibo, ad mensam continuò deducere; sicut Abrahamus, Gen. 18. & non solum in scriptura, sed & in Homero etiam & Virgilio sæpè factum videmus. *Digladiatur igitur cum Pererio & Ribera potius Herberus, quam nobiscum.*

Quod verò putat cum Iesuitis Herberus sacrificationem & refectionem militum Abrahami simùl consistere posse: id equidem nulla firmare poterit argumentorum evidentiâ. Nam per τὸ protulit panem & vinum *aut solus actus sacrificialis, quo altißimi Dei gloriæ dedicabantur devovebanturque panis & vinum, intelligitur: aut solus actus recreationis militum Abrahami, quo victoris exercitui humanitatis & magnificentiæ regiæ signum hoc fuerat exhibendum: aut uterque simùl. Vterque simùl intelligi nequit: etenim aut actus sacrificatorius primò, recreatorius secundariò & per consequentiam intelligitur, aut uterque pari vocabulorum virtute & evidentiâ innuitur. Qua verò consequentia persuadebor ego, ut, quia Melchisedech sacrificavit panem & vinum, credam Melchisedechum refecisse quoque milites. Vel qua vi cogar ego, ut quoniam una illa sententia pari vi vocabuli duos illos innuit actus, utrunque quoque aunotatum aut credendum statuam? Cur non potius unum, quem liberâ textus circumstantiæ admittunt eligam, rejectis cæteris? aut qua ratione illa duorum sensuum nulla neceßitate subordi-* §. 93.

natorum, sed distinctissimorum in unicam sententiam admittetur occupatio. Si verò solus actus sacrificatorius, admittitur, cadet recreatoriº: admisso recreatorio, cadet sacrificatorius: quocunque igitur Herberus sese converterit, consistere ipsius assertio non poterit. Si inprimis consideraverit, quod de suo הרצא *affirmavit, illud sacrificiale esse & hostiæ alicujus divino actu factam præparationem hoc loco tantùm annotare. Si enim* הרצא *præcisè & ex significationis suæ virtute nihil notat, nisi sacrificium offerre, qua consequentia hoc loco idem oblationem reficientibus militibus dedicatam concludere poterit?*

§. 93. *Iohann. Gagnæus Theol. Parisinus.*

Quod verò non sacrificandi causa Abrahamo obtulerit panem & vinum Melchisedechus, confirmat etiam Iohannes Gagnæus, Parisinus Theologus, Christianissimi Franc. Regis Ecclesiastes & primus Eleemosynarius in schol. ad Ep. Paul. pag. 161. Verba sunt. Sicut Abraham panem & vinum obtulit Melchisedechus: ita Christus æternus Sacerdos sub panis & vini speciebus carnem suam & sanguinem nobis obtulit & patri, qui verus est Abraham, id est, pater credentium in ara crucis Corpus suum obtulit.

§. 94. *Quid panis & vinum in hoc loco significent?*

QVINTO. Panis significato frequenter in sacris non panis & vinum exclusivè intelliguntur, sed omne ciborum genus. Gen. 43: 31, 32. 58: 5, 7, 8. 21: 14, 17. 28: 20. 31: 54. 37: 25. Exod. 2. 20. 18: 12. 23: 25. 34. 28. Deut. 8. v. 3. 9: 18. 23. 4. Iud. 19. v. 19. 1. Sam. 14. 24. 30: 12. Psalm. 104. 16. Eccl. 10. v. 19. Es. 36. 17. † *Affirmat hoc Bellarminus, & effugij loco adhibet, quando nobis, transsubstantiationem ex panis post consecrationem retenta apellatione evertentibus, respondendum est, lib. 1. de Eucharist. c. ult. §. 57. Respondent nonnulli. Verba sunt.* Tertiò dici potest & meo judicio optimè, vocari panem phrasi hebraica, quia nomine panis generalitur intelligitur omnis cibus. † *Ita etiam PERERIVS in Gen c. 28. v. 20. num. 65. pag. 823.* Nomine autem panis, *inquit*, & aquæ significari solet in scriptura omnis cibatus & potus, sed frugalis admodum & parcus: *quemadmodum docet* B. Hieronymus *exponens illa verba, Esaiæ cap. 3. Auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem; omne robur panis & omne robur aquæ. Id ipsum etiam significare volens* B. Gregorius *dixit*, per panem significari aliquando subsidium præsentis vitæ. *In libro namque 23. moral. exponens illa verba Iob. c. 33. Abominabilis ei fit in vita sua panis.* In sacra scriptura, *inquit*, panis aliquando dicitur ipsemet Dominus, aliquando spiritualis gratia, aliquando divinæ doctrinæ eruditio, aliquando hæreticorum delectatio, aliquando jucunditas humanæ delectationis, aliquando subsidium præsentis

§. 95. *Bellarminus.*

§. 96. *Pererius.*

vitæ, sicut Jacob ad Laban proficiscens ait, Domine Deus si dederis mihi panem ad manducandum & vestem ad induendum. † IACOBVS GORDONVS HVNTLÆVS Controver. 4. Tom. 3. p. 26. num. 2. & s. vox Hebræa לחם qua panis significatur, duobus modis in scriptura usurpatur. Primò PROPRIE, juxta etymologiam vocis Hebrææ & hac ratione significat OMNEM CIBUM, SEU OMNE QVOD COMEDI POTEST. Radix enim, à qua illa vox derivatur, nempè לחם significat comedere. Et quia inter omnes cibos panis est præcipuus & usitatissimus, hinc est, quod vox Hebræa, SECUNDARIA SUA SIGNIFICATIONE, & minus propria per antonomasiam significet panem coctum seu pistum. Porrò quod vox panis in scripturis absolutè posita omnem cibum significet satis constat ex illo edicto regis Saul &c. *ubi Huntlæus pluribus id demonstrat.* † *Si igitur frequentissima est significatio vocis panis in scripturarum volumine, ut omnis eâ denotetur cibus & victus: si primaria, principalis & propria hæc est: si circumstantiæ textus ad secundariam illam solius panis pisti significationem non deducunt evidenter: si in propria & primaria significatione consistendum tam diu, donc secundariæ necessitas demonstretur, si ipsius quoque Salemitici regis majestati consentaneum est, non nudo pisto pane Abrahamum reficere, ejusq; milites excipere, sed re ipsa factoque heroico dignum est, lautius tractasse tanti beneficij autores, nondum certum erit illud, quod tanquam certum assumit* Herberus, *solius panis & non alterius alicujus cibi exhibitione prodiisse è regia Melchisedechum.* §. 95. Gordonus §. 98.

Et si omninò sacrificasse Melchisedechum Herbero concesserimus, hoc tamen modo efficietur, ut asseverandum sit, illum ratione materiæ sacrificialis à sacrificio Aaronico non fuisse distinctum & proinde non illo respectu singulare quoddam Christi in Missa sacrificium repræsentasse. Etenim nō probari posset, SACRIFICASSE ILLVM TANTVM PANEM PISTVM: quia frequentia significationis primariæ panis, qua omne eduliorum genus notat, nondum ex loco ejecta, sed magnis potius conjecturis asserta est. §. 99. *Sacrificiū Melchisedech non distinctū ex hypoth.*

Non possum autem non evolvere apertius Huntlæi in citato loco verba, quæ post recensitam illam primam propriamq; significationem panis, quâ omne cibariorum genus notat, habet. Quod verò attinet ad caput undecimum prioris Epistolæ ad Corinthios, quod maximè urgent adversarij, dicit quidem Apostolus, illos, qui manducant corpus Christi, manducare panem, idque ter duntaxat, nimirum, v. 26, 27, 28. sed Apostolus ubiq; declarat, se loqui de pane non ut §. 100. *Huntlæi pro trāsubstantiatione Sophisma.*

ſignificat panem à piſtore coctum, ſed ut ſignificat cibum quemcunq;, quomodo ipſa caro Chriſti eſt panis, hoc eſt, cibus, Chriſto Domino atteſtante, ut diximus. Nam quemadmodum vox PANIS, quando opponitur vino, quod eſt certũ genus potus, ſignificat certum genus cibi, nimirum panem piſtum, ut videre eſt, Gen. 14. v. 18 ad eundem planè modum, quando panis opponitur calici, ſicut calix eſt vox generalis ſignificans omne genus potus, ita panis generalis eſt vox, denotans quemvis cibum. Oppoſitorum enim eadem ratio eſt. Exemplum etiam hujus rei extat, 2. Reg. 12. v. 3. In hoc autem cap. 11. Apoſtolus pani ubiq; opponit calicem, vinum nunquam: imò vini nullam unquam facit mentionem, cujus ſine dubio vel ſemel mentionem feciſſet, ſi locutus fuiſſet de pane, ut ſignificat certum genus cibi.

Nam 1. *falſum eſt, panem, quando conjungitur vino, certum genus*
§. 101. *cibi, panem nimirum piſtoris opera coctum, notare. Etenim, ſi panis aquæ*
conjungitur, notaret quoq; certum genus panis, quoniam vino conjun-
ctum certum genus panis notat: aut detur ratio, cur magis vino junctum
§. 102. *certum genus panis notet, quam aquæ.* † *Addatur Iud. 19. v. 19. ubi E-*
Locus Iud. *phraemiticus ille peregrinus Ieminitæ itineris cauſam finemq; quærenti*
19. v. 19. *reſpondit, profecti ſumus de Bethlehem Iuda & pergimus ad locum no-*
expendi- *ſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim, unde jeramus in Bethlehem &*
tur. *nunc vadimus ad domum Dei, nullusq; ſub tectum ſuum vult nos recipere, habentes paleas & fœnum in aſinorum pabulum, & Panem & Vinum in meos & ancillæ tuæ uſus & pueri qui mecum eſt, & nulla re indigemus, niſi hoſpitio. Vbi per panem ſolus piſtus panis nequaquam, ſed potius omne genus cibi intelligi debet, quia v. 21. dicuntur comediſſe & bibiſſe, ut habet Hebraicus textus, & Arias, & Cajetanus, & Benedictus Pariſinus notat (non verò recepti in Convivium, ut habet vulgata editio) & quidem generaliter comediſſe & bibiſſe: quia v. 22. dicuntur epulantes & poſt laborem itineris potu & cibo in genere corpus reficientes: quia nihil eſt, quod excluſivè ſumẽdum panis vocabulum ſuadeat. Quas rationes dum ſeparat Simon Felix, & marcidum nobis floſculum objicit,*
§. 103. *nequiter agit.* † *Videatur & locus Eccleſiaſtis c. 10 v. 17. qui in vulgata*
Loc. Eccl. *edit. ita habetur.* In riſu faciunt panem, & vinum ut EPULENTUR
10. v. 10. viventes; *Benedictus Pariſinus habet in not.* Ad riſum parãt panem
conſidera- & vinum lætificabit viventes: *Caſtalio habet.* Ridendi cauſſa fit pa-
tur. nis & vinum vitam exhilarat. *Vatablus habet.* Apparant convivia cibis magnificè propter voluptatem & vinum adhibent, ut vitam exhilarent. *LXX. Interpp.* εἰς γέλωτα ποιοῦσιν ἄρτον καὶ ἔλαιον τοῦ εὐφρανθῆ-

ναι

ναι ζῶντας. In riſum faiunt panem & vinum & oleum ad exhila-
randum viventes. *Cajetanus.* Riſui facientes panem vinum lætifi-
cabit vitam. *vide eundem in notis. Iſidor. Clarius notat.* Ad volupta-
tem parant cibos & vinum bibunt, ut ſe exhilarent. † *Digna adſcri-* §. 104.
ptu eſt doctiſsimi Iohannis Merceri Prof. Regij tum translatio, tum lu- *Iohannes*
cidatio hujus loci. Propter riſum faciunt piſtores panem & vinum lætifi- *Mercerus.*
cat vivos & argentum reſpondet omnibus. Riſui לשחוק vel ad ri-
ſum, i.e. ob lætitiam & hilaritatem ac voluptatem ſaciunt pané. i.
convivium. q.d. ubi ſe lætitiæ obtulit occaſio, ut in nuptiis & aliis
ejuſmodi agitari ſolent convivia. לחם panis abſolutè convivium
magnum appellare ſolent. ut Dan. 5. v. 1. in Chaldaicis Balthaſar
rex fecit convivium magnum. & vinum ויין exhilarat, exhilara-
re ſolet vitam, & vinum ſcilicet faciunt, i.e. parant, adhibent; (ver-
bum faciendi pro parare ſæpè Hebraicè) quod vitam hilarem red-
dit. Aben Ez. mavult viventes, ut החיים vita ſit *Τόαν.* nam utrumq;
eſſe poteſt: & *Τόαν &* nomen ſubſtantivum, at argentum. i. pecu-
nia reſpondet omnibus. Hebræi exponunt ימציא facit inveni-
re omnia, omnia ſuppeditat, omnibus annuit: quaſi dictum; niſi ſit
pecunia, convivium fieri non poteſt. Quod R. Selomoh. & Ab. Ez.
ad præcedentem ſententiam de ignavia accommodant. Cum vi-
deas convivia, quæ interdum neceſſariò ſunt facienda, ut in nu-
ptiis & aliis, ſine pecunia fieri non poſſe, age, ignaviam & torpo-
rem excute, ac operam da, ut pares, unde ſumtus neceſſario tem-
pore poſſis facere. Annon vides, inquit Ab. Ez. omnis lætitiæ præ-
cipuum eſſe in convivio & ad illud faciendum pecuniam adhibe-
ri. Et ita in bonum ſumitur. Alij in malum, ut ad principes & re-
ges memoratos referatur. Convivia agitant, epulas lætitiæ & hi-
laritatis cauſa parantes, & vinum quo ſe exhilarent, adhæc autem
ſumtibus non parcunt, pecuniam adhibentes, qua res omnes
obtinentur. Generalis meo judicio ſententia, de dominio & auto-
ritate pecuniæ, ſine qua nihil inter mortales fiat, ut quidam no-
ſtrorum eam reginam appellavit, &c. Hæc Mercerus. † *Omnes* §. 105.
igitur loci hujus circumſtantiæ cum Interpp. Huntlæum refutant, &
conjunctionem panis & vini non neceſſariò reſtrictivam panis eſſe evin-
cunt. Taceo alia loca.

II. *Sequitur* ex Huntlæi verbis *in ſanctiſſimo corporis & ſangui-* §. 106.
nis Chriſti ſacramento nec panis, nec vini uſurpationem expreſsè & li-
teraliter eſſe præceptam & proinde non neceſſariam: atq; ita Huntlæus
in ſa-

in sacramento Eucharistiæ hoc aget, quod dudum de SS. Baptismo asseruit FRANCISC. TOLETUS, lib. 2. c. 18. de Cas. consc. ita scribes: Potest esse Baptismus in lixivio, brodio carnium vel piscium, quando nō est notabilis mixtio, ut aqua non sit. Potest etiam esse aqua expressa à luto, si qua exprimatur, licet sit cum terra, similiter in a-
§. 107. qua sulphurea. † Idem ex Thoma astruit Gregor. de Valent. Tō. 4. disp. 4 quæst. 1. p. 746. Quòd autem id, quod diximus eo modo sequatur, hac deductione patescet. Ait Huutlæus, quando panis opponitur calici, sicut calicis vox est generalis, significans omne genus potus, ita panis generalis est vox, denotans quemvis cibum. Oppositorum enim eadem est ratio. At, inquam ego Panis ante consecrationem & mysticam præparationem æquè ac post in verbis Institutionis & explicatione actus Cœnæ opponitur calici. Ergo panis ante consecrationem æquè ac post consecrationem in verbis institutionis & explicatione actus Cœnæ notat quemvis cibum & generalis est vox. Ergo ante consecrationem quoq; in sacramentali corporis sacrosancti distributione loco panis pisti quivis alius cibus potest ad-
§. 108. hiberi. † Item. Si oppositorum eadem est ratio, ut est, & si calix pani hîc opponitur tanquam generalis potûs nota generali cibi notæ, sequeretur, etiam ante consecrationem loco vini posse adhiberi quodvis aliud potus genus in distributione vivifici & divini sanguinis: quia calix etiam ante
§. 110. consecrationem notat generaliter quemvis potum. † Vicerunt igitur Pepuziani, qui caseum cum pane in Eucharistiæ administratione conjunxerunt, unde artotyritæ dicti sunt, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovibus fuisse celebratas: (ut & Pontificij argumento simili suam missam stabiliunt) attestante Augus̄t. de hæresibus ad Quod vult Deum: hæresi 28. Philastr. Brixiens. de hær. p. 58. Thom. Aquin. part. 3. q. 79. art. 1. Vicerunt Ebionitæ, Taciani, Aquarij, qui prætextu sobrietatis solam aquam in calice offerebant. Cypr. lib. 2. Ep. 3. ad Cæcil. Epiphan. hær. 30. & 46. Augustin. hæres. 64. † Vicerunt ij, de quibus cap. Sancimus, distinct 2. de Consecr. ex VI. Synodo refertur, quod in quibusdam Ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis conjunxerint uvas & sic simul utraq; populo dispensaverint, & in C. cum omne crimen, distinctione eadem commemoratur, quosdam lac pro vino dedicasse, alios intinctam Eucharistiam populo pro complemento communionis exhibuisse, quosdam expressum vinum in sacramento dominici calicis obtulisse, alios verò pannum lineum per totum annum servasse musto intinctum, & in tempore sacrifi-
§ 111. cii aqua lavisse, sicq; obtulisse. † Vicit Innocent. III. de quo Raphael Volaterran. lib. 7. Geograph. scribit, ipsum Norvegis usum alterius li-

quoris

quoris in cœna pro vino permisisse, cum vinum in locis illis non proveniat, nec diu conservari possit. *Id quod tamen respondet Thomas Aquinas loco citato.* Dicendum, *inquit*, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus sacramenti, nec propter defectum alterius est unum sine altero consecrandū, quia nō esset perfectū sacramentū. Vid. q̄ recēter de hac re disputata sunt in cōsid. Antizuing. disp. 2. p. 51. & seq. † *Non esse autem alia elementa ex necessitate institutionis* Christi *præter panem & vinum in Eucharistiæ dispensatione adhibenda, fatebūtur dubio procul ipsi Pontificij & abundè docet Richardus de Media Villa Anglus, Ordinis S. Francisci, Comm. in lib. 4. sent. dist. 11. art. 2. q. 1.* Respondeo, *ait*, quod hoc sacramentum non potest de alia materia confici, quam de pane & vino, quia Christus hoc sacramentum de tali materia confecir & conficiendum instituit, quæ fuit congrua & propter sacramenti celebrationem & significationem: hoc enim sacramentum debet celebrari valdè mundè & ideò congruum est ipsum celebrari in pane & vino, quæ mundius possunt tractari, quam caro & sanguis animalium, vel aliæ convenientes ad usum humanum materiæ. In hoc etiam sacramento significantur quinque: scilicet res contenta, hoc est, corpus Christi verum: & res nō cōtenta, scilicet significata per corpus Christi verū, sc. corpus Christi mysticum & Christi passio; & suscipientis hoc sacramentum spiritualis refectio, & salus corporis & animæ. Panis autem & vinum ratione suæ constitutionis convenientissimè repræsentant hæc omnia, &c. §. 112.

SEXTO: Soph Pasuch, sive punctum illud versiculorum intercisionem notans, non est causa, quæ hoc in loco Melchisedecho titulum sacerdotis, tanquam rationem prolationis factæ, attributum, non verò tanquam principium benedictionis communicatæ positum esse, suadeat. §. 113. *Putat Bellarminus, quia post illa verba, & ipse sacerdos Deo altissimo, in hebræo contextu est Soph Pasuch ante verba benedixit ei, ideoq; benedictionem non esse actum pertinentem ad sacerdotium Melchisedeci. Verba Bellarmini sunt.* Perturbant adversarij totam distinctionem orationis, ut ad suam sententiam verba scripturæ accommodent: quod si liceret, possemus totam scripturam perperam interpretari. Nam in hebræo textu, post illa verba, & erat sacerdos Dei altissimi, invenitur accentus,

Bellarminus ex Soph Pasuch causa sua patrociniū quærit.

quem hebræi Soph Pasuch vocant, qui indicat, ibi terminari periodum. Quare non potest illud, *& erat sacerdos*, conjungi cum sequentibus, *& benedixit*, sed debet superioribus illis annecti, protulit panem & vinum. Eandem quoq; distinctionem invenimus in Chaldæo, Græco & Latino textu. Posita autem hac vera & communi interpretatione & interpunctione orationis, etiamsi nulla adesset causalis particula, per se clamaret oratio, panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. Quorsum enim cum illis verbis, protulit panem & vinum, conjungerentur illa, & erat sacerdos Dei, nisi intelligeretur, panem & vinum à Melchisedech sacerdote prolatum, ut offerretur: *simili argumento utuntur ex Pontificijs etiam alij.*

§. 114. *Debuisset autem Bellarminus meminisse sui asseverati, quo puncta recentius Rabbinorum inventum nominavit. Si enim puncta & accentus Rabbinis inventoribus adjecta sunt post constitutum jam in substantia & integritate sua textum, cur ex illorum collocatione argumentum sumit ad stabiliendum articulum fidei. Præsertim, si consideremus, quæ de libidine corrumpendi vitiandiq; Hebræum textum Rabbinis frequenti à Pontificijs dicuntur. Verba autem Bellarmini sunt Tom. 1. Lib. II. de V. D. c. 2. §. antepenult.* His ergò duabus sententijs refutatis, restat tertia, quam ego verissimam puto, quæ est Driedonis l. 2. de Eccl. dogmatibus & scripturis c. 1. & aliorum, qui docent, scripturas Hebraicas non esse in universum depravatas opera vel malitia Judæorum; nec tamen esse omninò integras & puras; sed habere suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentia, vel ignorantia librariorum, præsertim cum in Hebræo facile sit errare, ob literas quasdã simílimas, partim ignorantia Rabbinorum, QUI ADDIDERUNT PUNCTA: Cum enim possint dictiones hebraicæ varijs modis legi, si punctis careant, non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint. *Et post.* Errores autem, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omninò veritati officiunt: puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant.

§. 115. *Alfonsus Salmeron Toletanus ait puncta novissimè tex-*

Quæ de punctorum additione recentiori profert, habet etiam Alfonsus Salmeron *Tom. 1. Comment. in hist. Evang. proleg. 4. p.* 38. Puncta, *inquit*, tempore Prophetarum & scriptorum, qui sacra biblia tradidêre, non erant: quia tota scriptura erat perinde atq; unus versus, aut una clausula, sive una dictio: usque adeò, ut si in lege inventa esset una dictio cum puncto, aut accentu, talis liber ut profanus in synagoga legi non posset. Imò neque tempore Thalmu-

tui hebræo allita.

distarum ferè per quadringentos annos post Christum puncta erant: sicut etiam nec tempore Hieronymi, qui eorum nunquam mentionem fecit. Et probatur, quia in eorum libris aut glossis nunquam punctorum aut accentuum meminere: per quos tamen multa controversa facilè dissolvi poterant.

§. 116. *Fabula de Ioabo.*

† Item in libro BABA-BATHRA fertur, Joab Præceptorem suum interfecisse, quia docebat eum scripturas fraudare, ut Deut. 25. delebis memoriam Amalec, pro zecher. i. memoriam, docebat legendum Zachar, i. masculum, quod tamen uno verbo explicari poterat, dicendo non legi per duplex Sægol, sed per duplex Camez.

§. 117. *Iosephus & fictiti9 Aristæas negligenter primitùs exaratam SS. scripturā blasphemè à Salmerone tradere dicuntur.*

† Adhæc Joseph. lib. Antiq. & Aristæas Commentar. de 72. Interpp. tradunt, scripturam hebraicam non exactè sed negligenter exaratam, quod certè non dicerent, si vocalibus & consonantibus, literis, punctis, apicibus & accentibus plenè esset conscripta atque distincta, neque dicerent cura Regia indigere. Idcirco ex ore Demetrii loquentis ad Regem Ptolomæum subdit Josephus: *Accidit autem hac negligentius, quam debet esse, significata, quia non habent curam Regiam. Est autem necessarium hæc apud te esse exacta.* Sic ille in sensu, vocans negligentius scriptas hebraicas literas, quam habet, eò quod vocales desunt & divinandum est. Ita ut lex divina esset quidem scripta, & non prorsus scripta, ut Judæi invigilarent scripturis & memoriæ non fiderent. *Concludit tandem Salmeron.* Sunt ergo puncta inventa à tempore videlicet Masoretharum, qui totam rationem differentiæ posuerunt penes consonantes, & non penes puncta, quorum ipsi autores extiterunt, atque inde nata est diversitas lectionis hebrææ & nostræ antiquæ versionis per Hieronymum factæ. *Hactenus Salmeron, ut probet,* VARIAM, DUBIAM, INCERTAM, IMPURAM, CORRUPTAM, MENDOSAM, VITIOSAM LECTIONEM ESSE HEBRAICAM, adeò, ut nihil penè sit illi fidendum, nisi certum & rectum judicium adhibeamus, utpote quâ Græca 70. Virorum interpretatio & Latina Hieronymi, plerunque purior est atq; emendatior, *quod prol. 4. cit. pag. 39. & 41. asserit.*

§. 118. *Sixti Senensis de punctis sententia.*

Consentit in opinione de recentiori punctorum invento Sixtus Senensis libro tertio Biblioth. sanctæ pag. 168. edit. Lugdun. 1575. Cum prisci Hebræorum scriptores vocalibus omninò destituerentur, sola consonantium literarum scriptura uti cogebantur: quam cum legere vellent & dictiones ex insonis literis compositas ac prorsus mutas ore ac lingua exprimere, quod scripturæ deerat, sono vivæ vocis supplebant, addentes consonantibus literis sonos

quosdam vocales ex communi propriæ gentis locutione & vulgari prolationis consuetudine mutuatos. *& post.* Sed postquam Hierosolymitanum regnum funditùs fuit eversum & Judæi à Romanis in ultimam & sempiternam captivitatem fuerunt abducti, ac toto terrarum orbe dispersi, paulatim cœperunt sermonem patrium oblivisci, linguã sanctam dediscere, sacræ lectionis intelligentiam amittere, & propter defectum vocalium literarum divinæ scripturæ dictiones per se insonas varijs & ambiguis sonis efferre, legere, intelligere & exponere, atque etiam in alias linguas diversis atque inter se discrepantibus verbis & sensibus, tùm ex ignorantia, tùm ex malitia, transferre.

§. 119. † Quod cum animadvertissent Rabini Judæorum Magistri, veriti, ne vera & germana scripturæ divinæ lectio vocalibus literis destituta prorsus interiret, excogitarunt in locum vocalium puncta quædam ac notulas, quæ singulis consonantibus appositæ suum cujusque literæ sonum proderent, ac propriam cujusque dictionis significationem aperirent.

Iacob. Parē de Valentia Episc. Christopol.

Et verisimile videtur, quod Jacobus Episc. Christopolitanus in præfat. Psalm. scribit, hoc expositionis genus longè post tempora Constantini repertum à Judæis Babylonis Ægyptiæ, quæ nunc Cayrum appellatur, opera ac solertia Rabbi Hammai & Rabbi Asse, autorum Thalmudicæ doctrinæ, qui primùm has notas ostenderunt.

Cayrū loc° ubi punct. textui. Hebr. addita primùm.

† *Dissentit tamen ab Alfonso Salmerone in eo, quod insignem & maximè veritati infestam per puncta corruptionem textui Hebræo illatam Salmeron asserit. Sic enim Senensis ibid.* Nec tamen facile affirmaverim, quod idem Episcopus eodem loco asserit, Rabinos videlicet Judæorum in odium Christianæ religionis unanimi consensu omnem veterem scripturam hac punctorum appositione contaminasse, depravasse & à vero sensu pervertisse, ut hoc perverso artificio veritatem à Christianis ex Hebrȩo fonte haustam, quoad fieri posset, offuscarent atque extinguerent, & ob hanc causam ipse addit, nullam fidem adhibendam esse hebræis exemplaribus hujusmodi punctorum interpretatione corruptis & falsatis. Cui sententiæ ne omninò assentiar, prohibet D. Hieronymi translatio, quæ in præcipuis locis divinæ scripturæ, quibus fundamenta fidei Christianȩ ac veritas nostrorum dogmatum potissimum comprobantur & de quibus præsertim inter Judæos & nos controversia est, semper ferè cum hac punctuaria hebræorum expositione consentiat: tametsi in rebus levissimi momenti & quæ pluribus sensibus absque ullo veritatis præjudicio interpretari possumus, sæpe dissentiat. *Hæc Sixtus Alphonso contrarius.*

§. 120. Salmeronis & Senensis pugna.

Subſcribit tamen Salmeroni Antonius Poſſevinus Mantuanus Jeſuita, *lib.* 2. *Biblioth. ſanctæ cap.* 18. §. *Nono.* Falsò, *inquit*, putant, Hebraicam veritatem ſive fontem conſiſtere in punctis, non in literis: nec vident, puncta inventum eſſe humanum & quidem Judæorum, jam poſt quadringentos plus à Chriſto annos diſperſorum & contra Chriſtum Chriſtianamque pietatem malevolentiſſimè affectorum, &c. *& poſt.* Opportunius fortaſſe Epimenidis aut potius mortuorum ſomnium dormiiſſent Maſorethæ, quam quando Tiberiadem Palæſtinæ (*NB. Sixtus Senenſis Cairum indicat*) convenerunt, ut ex uno legis Paſuch multos verſus conficerent, accentibus partim diſtinguentibus, partim continuantibus ſcripturam univerſam inciderent, literas punctis ſimilibusque minutijs afficerent. Nam ſic extinxerunt veterem Grammaticam, pronunciationem, vocales, judicium, diligentiam atque ſtudium. *In fine capitis citati reprehendit*, quod ſententiarum inciſa atq; membra confuderint & verſus à priſcâ conſtitutione rejecerint Maſorethæ. §. 121. *Antonius Poſſevinus de punctis hebræorū.*

Idem ait Gordonus Huntlæus *Tom.* 1. *Contr.* 1. *c.* 8. *p.* 27. Depravatio Iudaica probatur ex duplici capite, Primum caput ſumitur ex punctis & diſtinctionibus recens à Judæis excogitatis: qui fuerunt jurati hoſtes Chriſti, & Chriſtianæ religionis; quare dubium non eſt, quin in iſtis punctis collocandis omnia fecerint, quæ poterant, contra Chriſtum, &c. §. 122. *Gordonus Huntlæus.*

Cõſentiunt hac in parte cum Calvinianis quibuſdam, ut Petro Morentino Navarro, *Grammat. Hebr. Rupellæ edit. An.* 1590. *& doctiſſimo alias* Iohanne Druſio *in tractat. de recta rat. legendi linguam ſanct. p.* 6. *Verba ſunt.* Res ardua eſt, & à variis variè tractata. Ego ſic ſentio, ſonos vocalium ſemper fuiſſe, hoc eſt, unà cum literis natos: figuras nuperas & poſt Hieronymum demum adſcriptas. Si aliter eſt, cur is nullam earum memoriam uſurpat? cur tam ſæpe legit unam vocalem pro aliâ. At meminit vocalium, quas etiam dicit fuiſſe adſcriptas, quanquam raró. Scio & rectè capio. Vocales ibi dicit literas, quæ nunc in vocalibus quieſcunt, & olim vocales indicabant. §. 123.

Hæc teſtimonia ex ipſis Pontificiis prolata demonſtrant argumenti Bellarmini, ex unico illo accentu petiti, vanitatem & tenuitatem. Si enim puncta & accentus, inter quos & Soph Paſuch, ſunt occaſio variæ, dubiæ, inceetæ, mendoſæq; lectionis, ut ait Salmeron, ſi punctorum appoſitione omnis Vetus ſcriptura contaminata, depravata & à vero ſenſu §. 124.

 perverſa

perversa est, ut Iacobus Christopolitanus Episcopus ait: Si puncta sunt inventum Iudæorum in Christum Christianamq; religionem malevolentißimè affectorum, non utilius somnio Epimenidis aut mortuorum, si extinguunt puriorem legendi rationem, judicium, diligentiam atq; studium, confundunt incisa & sententias, ut Ant. Possevinus loquitur, si in punctis collocandis omnia fecerunt Iudæi, quæ poterant contra Christũ, quomodò Bellarminus & alij, ex interpositione soph pasuch, cohærentiam textus divulsam esse, nec benedictionem esse causam sive actum sacerdotium propriè comitantem & indicantem urget? Imò quomodò non Latina illa vulgata editio adulterata, contaminata, depravata, & à verò sensu perversa est, quæ in rebus tantùm levißimi momenti à textu Hebraico dissentit, in maximi verò momenti rebus consentit, ut ait Sixtus Senensis. Sed vide laudationem Masoretarũ Vind. nostris ad Ex. 2. p. 28. & part. 2. Th. 2. s. 1. p. 90.

§. 125. *Puncta coæva literis.*

Licet autem hæc ad evertendam Bellarmini instantiam adduxerimus, ex ipsis Pontificiis, sunt tamen ex illis, qui existimãt, nequaquã tutũ esse & conveniens majestati sacrarum literarum Veteris instrumenti, fontibus hebræis traditi, ut recentißimam esse punctorum inventionem statuamus. 1. *Quia nullus est sacrarum literarum apex, quem non Deo auctore, ordinatore, inspiratoreq; habeamus:* 2. *Quia vocales, quæ instar spiritus cujusdam vegetant totum scripturarum contextum, non nisi magna cum textus dissolutione sunt omittendæ, aut omitti possunt* Rabbi Nehemia, *qui vixit ante* δευτερώσεις *compositas seu contextus totius* Talmud, *in libro illustri ait, similia sunt puncta legis Mosaicæ, animæ in corpore humano vitali. In Zohar, libro multò antiquiore & celebriore apud Iudæos, qui secretiori lingua Hierosolymitana scriptus vetus Testamentum explicat, in Cant. Cant. hæc habentur. Nullæ possunt literæ proferri in hanc aut illam partem, nisi cum punctis. Omnes literæ sunt tanquam corpus sine anima, cum adveniunt puncta, constituitur corpus in sua statura.* † 3. *Quia sic dubium redditur totum V. T.* 4. *Quia humanæ autoritatis omnis esset divinæ scripturæ V. T. sensus.* 5. *Essemus ædificati super fundamentum Masoretharum.* 6. *lectio nulla esset authentica.* 7. *Ecquod acumen ingenij humani tantum, quod ex sono aut prælectione nuda, tantam sonorum differentiam, tot vocum diversitatem, tam accuratum tot versuum & sententiarum per singula membra distinctionem, distinctè complecti? Ecquæ memoria tam tenacißima fuit, quæ ista omnia per tot secula probè retinere, constanter & nusquam impingente vel voce vel memoria, alios docere & posteritati securæ adeò fide tradere potuerit, ut indubitata omnium veritas fidesq; inter tam adversas & crebras Ecclesiæ Iudaicæ tempestates, ad Masore-*

Zohar liber Iudæorum antiquus.

§. 126.

tharum usq; tempora pervenerit. † 8. *Imò novo & nunquam viso tali punctorum invento sacram scripturam illustrare ac genuinum ejus sensum patefacere divini potius & Prophetici, quam humani fuit ingenij. Vnde in libro Semadar, in principio ita legitur: Si dixerit aliquis, unde scimus, quod ex ore Dei dictata est punctatio & accentuum ratio? Responderi potest, scripturam perfectam sive perfectè datam fuisse, juxta illud, scribes itaq; in lapidibus omnia verba legis istius explanando benè, Deut. 27. v. 8. Nisi itaq; fuissent puncta & accentus, quibus explicantur voces, nemo potuisset intelligere sensum earum. Item in libro Horajath Hakkoræh ita scriptum legitur: Quidam punctatorum, qui veram rationem punctationis non tenuerunt, obijciunt ac dicunt, Quare non sunt facti duo accentus Zarka in dictione una, sicut duo Pasta facti sunt? Hi nosse debent, quod non nisi unum Zarka in mundo fuerit, & quod Mosi non fuit ostensum nisi unum Zarka. Non est igitur recentißima punctorum accentuumq; inventio, sed coæva sunt literis suis puncta tam quoad sonos, quam quod ad lituras figurasq;. Vide Marcum Marinum in præfat. arc. Noæ.* † II. *Quod v. accentus Soph pasuck, licet versibus distinguendis subserviat, non tamen propterea sententias ipsas à se invicem avellat & abstrahat, id vel ex eo patet, quod Sp. Sanctus non distinctionibus solis inhærendum jubeat, sed simul ad vniversum contextus ordinem spectandum. Quia igitur nec contextus ordini nec analogiæ fidei repugnat, statuere, Melchisedecum sacerdotale suum munus ibi benedicendo erga Abrahamum ostendisse, Soph pasuch interjectum nos remorari nequit.* III. *Masorethæ ad locum Gen. 35. v. 21. annotarunt, viginti quinq; versus esse, qui licet soph pasuch terminentur circumscribanturque, tamen in medio sententiam finiant. Et Gen. 4. v. 9. viginti octo ejusmodi annotarunt, ut versatißimus Orient. Ling. Profeß. Buxtorfius Thesaur. Gramm. lib. 1. p. 52. annotat. Si igitur aliquādo in medio versus sententia terminatur, non semper in soph pasuch finietur sententia, imò ultra soph pasuch sese aliquando extendere poterit sentētiæ integritas.*

§. 127. §. 128.

SEPTIMO. Causa omißi in comparatione Apostolica Melchisedechi cum Christo sacrificij panis & vini, est illius sacrificij nullitas. §. 129. *Cur Paulus sacrificij panis & vini non meminerit.* *Herberus alias causas, nullas tamen & evanidas habet.* 1. *ait*, ideo factum, quia rei oblatæ commemoratio esset à D. Pauli instituto aliena: quia non præstantior sacrificiis Iudaicis. 2. ait noluisse Apostolum Iudæis rudibus atq; infirmis temerè vulgare ea mysteria, quæ arcana erant atq; sacrosancta: Si enim hostiæ mentionem fecisset, consequens fuisse, ut & cæterorum mysterio-

rum

rum in antitypo reconditorum meminisset, quod rudi illi nec dũ
satis instructo populo importunum videbatur. Idem habet Bell. lib.
1. de Missa c.6.§. Respondeo causa: Idem Pererius ad c.14.2. in Gen. p.546
§. Cæterum: quæret fortasse quispiam: num. 82. Gregorius de Valentia
l.1. de Miss. c.4. p.689. §. Verum si quis. Becan. de triplici Sacrificio c.4.
p.604. T.2. Opuscul. Gordonus Huntlæus. Contr.9. Tom.3. c.6. p. 245. &
§. 130. 249. † Nil tamen ponderis momentiq; habent. Qui n. ibi, ubi ex professo
de alicujus Sacerdotio disseritur, ejusq; variæ excellentiæ etiam in mi-
nutiorib. quærũtur, sacrificij tamẽ nõ meminit, ille, si id singulare, pfectò
imperfectus est. Apostol⁹ verò ex professo disseruit in Ep. ad Heb. c.7. de cõ-
cordia convenientiaq; sacerdotij Melchisedeciani & Christi. Imò minu-
tiora quæsivit, in quibus consonantiam illam collocaret, adeò ut etiam
in nomina inquirat, adeoq; ex illis rationem convenientiæ hauriat. Si
itaq; aliquod fuisset singulare & quoad materiam ritumq; à Leviticis
sacrificijs distans sacrificium à Melchisedecho adornatum, debuisset o-
§. 131. mninò illud quoq; introduci in comparationem. † Nec est, quod excel-
lentia affertur, quasi sacrificium Melchisedelch excellentia non fuerit
superius quam Leviticum, alicujus momenti. Ex hypothesi enim Pontifi-
cia, Melchisedeci sacrificium fuit longè excellentius, quam omnia Leviti-
ca sacrificia, inprimis ratione significationis, à qua sacrificia V.T. excel-
lentiam suam hauriunt, quia repræsentabat incruentum sacrificium
Christi, quod est æternum, idoneum constituendæ Christianæ religioni,
continens omnem vim sacrificij crucis, eiq; novam vim superraddens, ut-
pote ex singulari novâque in Christo potestate ortum, quæ, cum potestas
sacrificandi cruentè desierit, stet tamen adhuc & in æternum duratura
sit. Porrò, non tantæ excellentiæ argumentum est, quod in nomine quæ-
rit Apostolus. Potuissent enim alij quoque ex gente Levitarum proferri
sacerdotes, quibus nomen significantissimum simul & pulcherrimum
competeret, quo superare Melchisedechum possent. Longè ergò majus
§. 132. fuisset, si sacrificium ex hypoth. Pontificia attulisset. Nec potuit Hebræ-
orum obstare ruditas. Scripsit enim Apostolus fratribus sanctis, in voca-
tionis cœlestis communionem admissis, c.3, v.1. & 12. qui Christi facti
sunt participes, principium fidei habentibus, v.14. versantibus in congre-
gatione fidelium, v.25. c.10. illustratis v.32. afflictionem sustinentibus ob
professionem fidei & socijs eorum, qui affliguntur: v.33. habentibus po-
tiorem substantiam in cœlis permanentem. v.34. Tum, commisit ijs & a-
peruit æternam filij Dei generationem, assumtionis & incarnationis my-
sterium, quod longè excellentius est & profundius, cur igitur non ausus
fuisset iis mysterium Eucharistiæ committere. Adhæc: ad perfectionem
tum

tum praxeos Christianæ, tum cognitionis divinæ illos exhortatus est, adeò ut abduceret illos à lacte ad solidum cibum. Ergo cum praxi Christianæ vitæ mysterium & Christianæ doctrinæ & singularis illius à Melchisedecho præfigurati sacrificij, si quod fuisset, docere potuisset. Tandem lacte, quo Hebræi *sunt instruendi, non notat retentionem & reticentiam quorundam mysteriorum non revelandorum, nec communicandorum, sed potius leniorem & humiliorem modum proponendi. Atq; ut planè præcisam esse novi alicujus sacrificij cogitationem in Melchisedeco doceret, ipse Apost. c. 7. v. 27. unicum illud crucis in Melchisedeci typo explicado memorat sacrificium.*

Consideret autem Herberus Francisci Turriani *Iesuitæ sibi contradicentis verba. Ille in Annotatis ad constitutiones Apostolicas* Clementis Romani, *lib. 8. cap. 5. p. 124. edit. Antuverp. causas omissæ comparationis sacrificij singularis Melchisedechi & Christi in contentione Apostolica redditurus ita differit.* Quærit præterea Illyricus, quare Apostolus, cum de Melchisedech tractat, nullam penitus mentionem sacrificii ejus facit: etenim quia non fecit, putat Illyricus, non fecisse sacrificium Domino ex pane & vino, sicut scriptura Genesis dicit, fecisse Cain sacrificium Domino ex fructibus terræ, sic enim est apud 70. Ratio 1. igitur fuit, ne suspicaremur in cœnâ tantum sacrificasse Christum, secunndum ordinẽ Melchisedech, si de sacrificio Melchisedech ex pane & vino meminisset. Deinde, quia Hebræi, ad quos scribebat, non ignorabant, neq; dubitabant de sacrificio Melchisedech ex pane & vino, cum apertè legerent, protulisse panem & & vinum Abrahæ, quia erat sacerdos Dei altissimi, ex quo planè intelligebant, eo modo protulisse, quo erat proprium sacerdotis proferre, nempe offerendo. Alia præterea causa fuit, & quidem potissima, quod docẽdo de saccrificio Christi cruento in cruce secundum ordinem Melchisedech, quatenus in cruce alioqui mortuus, mansit sacerdos in æternum, secundum virtutem vitæ indissolubilis, ad similitudinem Melchisedech, qui sine patre, sine matre, sie Genealegia, nec initium dierum, nec finem habens assimilatus filio Dei, manet sacerdos in perpetuum, docendo inquam de sacrificio illo crueuto secundum ordinem Melchisedech, simul docebat de sacrificio Christi incruento, sub specie panis & vini secundum ordinem Melchisedech: quia sicut in cruce factum est sacrificium, cum facta est mutatio ex non mactato in mactatum, sic etiam sacrificium incruentum fit, cum ex parte per consecrationem fit mutatio in idem corpus Christi,

§. 133. *Franc. Turrian⁹ Herbero contrari⁹.*

N quod

quod in cruce mactatum est, fit, inquam, mutatio sub specie panis & vini ad similitudinem sacrificij Melchisedech ex pane & vino: panis enim mysticus & vinum mysticum speciem habent similẽ panis & vini, quæ Melchisedech obtulit, in typum sacrificii mystici sacræ Eucharistiæ. Hæc TURRIANUS.

§. 134. *Herberus cum Gregorio de Valentia negat, Christum, quoad sacrificium in cruce peractum fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Sic enim Greg. de Val. lib. 1. de Missa c. 4. p. 691.* Paterer potius, *inquit*, cruentum Christi sacrificium in cruce, cujus Aaronica sacrificia magis propriè typus fuerunt, secundum ordinem Aaronis quadantenus appellari. *Vide tamen Bellarm. loc. cit. qui ait, propriè loquendo sacrificum crucis nec secundum ordinem Aaronis, nec Melchisedeci esse, & fidelibus debere esse compertissimum & certissimum, Christi in cruce sacrificium non esse secundum ordinem Aaronis. TURRIANUS verò Christi sacrificium in cruce, sacrificium secundum ordinem Melchisedech appellat. Tannerus Ies. T. 4. Theol. schol. disp. 1. quæst. 7. dub. 3. p. 459. addit Henriquez & Gretserum cum alijs, qui ajunt, sacrificium crucis fuisse secundum ordinem Melchisedech non tantum ratione sacrificantis Christi, qui fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sed etiam ratione ipsius oblationis, significatæ per sacrificium Melchisedech. Herberus ait, Iudæorum ruditatem obstitisse, quo minus Apostolus revelaret mysterium sacrificij Eucharistici. TURRIANUS ait, illud ab Hebræis non fuisse ignoratum. Herberus putat, à scopo Paulino alienam fuisse tractationem de sacrificio Melchisedechi & corporis & sanguinis Christi. TURRIANUS verò ex tractatione Paulina, tanquam rem per se cognitam patere illa asseverat.*

§. 135. *Alfons. Salmerō. Herbero adversus.* *Consideret etiam Herberus, quod ALPHONS. SALMERON ait, Tom. 9. tract. 27. §. Objiciunt, p. 203. Postremò cavillantur, quod Paulus qui latè de Melchisedech philosophatur in Epist. ad Hebræos maximè, c. 7. nunquam oblationis panis & vini meminerit.* Sed profectò infirmum argumentum est à negativa deprомptum, atq; illud Apostolum consultò subticuisse, & subintelligi voluisse, tanquam rem notissimam & compertissimam, credendum est. † *Consideret etiam RIBERÆ responsionem ex Comm. in Ep. ad Hebr. c. 7. n. 64. p. 314.*

§. 136. *Rib. a Herberū oppugnat.* Non pertinebat ad Apostolum dicere, quid Melchisedech obtulisset, sed assumebat, quod Iudæi negare non poterant, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: cætera putabat ex Genesi cognosci, quo loco tantùm de Melchisedech egerat scriptura, & ex eo intelligi poterat, panem & vinum obtulisse, idque

tacitè

tacitè Davidem indicaſſe,quia niſi hæc obtuliſſet, nihil eſſe, cur
Chriſtus diceretur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.
Hæc Ribera.† *Si itaq; Hebræi ex conſideratione Geneſeos & Davidis in-* §. 137.
telligere poterant,tanquam rem notiſsimam & compertiſsimam, quia
Chriſtus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ideò Melchi-
ſedecum obtuliſſe panem & vinum, cognoſcebant igitur etiam Chriſti
oblationem in pane & vino;cur ergo timet Herberus, ut Apoſtolus rudi-
bus & lacte cibandis Hebræis magna & ineffabilia myſteria Dei revelet.
Conciliet potius ſuas cauſas cum Turriani,Salmeronis & Riberæ ratio-
nibus,aut omnium ſimul nullitatem agnoſcat,fateaturq; nobiſcum,non
omiſiſſe ſacrificium ſingulare Melchiſedechi, ſed contuliſſe potius cum
Chriſto,ſi aliquod fuiſſet, & quia altum de eo eſt ſilentium, nullum o-
mninò fuiſſe affirmet.† *Id quod & agnoviſſe videtur* Bened.Arias Mõ- §. 138.
tanus,*in notis ad cap.1.Ep.ad Hebræos p. 20. Vbi Pauli ſcopum in c.7.*
fuiſſe ait,reſpondere ad magnam Iudæorum querelam, quæ fuit,
quî fieri potuerit, ut illa ſacrorum majeſtas & ſanctitas, à Deo in
Aarone & Aaronis poſteritate inſtituta, tanto tempore conſerva-
ta,Ieſu doctrina &,ut Apoſtoli prædicabant, virtute de medio tol-
leretur,atq; otioſa jam vel potius inutilis, imò pernitioſa dicere-
tur,non eſſe bonam Ieſu doctrinam, qua tam pulchra religionis &
Iſraëliticæ pietatis pars abrogaretur. Hæc igitur ſumma quæſtio
eſt,quam diſſoluturus Paulus, ſolidiſſimo inſiſtit fundamento ve-
ritatis divinæ atq; conſtantiæ in promiſſis ſervandis,ita, ut, quod
à Deo dictum fuerat,nulla humanæ ſapientiæ exceptione vel in-
terpretatione infringi aut everti poſſit. Sex autem partibus ora-
culum conſtat:1.eſt autor Deus. 2. Iuramentum cum confirma-
tione, 3. novus ſacerdos conſtituendus. 4. Sacerdotij æternitas:
5.Sacerdotis hujus novi nomen. † 6.Sacerdotij ritus ſeu conſtitu- §. 139.
tio:non ſimilis Aaronis ſacerdotio & ordini,ſed ad ſacerdotij Mel-
chiſedech inſtar:& quoniam omnis diſputatio ad hujus ſacerdo-
tis & ſacerdotii rationem refertur, de hac ratione diſſerendi ini-
tium ab ipſa Melchiſedech perſona ſumit, cujus partes altius re-
petit,inprimis nomen ipſum æſtimatur ex etymo Melchiſedech,
Rex juſtitiæ ſive juſtus rex:deinde dictum eſſe ait & ſalutatum re-
gem Salem,quod & pacis & conſummationis atq; perfectionis re-
gem interpretatur:eundem etiam ſacerdotem dictum eſſe ait, Sa-
cerdotem,inqnam,Dei altiſſimi,1.à Deo altiſſimo conſtitutum &
Deo altiſſimo ſacratum ſacrificantemque: hunc autem & Abrahæ
à cæde revertenti obviam factum eſſe,& benedixiſſe, ut majorem

minori; sacratiorem minus sacrato: id verò Abrahamum agnovisse, decimis ex omnibus spoliis oblatis::&c. *Nusquam verò Arias de sacrificio quodam panis & vini meminit, in quo Melchisedeco Christus responderet, quod tamen scopo Paulino, ut ab Aria explicatur, convenientissimum fuisse & efficacissimum ad querelam Iudæorum sistendum, satisfaciendumq; ipsorum de abrogatis sacris quæstionibus.*

§. 140. *OCTAVO. Benedictio est sufficiens causa, cur Melchisedech sacerdos Dei altissimi vocetur, etiãsi mentio sacrificij nulla fiat.* *Bellarminus quidem id negat l.c. dum ait,* non rectè adversarii dicunt, Melchisedecum, ut sacerdotem, benedixisse Abrahæ, & proinde malè interpretantur scripturam, cum sic reddunt, *erat sacerdos & benedixit ei.* Nam Abraham sacerdos erat, ut patet ex plurimis sacrificiis, quæ obtulit: non igitur Melchisedech, ut sacerdos, benedixit Abrahæ, sed quia major sacerdos, vel quia absolutè major erat, cum & Rex & Sacerdos esset. Non enim est solius sacerdotis benedicere, sed omnis majoris: Quare B. Paulus Hebr. 6. ex eo quod Melchisedech benedixit Abrahæ, non colligit, Melchisedech sacerdotem fuisse, sed Abraham majorem. *Verum omnes circumstantiæ evincunt contrarium.*

Benedictio Melchisedeciana qualis.

§. 141. † *Nam 1. negare Bellarminus non potest, verba ipsa textus illius hũc sensum admittere. 2. nec illud inficiabitur, à magnis interpretibus hunc sensum redditum esse, 3. Imò arcta connexio inter titulum sacerdotis & actionem benedictionis idem suadet: 4. Et si actio proferendi panem & vinum erat sacerdotalis ex sua naturâ, siq; illa prolatio nihil est, nisi oblatio altissimo facta, non opus erat, ut subderetur, quod fuerit sacerdos Dei altissimi Melchisedech, cum constet, neminem debere offerre, nisi sit Sacerdos. 5. Benedictioni verò ut præmitteretur ille Sacerdotis titulus, necessarium erat, quia benedictio, ex hypoth. Bellarmini, etiam aliis non sacerdotibus competit.*

§. 142. † *6. Voluit Spiritus S. docendæ efficaciæ benedictionis Melchisedechianæ causa, causam primam benedictionis & originem præfigere, ut doceret, quisnam in sacerdotium hoc singularissimum divini numinis opus contulerit. 7. Non erat benedictio communis illa & quæ etiam à rege vel quovis alio non sacerdote proficisci potuisset. Erat enim Abraham jam ante instructus* χαρίσμασι *divinis variis & ita quidem benedictus, ut maximè esset acceptus Deo. Major igitur & eminentior adeoq; singularis benedictio hîc à Melchisedeco in Abrahamum proficisci debuit. Quia itaq; singularis & sublimis actus erat hujus benedictionis, omninò fuit prænotandus singularis ordinis institutionisq; sacerdos.*

§. 143. † *8. Dubitandum non est, quin fuerit specialis etiam & à vulgari benedictione secernens ritus*

ritus a Melchisedeco adhibitus, *cujus intuitu & consideratione augustior planè sanctiorq; ejus apparuerit operatio, cujus ritûs Altißimus solus erat institutor, à quo solo, dum sacerdos altißimi dicitur, omnia accepit & didicit. Qualis etiam ritus fuit in Sacerdotali benedictione Num. 6.v.22. Notat enim* Capnio *lib.3. Cabal. p.885.* è Salomone Trecensi *Commentatore sacræ scripturæ ordinario*, quod sacerdotes benedictionem præscriptam tribusdigitis in utraq; palma erectis & reliquis duobus depressis antiquitùs pronunciaverint:& addit TRECENSIS: firmissimè credunt nostri & nullatenus dubitant, hac forma expressam benedictionem tantæ prosperitatis esse causam, quantæ fuisset, si nomen tetragrammaton, quod nunc Adonai pronunciant, in istis imprecationibus permaneret, &c. † *Erant autem, teste FAGIO, hæc requisita ad istam benedictionem necessaria.* 1. ut proferatur lingua sancta. 2. ut stando pronuncietur, 3. sacerdotes manum attollant: 4. elevata voce pronuncietur. 5. facies suas ad populum convertant, 6. fiat in nomine Dei tetragrammato. † 9. Alfonsus Castrensis, *lib.10. adversus hæreses, in verbo MISSA, p.283. fatetur*, benedictionem hanc Geneseos 14 fuisse benedictionem singularissimè sacerdotalem, ex qua etiam sacrificium panis & vini probat. Est igitur sufficiens causa tituli Sacerdotalis Melchisedeco attributi. Sic autem se habent verba. Ipsa eadem scriptura refert, Melchisedech benedixisse Abrahæ & Abraham obtulisse illi decimas. at benedicere & decimas offerre non sunt prncipum officia, sed sacerdotum. † 10. *Notamus circulum Sophisticum, quem* Cornelius Corn. à Lapide, *in Comment. in Genesin ad hunc locum committit. Probaturus enim, Melchisedecum protulisse panem & vinũ, ut sacrificaret, ex eo deducit, quia dicitur*, erat enim sacerdos: *& ita ratiocinativè subjungitur titulus sacerdotalis: vicißim probaturus, quod sit vertendum*, erat enim sacerdos Dei altissimi, *& ita ratiocinativè intelligẽda hæc verba, ex eo demonstrat, quia dicitur* protulisse panem & vinum *in sacrificium. Verba sunt.* Proferens panem & vinum, non ad cibum militum, vel ad epulum victoriale, jam enim ex præda saturi erant milites: sed ad sacrificium pacificum in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ à Deo concessa offerendum. Patet id ex eo, quod dicitur, *erat enim sacerdos*: quasi dicat, *protulit panem & vinum*, quia erat sacerdos, cujus proprium munus est sacrificare. *Ad verba verò*, Erat enim sacerdos, *notat*, Hebraicè vehu Cohen, & ipse sacerdos, 1. quia erat ipse sacerdos: dat enim causam cur protulerit panẽ & vinũ. *Et hæc de benedictione Melchisedecianâ.*

§. 144.

§. 145.

§. 146.

§. 147. *NONO. Plurima absurda, quibus involuuntur Iesuitæ,*
docent, malè ad stabiliendum sacrificium quoddam missæ lo-
cum de Melchisedeco adhiberi. Nam 1. *Otiosum vocant illud sacer-*
dotium, quod non habet sacrificium iterabile. Vnde inferunt, si sacri-
ficij ritus non durat usque ad consummationem mundi, nec ipsum sacer-
dotium posse durare usque ad consummationem mundi: & vicißim, si
sacerdotium Christi durat usque ad consummationem mundi, ipsum sa-
crificij ritum quoque usque ad consummationem mundi durare debere.
Vnde apparet Iesuitas Christi sacerdotium respectu cruenti sacrificij, &
§. 148. *ita ipsum cruentum sacrificium vocare otiosum.* † 2. *Eandem imper-*
Iesuitarũ in N. T. blasphemia. *fectionem Novo T. quam Veteri attribuunt, dum Melchisedeciani sacri-*
ficij in pane & vino ritum urgent. Aiunt enim, ante Christi incarnati-
onem, quia Christus reipsa nondum erat Sacerdos, non poterat per se sa-
crificium offerre: tamen ut etiam eo tempore sacerdos dici posset, & es-
set ipse unus ab initio mundi usque ad finem summus sacerdos, eo modo,
quo poterat, sacrificium offerebat, nimirum per typos & figuras. Vt e-
nim omnia sacrificia vetera figuræ erant sacrificij crucis, & in omnibus
illis victimis ipse immaculatus agnus typicè mactabatur, sic omnes sacer-
dotes illi typi quidam Christi erant, & in omnibus sacrificantibus ipse sa-
crificabat. Vnde porrò sequi putant, si propter sacerdotij æternitatem
Christus etiam ante incarnationem eo modo, quo poterat, sacerdotio
fungebatur, quantò magis post incarnationem, quando re ipsa à patre
sacerdos appellatur, non debet usque ad mundi consummationem ab of-
ficio sacrificandi cessare. Ergò, sicut propter imperfectionem & nondum
in carnem missum Meßiam per alios sacerdotes sacrificavit Christus, ita
& nunc ob eandem imperfectionem sacrificare tenetur? absurdum!
§. 149. † 3. *Dum Christum secundum ordinem Melchisedech sacerdotem esse*
asserunt, negant tamen Christum secundum ordinem Melchisedech per-
fectè esse sacerdotem. Melchisedecho comparatur Christus, quatenus, ve-
lut Melchisedech, est ἀγενεαλόγητος *nec principium nec finem habens, si-*
ne matre & sine patre, ita eodem ordine Christus est sacerdos ἀγενεαλό-
γητος *sine principio & fine, sine patre & matre, hoc est, æternus &* θεάν-
θρωπος. *Iesuitæ verò statuunt, sacerdotium Christo convenire, ut mi-*
nor est patre: non igitur quatenus est sine matre, sed tantùm, quatenus
sine patre. Ergò Christus non est verè & omninò sacerdos secundum or-
§. 150. *dinem Melchisedech.* † 4. *Paulus ad Hebræos c. 7. v. 1. ita loquitur. Nam*
hic erat Melchisedech, Rex Salem, Pontifex Dei altißimi, qui occurrit
Abrahæ revertenti à cæde regum & benedixit ei. Summam historiæ Gen.
14. paraphrasticè enumerat, & loco panis & vini prolati, generaliter
obviam

obviam ivisse Melchisedechum Abrahæ revertenti meminit, & quia Regium occursum innuit Paulus, subindicatum jam est, non fuisse parca & avara manu progressum. Vnde colligitur, primariam sacerdotalem actionem fuisse εὐλογίαν: *cum occursus sit munus Regale. At Iesuitæ respondent, Paulum id de occursu suis verbis addidisse. Vnde sequitur, non ejusdem spiritus animantis & dirigentis instatu Mosen Paulumque scripsisse, quomodo Canonicæ & infallibilis Epistolæ autoritas cadet: aut esse exactam harmoniam inter relationem Epistolæ & Geneseos, quomodo*
Paulum suis verbis hoc addidisse historiæ falsum erit & absurdum. † 5. §. 151.
Asserunt, sacrificium panis & vini, quod tamen primarium & principale fuerat in Melchisedecho, perspicuè non fecisse ad excellentiam Melchisedechi: quomodo igitur reliqua ad excellentiam demonstrandam conducent? Citant Hebræorum Rabbinos, qui magno numero excellentiam sacrificij illius agnoverunt & perspicuè intellexerunt, quæ tamen Hebræis, ad quos Paulus scripsit, fuit obscura! Quæ non consistere possunt! Annon enim, Iesuitis affirmantibus, Melchisedecum panem & vinum sacrificasse cognitum erat Iudæis? Si cognitum fuit, aut agnoverunt excellentiam, aut non: Si agnoverunt, non debuisset illam Paulus omisisse. Si non, fuisset è Paulo demonstranda: necessum fuisset enim occurrere illorum certissimæ instantiæ, quam ex incognita excellentia & putativâ tenuitate illius sacrificij texere poterant & texturi erant.
† *6. Varia latitant absurda in hoc etiam Iesuitico asseverato. Quod* §. 152.
Melchisedech benedixit, quod decimas accepit, non est proprium illius sacerdotis, sed commune etiam cum sacerdotio Levitico. Quod Melchisedech non fuerit unctus oleo sensibili, nec successerit alter, sed successerit ei alius, non est proprium Melchisedech, sed commune cum Abel & cum alijs nonnullis. Denique quod non scribatur ejus genealogia & proinde sit typus æternitatis sacerdotij Christi, præterquam, quod est quid extrinsecum ad sacerdotium, non est proprium Melchisedech, sed commune cum Iob, Elia & aliis: qui & sacerdotes erant & non describitur eorum genealogia. Quamquam enim 1. decimarum acceptio non sit proprium sacerdotij Melchisedechiani, tamen decimarum acceptio ab Abrahamo magno illo sacerdotij Levitici fundatore & Levitici ordinis parente, adeoque celeberrimi totius orbis sacerdotij capite, proprijssimum est
Melchisedeci. † *2. Falsum & absurdum est, quod Abeli in sacerdotio* §. 153.
nullus successerit: ut ex ipsis Iesuitis patet. † *3. Iobum esse* ἀγενεαλόγητον *refutant ipsi Pontificij.* Johannes à Pineda *latè ad cap. 1. v. 1. Iobi num. 31. & seqq. pag. 10. edit. Colon. de ejus genealogia differit: & commemorat primò sententiam* Johann. Benedicti *Theologi Parisini*

Bellarminus libro 1. de Missa c. 6.

§. 154. *Iobi Genealogia qualis.*

supra

ſupra allegati, qui Jobum nominat filium Iſaſchar: *qua refutatâ ce-*
lebriorem ſententiam Hieronymi *in tradit. Hebr. in Geneſin*, Iſidori *de*
Vita & Moree ſanct. c. 23. Ruperti *l. 6. in Gen. c. 34.* Rabani *lib. 3. c. 25.*
Hiſt. Schol. Petr. Com. *in Gen. c. 38.* Philippi *Presbyteri init. h. c. &* Be-
dæ *ib.* Lyræ, Dion. Carthuſiani & Hugonis de S. Caro, *Gen. 22.* Ar-
borei *lib. 9. Theoſoph. c. 12.* Adrichomij *in theat. terræ ſanctæ n. 95. re-*
cenſet: Jobum nimirum eſſe ex poſteris Nachor fratris Abraham.
quâ refutatâ quoque, Jobum ex poſteris eſſe Abrahami per Eſau,
quintum aut ſextum ab Abraham, tertium vel quartum ab Eſau,
docet, idque ſumit ex Origine, *h. l.* Auguſtino 18. *de civit. Dei, c. 47.*
Chryſoſth. *conc. 2. de Laz.* D. Gregorio *in præf. ad h. l.* Ambroſio &
Sedulio *ad Rom. 9.* Theodoreto *q. 92. in Gen.* Proſpero *de prædict.*
parte 1. c. 22. Euſebio *de demonſtr. Ev. lib 1. c. & 4.* Gregorio Turo-
nenſi *lib. 1. hiſt. Franc. c. 8.* Perionio *lib. 1. de vitis Prophet.* Alphonſo
de Toſtato *Gen. 22.* Sixto Senenſi *lib. 1. v. Iob. lib. 8. hær. 10.* Volaterra-
no *Anthropol. lib. 13. Conſentit* Pinedæ, Antonius Poſſevinus *Tomo 1.*
Apparatus Sacri, pag. 955. v. Iob. edit. Colon. Item Benedictus Pererius,
ad c. 36. Gen. v. 24. & 33. diſputatione 2 pag. 892. Gilbertus Genebrar-
dus *Chronolog. lib. 1.* Auguſtinus Torniellus *in Annal. V. T. Anno 2329.*
§. 155. *à M. C. num. 22. pag. 251.* † 4. *De Elia, quod adfertur, non eſt ita ἀγενεα-*
λόγητ⊛, ſicut Melchiſedech: cum Eliæ converſationis mundanæ finis
ſciatur: Melchiſedechi verò non item. 2. *Notet verò Herberus, quod de*
Eliæ Thisbitis genealogia B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis & E-
piſcopus Oſtienſis *apud* Aug. Torn. *Anno M. C. 2583. num. 20. pag. 361.*
ſcribit: quod Elias fuerit idem, qui & Phinees Coritarum dux, cui
per accidens hoc nomen Eliæ additum fuerit. *Phineæ verò Genea-*
§. 156 *logia apertiſſimè conſtat.* † 7. *Taxat quosdam, qui vocabulum ſacerdo-*
tis in principis converterunt, Herberus: ex illis verò eſt Hieronymus
ab Oleaſtro *inſignis Pontificius ad h. l. quem ob id taxat* Heinricus
Heinriquez *Ies l. 9. Theol. Moralis. c. 10.* & malè ipſum favere ener-
vantibus vim hujus argumenti, *ait.*

Hæc ſunt, quæ ad evertendum ex hiſtoria Melchiſedeli argumen-
tum pro ſacrificio Miſſæ accerſitum, adeoque totam rem illuſtrandam
fuſius adduximus: & licet varia alia abſurda ſubtexere haud difficile
eſſet, quæ hinc inde per ſcripta ſua in hujus hiſtoriæ detorſione ſparſe-
runt Pontificij, tamen hac vice ſuperſedebimus: extorquebit no-
bis illa fortaſſis aliquando Herberus. Sequitur porrò
Caput quartum.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

QUID SIT IN DANIELE JUGE SACRIFICIUM EXpenditur: De Enoch & Elia quædam examinantur: Missæ nullitas ulterius excutitur.

ASSERTIO. *Jugis sacrificij per jugum Antichristi ablatione, non missæ idololatricæ abolitio, sed cultus sacri divinique verbo Dei scripto comprehensi suppressio & depravatio typicè intelligitur.*

EXEGESIS. Herberi pro stabiliendo Missæ sacrificio ex locis Danielis, cap. 8. v. 12. & 13. Dan. 9. v. 29. Dan. 12. v. 11 argumentum tale est. Illud sacrificium per juge sacrificium est intelligendum, in locis allegatis, quod sub finem & interitum mundi ab Antichristo est abolendum. At sola Missa sub finem & interitum mundi est abolenda. E. sola Missa est juge illud sacrificium. *Vel ita formari potest.* Illud est veri & proprij nominis sacrificium, quod Danielis locis vocatur juge sacrificium. At sola Missa in Danielis locis vocatur juge sacrificium. E. Sola Missa est veri & proprij nominis sacrificium. *Majorem probat Herberus*: 1. quia plurimi Danielis locum ad Antichristum referunt per allegoriam: 2. quia ipse Christus per allegoriam apud Matth. 24. v. 15. ad Antichristianam persecutionem accommodat: 3. quia talis tribulatio hic innuitur, quæ à temporibus prioribus non fuit. 4. quia innuitur tempus, quale non fuit ab eo, à quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. 5. quia loquitur de tribulatione per tres annos & dimidium duratura à tempore, quo ablatum fuerit juge sacrificium. 6. quia loquitur de eo tempore, in quo salvabitur omnis populus, qui scriptus fuerit in libro & in quo multi resurgent, alii in vitam æternam, alii in opprobium; quæ universa, *inquit Herberus*, cum nentiquam illi tempori aptari queant, quo Antiochus Hierosolymam vastavit, AD LITERAM in istud tempus conveniunt, quod proximè extremi judicij diem mundique occasum antevertet, quia Christus Matth. 24. commemorans abominationem desolationis factæ in loco sancto caput nonum *Dan.* respicit; eaque CEU FIGURA alludit ad eam, quam vult in finem mundi referri. † *Missam autem esse juge sacrificium, probat Herberus*, 1. quia aliud juge sacrificium Christianæ Ecclesiæ non habent, 2. quia missæ sacrificium est cultus divinus nunquam intermissus, 3. quia non bis tantum mane & vesperi, sed omni loco & tempore horis antemeridianis

Argumenti Herberiani forma.

§. 1.

§. 2.

offertur, 4. quia Antichristus laborabit, ut illud non publicè saltem fiat & hac ratione tollet.

§. 3. *Herberus sibi contradicit.* *Nos hanc Herberi de locis Danielis dissertationem subruimus & intervertimus, 1. è notatione contradictionis propriæ. Dicit Herberus*, quæ in locis è Daniele allegatis producuntur, non posse alii tempori convenire, quam AD LITERAM illi, quod proximè præcedet interitum mundi. Necessariò igitur accommodanda esse desolationis abominationi, quam Antichristus paullò ante interitum mundi in Ecclesiam invehet. *Et tamen fatetur*, Christum de abominatione desolationis Matth. 24. commemorando, ad vaticinia Danielis tanquam AD FIGURAM alludere. *Quæ contradictoria sunt: si enim vaticinia Danielis* ad literam *de abominatione per Antichristum in Ecclesia excitanda circa finem mundi loquuntur, ut asserit Herberus, cur* Christ*us ad ea respicit, tanquam* ad figuram *illius abominationis Antichristianæ. Et, si abominatio in locis Danielis descripta est figura illius Antichristianæ, non est secundum literam ipsa Antichristiana. Figuraliter seu typicè aliquid depingere, & secundum literam aliquid describere simul consistere in eadem oratione nequeunt.*

§. 4. *Bellarminus sibi contradicit.* *2. Ex observatione contradictionis Bellarminianæ. Bellarminus lib. 1. de Missa c. 9.* Quintum testimonium est *Danielis 8. & 9.* ubi dicitur Antichristus ablaturus juge sacrificium; quem locum de sacrificio Missæ exponit *Hippolytus Martyr* in libro de Antichristo: nec obstat, quod Daniel loqui videatur de Antiocho: loquitur enim de Antiocho, ut figuram gerebat Antichristi, ut patet ex collatione hujus loci cum Apocalyps. 13. Item, aliud est tollere, aliud corrumpere. Antichristus non corrumpet, sed simpliciter auferet juge sacrificium, saltem ex templis. *At lib. 3. de Ecclesia milit. c. 16. ait.* Ad quintum dico, nos non gloriari in templis & successione Episcoporum & Apostolica sede secundum se, sed propter Christi promissionem, qui ait, & portæ inferni non prævalebunt adversus eum. Qualem promissionem *Iudæi* nunquam habuerunt. Neque verum est, alicubi in scripturis prædictam esse Ecclesiæ ruinam, sed potius contrarium ubique. Quare & illud *Danielis*, etsi *Hilarius* Canone 25. in Matth. *& Hippolytus atq; Apollinarius* in c. 9. Dan. intelligant eam prophetiam de tempore Antichristi, tamen sine dubio decepti sunt. Loquitur enim Daniel apertissimè de eversione Hierusalem, & cessatione sacrificij Judæorum; sic enim exponunt *Chrysostomus & Theophylactus & Hieronymus*, in c. 24. Matth.

24. Matth. *Augustinus* Ep. 80. ad *Hesychium*, nec non *Euseb.* lib. 8. Evang. Demon. c. 2. *Clemens Alex. lib.* 1. stromat. *Tertullian.* lib. cont. Jud. c. 5. & communis opinio Hebr. *ac Iulius Africanus* apud *Hieronym.* in c. 9. Dan. & hanc solutionem coguntur admittete hæretici. Nam ipsi dicunt, jam esse tempora Antichristi & fuisse jam à multis seculis, & tamen non cessavit hostia & sacrificium. Ergò debēt intelligere locum hunc Danielis non de tempore Antichristi, sed de eversione Hierosolymæ, quod sanè ex Evangelio evidenter colligitur. Quod enim Matth. 24. ait, *cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stante in loco sancto, qui legit, intelligat, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*; Idem sic exposuit Lucas c. 21. *Cum videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitotē, quia appropinquavit desolatio ejus: tùm qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Hactenus Bellarminus sibi & Herbero contrarius.*

3. *Ex interpretationis ratione genuinâ. Danielis* 8. & 12. *habetur in Hebraico textu vocula* התמיד *Dan.* 9. *verò habetur vocabu-* §. 5. Vox thamid. quid significet.
lum זבח ומנחה, *quæ vocabula sua nativa, propria & frequentissima significatione sacrificij Iudaici genera notant. Vox* תמיד *verò cōtinuum, juge, peremne per se tantùm significat. Vnde* Græcus textus *habet* ἐνδελεχισμὸν *continuitatem. Non necessariò igitur vocabulū* תמיד *explicandum per juge sacrificium, sed potest jugem cultum Dei & perennem Sanctissimi Iehovæ Evangelióq; conformem venerationem notare: nisi ipsæ textus circumstantiæ id evidenter urgeant.* Glossa *tum* marginalis, *tum* interlinearis *de cultu DEI interpretatur.* Marginalis *habet:* Cum ablato Dei cultu & desolato Antichristus abominabiliter exhibebit se adorandum: quam interpretationem habet etiam in postilla super hunc locum Cardinalis *Hugo de* S. *Caro.* Interlinearis *autem habet:* Antichristus orbem possidens Dei cultu interdicet. *Theodoretus* pariter in Danielem *interpretatur,* Ecclesiasticum cultum. *De quo Chrysost.* in Ep. ad Rom. Hom. 29. Ipsum mihi sacerdotium est prædicare & Evangelizare, hanc offero hostiam. *& Origenes* in Ep. ad Rom. c. 15 lib. 10. Sacrificale opus, annunciare Evangelium. † *In V. T. vox hæc illis sacrificiis tribuitur,* §. 6.
quæ stante templo nunquam licebat intermittere, qualia præcipue erāt duo illi agni, qui mane & vespere quotidie pro populi expiatione offerebantur. Cujus oblationis statutæ horæ etiamnum שעור מנחה *horæ placationis vocantur. Quod genus sacrificij longè augustissimum Veteri Israeli fuit & valdè religiosè observatum, adeò ut fabula hinc illa ori-*

Fabula Iudaica de omisso sacrificio matutino in nuptiis Salomonis ginem traxerit, quã fingunt, Salomonem, dum Pharaonis filiam uxorem duxit, nuptiale convivium in multam noctem protraxisse. Unde factum, ut postero die similiter somnum ultra tempus placationis extraheret. Cum verò is templi claves secum haberet dormientemq; cum sponsa nemo auderet excitare, factum esse, ut sacerdotes eo die juge sacrificium tempore matutino omiserint. Exardescente itaq; super hoc ira Dei, dicunt Salomon occasionem fuisse præbitam, ut in Paradysum usq; ad arborem scientiæ boni & mali penetraverit. Ex qua decerptum surculum in Italia eo loci defixit, ubi paulò post ROMA hujus sui diuturni exilij

§. 7. causa & sæva Domina extructa est. Hactenus fabula. † Prædictas horas etiamnum superstitiosissimè observant, creduntq; cœlum tum aperiri & precibus suis magis pervium esse: addunt etiam, etsi hoc tempore nullum tale sacrificium in terris offeratur, in cœlo tamen illud statutis horis

§. 8. לפני בסא הכבוד corã throno majestatis jugiter offerri. † De voce תמיד Forsterus annotat, eam à radice עמוד adstitit, derivari, ut

Originatio vocis thamid. תמיד dicatur, quasi העמיד. Graserus mavult ex diversis radicibus esse compositam à תמם & עמוד: quarum hæc significat stetit, adstitit: illa integer, perfectus & inculpatus fuit. Quæ attributa in agnis illis matutino & vespertino tempore offerendis requirit ipse etiam Iehova, ob adumbratum agnum tollentem peccata mundi morte innocentissimâ. In Christi enim officio illa eleganter repræsentata fuerunt, quo is se coram patre irato sistit, suamq; ei inculpatam faciem obvertens, sic

Hebr. 10. eum secundum Ep. ad Hebræos alloquitur, En adsum pater mi, in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, ô DEUS.

§. 9. † Habetur vox תמיד in V. T. sexagies semel secundum notationem Marci Marini in Arca: nunquam tamen absolutè, exceptis locis Danielis, sineq; adnexo quodam pro sacrificio usurpatur: secus ac refert Herberus falsò. Illud igitur certissimum est, literaliter per juge sacrificium hoc loco intelligi agnos illos indies mane & vesperi immolandos in templo Hierosolymitano ex præscripto Dei: typicè verò id, quod agni illi adumbrabant, sanctissimam nimirum & irreiterabilem adeoq; unicam hostiam pro peccatis totius mundi in ara crucis mactatam Christum. Nihil autem de Missa hic habetur. Quæ enim Consequentia; juge auferetur ab Antichristo, E. Missa auferetur. Possunt enim & alia esse continua atq; perennia sacra Ethnicorum, eorum tamen ablatio hic non colligitur aut intelligitur. Illius igitur continui durantisq; sacrificij ablatio hic intelligitur, quod ex instituto divino pendet. At ex eo non est deducta Missa. Ut toto hoc tractatu docetur.

4. *Ex antiquitatis sano consensu.* Hieron. in comment. ad h.l. *etsi de Antichristo interpretetur, non tamen ad Missam accommodat sed in genere ad Dei cultum: hujus autem generis illegitima & supposititia species est Missa. Verba* Hieronymi *sunt.* Quando Antichristus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, usque ad internecionem ejus, tres semis anni, id est, mille ducenti & nonaginta dies complebuntur. *Origenes* ad c. 24. Matth. Tract. 19. *ait.* Septuaginta annos, qui fuerunt post adventum Salvatoris nostri demonstrare videtur sermo. Hæc enim septimana, quæ propter septem decadas annorum dicitur septimana, confirmat testamētum multis; quando & Apostoli post adscensionem ejus orationi & verbo instantes illuminabantur à Deo in omnem scientiam voluntatis divinarū scripturarum & à Spiritu S. In medio aûtem septimæ i.in ribus & senis decadis sublatum est sacrificium altaris, id est, in ginta quinque annis: & impletum est, quod fuerat scriptum, In dimidio septimanæ tolletur libatio & sacrificium. Tuuc autem super templum, quod fuit in Hierosolymis, facta est abominatio desolationis templi & civitatis: in eo videlicet tempore, quando viderunt circundatam Hierusalem ab exercitu. *Chrysostomus* adversus Judæos Orat. 2. *ait.* Progressus in Antiochum desinit iterum, dicens, *Brachia ex ipso exorientur & profanabunt sanctum & transferent continuationem & inferent abominationem.* Item Hom. 76. in Matth. c. 24. *ait.* Abominationem statuam appellat Danielejus, qui urbem expugnavit, quam desolata urbe & subverso templo intus statuit. *Et* in Op. Imperf. in Matth. c. 24. homil. 29. Illîc exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem reducturus fuerit Iudaicum cultum. Hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas à Deo. Nam antequam caperent Romani Hierusalem, in medio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio juge sacrificium Iudæorum. *Quæ omnia nihil ad Missam conferunt.*

§. 10. *Antiquitatis de locis Danielis testimonia.* Hieronymus. Origenes. Chrysostomus.

5. *Ex supposititiæ antiquitatis detectione.* Bellarminus *& alij, ut locum Danielis ad missam trahant, unicum* Hippolytum *quēdam Martyrem lib. de Antichristo adducunt. Adeò glaucoma est, quod de nube patrum Herberus garrit. Hippolytus verò ille adulterinus & supposititius est. Episcopum & Martyrem eum fuisse*, Origenis *ætate vixisse, tradit* Hardingus *in disputat. cum* Johanne Ivello Episcopo Sarisburiense: Anton. Possev. *in apparat. &* Bellarm. *in lib. de scriptorib.*

§. 11. *Hippolyti Martyris supposititium de Antichristo scriptū*

rib. Ecclesiast. Ejus de Antichristo libellus nuper Græcè demum editus, exiguus sanè est, pretij penè nullius, nec fidei quidem majoris, incognitus
§. 12. *puræ & genuinæ antiquitati.* † *Fuisse autem libri authorem hominem indoctum & illiteratum, cum ex ipso Græcæ dictionis genere, quod plerunq; puerile est, tum ex rei veritate atq; pondere apparet. Primam libri sententiam exorditur ab enim γὰρ, quod nè in schola quidem puer auderet: Multas habet de natalibus atq; vita Antichristi inanes conjecturas, Antichristum non hominem, sed dæmonem fore humana figura præditum affirmat. Præterea Antichristum Ægypti, Africæ atq; Æthyopiæ reges debellaturum esse somniat: & proinde Hierosolymitanum templum reædificaturum: D. Iohannem, qui libros Apocalypseos scripsit, cum Henocho & Helia dennò adfuturum fingit: Cumq; commentarium illum in Danielem Prophetam nominatim scribat; Ioannis Apocalypsin pro Daniele usurpat: quod vel magnam ejus inscitiam, vel summam oblivionem prodit. Adhæc animas hominum ab ipso initio extitisse asseverat: quod hæreticum: aliaq; sunt crebra ejus somnia atq; deliria. Vide literatissimum* Sarisburiensem Episcopum Ivellum contra Hardingum *artic.1. sect.5. p.9.* † *Legamus de* Hippolyto Pererium *in Daniel lib.14. p.693.* Hic maximè, *inquit*, cavendum est lectori, ne fortasse permotus autoritate Hippolyti in errorem ejus à Patribus damnatum impingat. Putavit ille, Antichristum non alium futurum, quam ipsummet Diabolum, sub specie simulata humani corporis & natura. Quam opinionem tacito ejus nomine damnat *Hieronymus* ad h.l. *& Damascenus* l.4. de Orth. fide c. 28. *Pariter carpit* Hippolytum *ejusq; hac in re asseclam* Ambros. Catharinū, *quod duobus ad Antichristum debellandum redituris Enocho & Eliæ adjungat Iohannem, quem nondum mortuum, sed in paradysum terrestrē translatum sine somno somniant. Vide Perer.* lib.15. in Danielem p.75 *Et quamvis* Hippolytum *mirificè decantet in Apparatus Sacri Tomo 1. p.762.* Antonius Possevinus, *non tamen intactum ipsum transit, dum ait.* Nec verò Hippolyti sententiæ acquiescendum, quia Johannem Evangelistam facit adhuc superstitem, atque cum Enocho & Elia venturum ad verbum Dei prædicandum. Minus item alteri sententiæ ipsius, qua putavit Antichristum non futurum verum hominem, sed corpus phantasticum solum ostentaturum. Sixtus Senensis *accuratissimus antiquitatis evolutor non meminit libelli* de Antichristo ab Hippolyto *scripti; ait tamen*, Basileæ superioribus annis repertos fuisse commentarios quosdam in Apocalypsin Hippolyto inscriptos (*sunt fortasse libellus de Antichristo*) de quibus

§. 13. Pererius carpit de Antichristi natura Hippolytum. Hippolytus de Iohanne nondum mortuo.

§. 14. Possevinus reprehendit Hippolytum. Sixtus Senensis. non meminit lib. de Antich.

quibus ob eruditionis & styli inopiam (*falsò ait Possevinus Senensem dicere Copiam*) ambigitur: *lib.4. Biblioth. Sanct. p.273. Et meminit* Gabriel Bisciola Mutinensis Jesuit. *in Ep. Ann. Baron. ad Ann. Christi 330. p.120. tum temporis confusas fuisse ob nomina personas & antiquo illi Episcopo & Martyri attributa, quæ militi & presbytero cõpetunt. Potuit igitur factum esse, ut recentior quidam* Hippolytus *illi prisco & genuino supponeretur.* † *Fatetur etiam* Bisciola, *nihil plurimarum lucubrationum* Hippolyti *extare præter libellum de Antichristo. Deest igitur collatio hujus libelli cum aliis indubitatis scriptis ejusdẽ: quæ princeps medium judicandæ illibatæ antiquitatis. Certè ad* Origenis *flumen eloquentiæ, qui æmulus fuisse fertur* Hippolyti, *collatus libellus de Antichristo, nihil habet, in quo par videri aut judicari queat. Licet igitur* Hieron in script. Eccl. *Hippolytum de Antichristo scripsisse dicat, hoc tamen illud scriptum esse incertum, imò falsum est. Illud hîc quoq; submonendum, quod Pererius Hippolyti commentum de templo Hierosolymitano in gratiam Iudæorum restaurando & Antichristo ibi sessuro, refellat ex eo, quod sola* Christianorum *templa, quæ sola vera, sint templum, quod Antichristi sedes futurum sit: cum Iudaicum templum post mortem Domini nostri omni religione sanctitateq; privatum, profanum, impurum & impium evaserit: & prædixerit Dominus noster & Daniel, desolationem illius templi fore in omne tempus irreparabilem* lib.14. In Daniele p. 718. † *Licet autem concedamus Hippolytum libelli hujus autorem esse, nihil tamen est in verbis ejus, quod missam illam Pontificiam arguat. Verba* à Petro Busæo Iesuita *ad sect.7. de Euchar.* Petri Canisii *Catech. p.229. hæc citantur.* Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurii instar erunt, preciosumque corpus & sanguis Domini non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur: sed erunt apud homines tenebræ, lamentatio super lamentationem, væ super væ: *Quid hîc, quod missam sapit?* Num oblatio? *At sunt alia etiam, quæ oblationis nomine veniunt, præter missam. Imò Missa primâ institutione vocabuli non est oblatio, ut superius disseruimus.* Num illud, quod ait, preciosum corpus & sanguinem Domini non extiturum? *At sunt etiam alii modi, quo corpus & sanguinem Domini alicubi non extiturum dicere queamus: Scilicet in non legitimâ & digna veneratione, negatione assistentis gratiæ, asseveratione illegitimæ cujusdam existentiæ, usus convenientis & publici ratione. Vnde, quandò in missa dicitur* exi-

Gabr. Bisciolæ Epit Baronii.

§.15.

§.16. *Hippolyti verba nil agunt pro missa.*

existere corpus & sanguis Christi per transsubstantiationem, asservationem, gestationem & alios Pontificiorum idololatricos modos, non existere divinis literis consentaneum dicitur. Num quod ait, Liturgiam extinctam iri? *At liturgia non est Missa, sensu Papali detorta, ut infra disseritur. Nihil igitur in* Hippolyto *præsidij habet Papistica congregatio. Conf. Ioh. Picum præf. in Hippol. græce Paris. A. 1556. editum.*

§. 17 *Ecclesiæ perennis visibilitas tollitur è locis Danielis.*

6. Ex Ecclesiæ secundum mentem Pontificiorum qualitate inseparabiliq; proprietate. Hostia & sacrificium apud Danielem auferetur. חוסר amotus, remotus, ablatus fuit, *significat. Vnde Esaiæ 17 v. 1.* דמשק מוסר מעיר Dammesec *dicitur* remota à civitate, *ne amplius sit civitas, sed acervus ruinæ. Notat igitur ablatio sacrificij ad literam omnimodam abolitionem destructionemq; cultus Mosaici, in templo Hierosolymitano solennitate maxima celebritati: & quatenus hæc Antichristianæ typus est desolationis, notat, Antichristum idolomaniarum corruptelarumq; immani & horrenda varietate occupaturum sanctam Dei Ecclesiam ita, ut sonus Evangelij purus & nulla satanicorum errorum contagione permixtus conticescat, sacramentorumq; pura illa & incorrupta administratio deficiat. Quod puræ & sinceræ Ecclesiæ statum publicum & visibilem tollit.* † *Vnde* Bellarminus *ait cum Herbero,* Antichristum ita sublaturum sacrificium Ecclesiæ, ne publicè ipso ejusque asseclis consciis fiat. Hippolytus *ait,* oblationem nullam, liturgiam extinctam futuram esse. *Adstipulatur* Ribera *de Roma, Antichristi sede primariâ,* & Anglo Rhemenses, *atq;* Blasius Viegas *in c. 18. Apocal. Verba sunt.* Illud etiam nobis dicendum videtur, ex *Areta, Primasio, Ansberto, Haymone, Ambrosio* & aliis, hoc loco idololatriam urbis Romanæ significari, defecturámq; esse Romam à fide, atque adeò futuram esse habitationem dæmoniorum omnisque Spiritus immundi ob flagitia & idololatriam, quæ tunc temporis in Romana civitate Romanóque imperio latè grassabitur. *Ipse Bellarminus, ne visibilis Ecclesiæ cessationem, quam ex Danielis loco videt necessariò consecuturam, si ad* N. T. *accommodetur, cogatur admittere, relicto* Hilario, Hippolyto fictitio, cujus tamen *hac in parte supra opinionem amplexus fuerat,* & Apollinario, *qui de Antichristo hunc explicant, ad solam sacrificiorum Iudaicorum abolitionem & inde secutam visibilis Iudaicæ Ecclesiæ cessationem locum Danielis* l. 3. de Ecclesia militante c. 16. *accommodat.* † *Quod igitur stante mundi compage nunquam cessare potest, ita, ut non sit publicum, solenne, visibile, cognitum etiam iis, qui sunt extra Ecclesiam,*

§. 18. *Bellarminus Fr. Ribera Anglo-Rhem. Blas. Viegas.*

§. 19. *Argumẽtum certißimum.*

illud

illud non est sacrificium, cujus abolitionem Daniel prædicit. Danielis enim hoc sacrificium ita cessabit. At Missa, stante mundi compage, nunquam ita cessare potest, ex hypothesi Bellarm. aliàs Ecclesia visibilis tolleretur, quod impoßibile judicatur à Iesuitis. vide Bellarminum lib. 3. de Eccl. mil. c. 16. & 17. *Missa igitur intelligi nequit: si præsertim durationem perennem, succeßionem Episcoporum indivellendam, temporalem felicitatem pro notis Ecclesiæ Romanæ inseparabilibus & proprijs venditatas attendamus ab eodem Bell.*

7. *Ex Pontificiorum doctorum de his locis judicantium varietate. Incertitudinem enim hæc rei denotat. Conjungitur verò cum cessatione jugis in vaticinijs abominatio desolationis. De quo ergò tempore & statu intelligenda abominatio, de illo oblatio jugis ablata intelligenda & ad illa tempora accommodanda. Videamus verò de ea sententiarum varietatem à Pererio recensitam lib. 10. in Daniel. pag. 23.* §. 20.
PRIMA *interpretatio est Irenæi* in libro quinto adversus hæreses, *qui hæc verba exponit de Antichristo, quem putat ipse, similiter, ut alij complures antiquorum patrum, sessurum in templo Hierosolymitano & tanquam Meßiam & Deum à multis adoratum iri.* At enim, *inquit Pererius,* non est hæc interpretatio conveniens sententiæ aut Gabrielis, qui hæc verba dixit, aut Christi Domini nostri, qui multò post eadem retulit. Etenim Gabriel hoc loco haud dubiè loquitur de nece Messiæ & vindicta ejus necis non longè post septuaginta hebdomadas de Judæis sumenda: non igitur, quod de abominatione desolationis dicitur, ad Antichristum referri debet. SECUNDA *interpretatio est*, abominationem desolationis *referri debere ad* Antiochum Epiphanem, *qui in templo Hierosolymitano à se sacrilegè expilato atque impiè profanato abominandum idolum collocavit. Quam opinionem* Pererius *tribus argumentis refutat.* TERTIA *est interpretatio* D. Hieron. Chrysost. Theodoreti *& aliorum, qui* abominationem desolationis *interpretantur statuam aliquam, vel imagines gentilium Impp. quarum cultum & venerationem Iudæi abominabantur: Quæ opinio iterum Pererio non videtur vera.* QUARTA *interpretatio est* autoris historiæ Scholasticæ *in hist. Dan. c. 10. qui* abominationem desolationis *interpretatur sacrificia & ceremonialia Iudæorum, quod post mortem salvatoris nostri statim futura erant invalida: quæ est* Dionysij Carthus. *Sed & hanc interpretationem nec cum divina, nec Angelica, aut Prophetica sententia congruere asserit* Pererius. QUINTA *interpretatio est, per* abominationem desolationis *intelligi plurima & nefandißima scelera tempore obsidionis Hie-*

nis Hierosolymitanæ à Iudæis patrata in loco sancto : quæ est Alf. de Tostato, Johannis Hesselij & Cornelij Jansenij. *Quam* Pererius *non probat.* SEXTA *& ultima interpretatio est* Augustini & Cajetani, *qui arbitrantur*, abominationem desolationis, *qua sublatum est* juge sacrificium, *non significare aliud, quam Romanum exercitum, undiq; circumdantem & arctißimè obsidentem civitatem Ierusalem. Quam interpretationem Herberianæ adversariam probat* Pererius, *rejectis reliquis, quæ tamen, exceptâ primâ, non adeò pugnare videntur, ut nequeant consentire, aut non certis gradibus subordinari.* † *Et pag.* 531. Pererius *deficientiam hostiæ & sacrificij interpretatur cessationem Iudaicorum sacrificiorum. Imò superius pag.* 425. *explicat desitionem jugis sacrificij, ex* D. Greg. *impedimentum studij sanctæ conversationis in Ecclesia. Licet tandem lib.* 15. *p.* 778. *suspensionem jugis sacrificij ablationem esse continui divini cultus ab Antichristo faciendam asserat, quæ præcipuè referri poßit ad Missam: quod falsum tamen est, & contra vim veritatis in gratiam Romani Pont. confictum.*

Tostat. in c.24. Matth. Ioh. Hesselius in c. id. Corn. Iansenius in c.122. Conc. Augustin. Ep 80. ad Hesych. Cajetan. cap. 24. Matt.

† §. 21. Gregorius Magnus lib. 30 Moral. c. 12.

§. 22. Hector Pintus.

Hector Pintus Lusitanus *refert locum Danielis* 8. *ad sacramentum Evcharistiæ per allegoriam; sed longè alio modo, quam Herberus. Sic enim ait, p.* 164. *Ed. Lugd.* In Ecclesia est juge sacrificium, hoc est, sanctum Evcharistiæ sacramentum, quod sceleratus Antiochus, i. impius Oecolampadius & hunc secutus horribili impietate Zvvinglius abstulit à multis Germaniæ Eclesijs. Ajunt enim blasphemi isti, in hostia consecrata non esse corpus Christi, nec sanguinem in Calice. *Aliter explicat locum Dan.* 9. *Quem pag.* 189. *ad sacrificia V T. refert.* In medio, *ait*, ultimæ hebdomadæ mortuo Christo cessabunt omnia veteris legis sacrificia. Nam cum essent Christi umbræ atque figuræ, erant in ejus morte antiquanda & finienda. *Licet verò locum Danielis duodecimo ad missam accommodet, nulla tamen id firma agit ratione.*

§. 23.

Ludovicus ab Alcasar Hispalensis, *In Apocal.* 11. 2. *not.* 2. Danielis, *inquit*, locos, licet multi ad Antichristi persecutionem referant, mihi tamen dubium non est, quin in sensu saltem proximo, (*Sensus autem hic solus firmum & solidum argumentum præbet*) sermo sit in cap. 12. de tempore, quo duratura erat Antiochi Epiphanis persecutio, quæ non per treis solum annos, ut aliqui sibi persuadent, sed per treis annos & dimidiatum sæviit. *Caspar Sanctius Centumputeolanus* c. 8. Dan. num. 44. & c. 9. num. 14. *sacrificium juge partim de Antiochi in templum Iudæorum invecta desolatione, partim de sacrificijs post mortem Christi cessantibus explicat. Mirum tamen est*

Videatur etiã Franciscus Va-

men eſt illum locum Dan. 12. abſque omni ratione ad Miſſæ ſacrificium accommodare. Hæc eſt ſententiarum Pontificiarum varietas, certiſſimum incertitudinis argumentum. tabl. & Iſidor. Clarius ad l.c.

8. Ex ipſius removentis ergà illud ſacrificium affectione. §. 24.
Sacrificium, quod perſecutor ille à Daniele ſignificatus abolebit removebitque abominanda deſolatione, non amabit, non ornabit, non adorabit. Perenne potius odium & immaniſſimam mentem erga illud fovebit: ut vel ipſi etiam Ieſuitæ concedent. Perſecutor ille literaliter eſt Antiochus Epiphanes typus Antichriſti, ut ait Perer. in Dan. lib. 14. pag 690. Antichriſtus verò eſt Papa Romanus, qui ex tenuiſſimis exordiis ad faſtigium humanæ potentiæ prolapſus, Antichriſtum induit, ut aliàs fusè à Theologis noſtris probatum eſt. Lucet autem ex eo ſufficienter, quod omnia Antiochi attributa Antichriſtus Romanus, in ſe complectatur. † §. 25.
Nam 1. Antiochus Ep. nullo jure regnum alienum invaſit: Papa Romanus nullo etiam jure monarchiam in Eccleſiam tenet. Conf. etiam Vind. ad Ex. 4. diſſ. 7. & 8. 2. Ille non eſt ob ordinibus regni in faſtigium evectus regale: Hic quoque Eccleſiæ univerſæ conſentientibus votis non eſt in poteſtatis illius univerſitatem translatus. 3. Ille indignatus adverſus fœdus ſanctum, animum ad fœderis deſertores adhibuit, religionis divino cultu deſerto: Hic quoque ſanctum divinique verbi tabulis conſignatum fœdus deſeruit & apoſtatarum, hæreticorum, traditionumque commentis adhæreſcit. 4. Ille tyrannica manu militariq; ferocia extendit ſuam potentiam: Hic quoque fulmine bellico terruit multos ſuamque in Eccleſia ſedem firmavit: Conqueſtus id fuit ſuo ſeculo Ammianus Marcellinus lib. 27. Teſtatur de Gregorio ſeptimo Cardinalis Benno: Ingemuit Gallia, Germania, Normannia, Hiſpania, Italia, Bohemia, Anglia, quod tantum ſanguinis ad ſedem Romanam firmandam à ſe hauſtum fuerit. Nicolai tertii molitiones, Siciliam poſſidentibus Gallis, uno die omnibus extremam accelerarunt horam: Johannæ Reginæ Neapolitanæ Urbani ſexti inſtigationes ſpiritum excluſerunt: Julius Secundus infeliciſſimo dominatu Cleri Magiſter ſanguinarius fuit. Sixtus quartus à mœrore è ſtabilita pace concepto interfectus eſt. Paulus tertius, Incentor Germanici belli fuit. Conf. Fulmen brutum. † 5. Ille ſanctuario Dei profanato deſolationem abominationis reliquit. Hic pariter interverſo Eccleſiæ genuinæ cultu idololatriæ & impietatis figit ſedem. Bartholomæus à Caſas libro Hiſpali apud Sebaſt. Trugillum, Anno 1552. Hiſpanicè edito, centies quinquagies centena hominum millia 40. annorum ſpatio in Indijs fuiſſe Hiſpani Catholici tamen militis ſanguinolentia interfecta: idque

Conf. Nicol. Hunnium de Apoſtaſ. R.P. Machiav. in hiſt. Theod. de Niem. lib. 1. Schiſm. c. 25. Budæ de Aſſ. lib. 5.

§. 26. De perſecutione Papali.

P 2 innu-

innumeris tormentorum molitionibus, tractu terræ quinquies Hispania majore vastato. Lipsius *lib. 2. de Const. c. 22. pag.* 200. (*NB cum alia deleri jubeat ex illis lib. Index Magnus Expurg. Hispan.* Bernardi de Sandoval. & Roxas *Episc. & Cardin. Toletani; Madriti Anno* 1612. *editus, hoc permittit*) *ita disserit.* Pauculi Iberi ante annos 80. invastas illas & novas terras delati, quæ funera Deus bene, ediderunt! quas strages! Nec de causis aut jure belli dissero, tantum de eventis. Cerno ingens illud terrarum spatium; quod vidisse satis sit, non dicam vicisse; à vicenis tricenisque militibus pervadi: & passim inermes illos greges sterni ut segetem à falce. Ubi tu es Insularum maxima Cuba? Tu Hayti? vos Jucayæ? quæ olim sexcentis singulæ aut denis hominum millibus succinctæ alibi vix quindecim ex iis retinuistis in semen. Ostende etiam te paullum, tu Peruana, tu Mexicana ora. Heu miram miseramque faciem. Immensus ille tractus & verè alter orbis, vastus attritusque apparet, non aliter quam si cœlesti quodam igne deflagrasset. *Belgium, Anglia, Scotia, Gallia, Germania, etiamnum exhalant illum in campis suis sanguinem, quem olim jussu Pontificum invitißimè imbiberunt & quo nunc ebrius orbis nutat manifesto casui vicinißimus.* † 6. Ille *innumeris tormentorum machinationumq; generibus adversantes & contradicentes persecutus est.* Idem est & hujus genius. *Habuit Antichristus Romanus singulis fermè centuriis, quibus progressus est, Imperatores, Reges, Principes, Episcopos, Doctores, Ecclesias etiam, quæ invidendæ ejus potentiæ, abominandæ tyrannidi, idololatriæ horrendæ contradixerunt. Contra quos* anathemate, *excitatis* seditionibus, *procuratis* proditionibus, exustione, *oculorum* effossione, *malitiosa in necessitatibus publicis* desertione, sepulturæ *Christianæ* prohibitione, indignissima tractatione, ex legitimis possessionibus ejectione, intoxicatæ hostiæ exhibitione, diffamatione (quod Ludovico IV. *Bavaro factum, quem Cancell. Bavariæ Iohann. Georg. Horwartus jussu Maximiliani contra Bzovij calumnias defensavit*) detrusione in monasteria, Sicariorum subornatione, injustissima captivitate, crudelissima nece sævijt. *Chartarum angustia deductionem ejus rei historicam non admittit.* † 7. Epiphanes *extulit se super omnem majestatem. Ita* Antichristus Romanus *supra omnia, quæ eminere videntur: potestatem in omnia mundi imperia sibi vindicando: Se omnium dignitatum fontem appellando: in numerum divorum referendo: Dei nomen sibi tribui non abnegando.* Severin. *in præf. lib. 3. &* 4. *Canoniz. S. Hyacint.* Jov. *lib. 24. Hist.* Cap. *Satis dist. 90.* Aug. Steuch. *de Don. Const. p.* 141. Gloss. Jur. *Canon sub fin. ex-*

Lipsius de crudelitate Hispanorum.

Es. 34. v. 19. & 20.

§. 27

Docent id Centuriæ Magdeburg. cēt. sing. Mornæ, in Myst. Iniq. Illyric. in Cat. Test. verit. Wolfius in Cent.

Ioh. Georg Hervvart contra Bzovium pro Ludovico Bavaro

† §. 28.

fin.extrav. Bald.*l.ult.Cod.sent.resc.* Decius *c.1.de constit.* Felin.*c.190. n.de Iurejur.* Lud, Gomez.*in reg.Cancell.* Stapleton.*Ies. in praef.princip.fid.doct.ad Greg.XIII.* Aventin.*lib. 7. Annal.* Georg. Sigism. Seldius *Vice Canc.in Cons.contra Paul.IV.Cons. Antikirch. nostri praelim. p.113.& seq.* † 8.Ille *locutus est mirabilia,grandia,superba, blasphema: Ita hic.* Bonifacius VIII. *c.quoniam.De Immunit.in VI.& c.unam sanctam.Extrav.comm.de majorit.& obaed.l.tit.* 8. Clem.V. Innocent IV. Sixtus V. † 9.Ille *de felicissima suarum rerum successione gloriatur: hic felicitatem temporalem notam suae Ecclesiae jactat.lib. 4. de Eccl. c.* 18. Bellarm. † 10.Ille *majorem suorum Deos non attendit.* Hic *quoque à majorum fide descivit.Vide* Irenae.*lib.3. c.1.* Tertull. *de praescript. haeret.c.15.* Aug.*lib.3.cont.liter.Petiliani Donat.c.6.* Marcell. *c. rogamus dist.24 q.1.* Gratian,*dist.36.c.si quis.& d.38. c. omnes psallentes.* Clement.*dist.37.c.Relatum.* Johan. XXII. *Extrav. c. cum inter.* Tertull. *advers.Hermog.* Athanas.*contra gentes.* Hugonem de S. Charo *Cardinal.ad loc.2.Tim.3.* Basil.*Conc.de Humilit.* Ambros.*in c.3.ad Romanos.&c. Taceo alia comparationis membra innumera, quae harmoniam Pontificis Romani & Antiochi Epiphanis docent accuratissimam & alias fusius evoluta sunt. Vide D.Thumm.& Dounamũ de Antichr.* † *Cũ igitur Pontifex Romanus sit ille, cui Antiochi facta tanquam typus praeluxerunt, & cum missae falsum illud & imaginarum sacrificium Pontifex Romanus foveat calidissime, Missa non poterit esse iuge illud sacrificium, quod per Antichristum Antiochi typo adumbratum removebitur e sanctuario Dei.*

Antichristi elatio.

§. 29.

§. 30.

§. 31.

Papa à Majoribus defecit.

§. 32.

9. *Ex temporis, quo sacrificium auferetur, vitiosâ assignatione. Missa dicitur ab Herbero, illud sacrificium, quod ante tribulationem per tres annos & dimidium duraturam auferetur, post quod tempus salvandus sit populus, qui scriptus fuerit in libro. Sacrificium verò iuge non est tale sacrificium. Quia sacrificium, quod amovendum & auferendum erit in tempore, quod est in rerum natura aliquando futurum. At tempus illud triennale & semestre, quale Pontificij volunt, nõ erit aliquando in rerum natura: Erit enim secundum Pontificios praecisus Antichristiani regni ambitus: erit persecutionibus immanissimis horrendum: erit paucis diebus ante Christi ultimum adventum finiendum. At tale tempus scriptura ignorat. Missa igitur non est tale iuge sacrificium, quale abolendum Daniel vaticinatur.* † *Quod verò* Herberus, *cum* Bellarmino, Pererio, Lessio, Malvenda & aliis, *suum illud circa novissimum diem futurum Antichristiani regni tempus, ex* Dan. 12. *capite exsculpere laborat, oleum perdit. Nam,* primò, *Daniel in illo capite*

§. 33.

Quid notetur per tempus, & tempora, & dimidium tẽporũ.

§. 34.

loquitur propriè & immediatè de Antiocho: licet verò typicè tempus Antichristianum subindicetur, non tamen sequitur, quæcunq; de Antioche dicuntur, illa eadem temporis mensura & circumscriptione eodemque qualitatis gradu etiam *ad Antichristum accommodanda esse. Quamquam ergo concesserimus, tres illos annos cum dimidio etiam spectare ad Antichristianum regnum, non tamen cogimur fateri, illos propriè, sed typicè tantum quadrare.*

§. 35. *Ezech. 4. v. 6. Quales anni Danielis in visione?*

† Secundò, *id probo*, ex annorum sacris usitatorum in prophetiis naturâ. Pontificij *annos vulgares accipiunt, eosq; Antichristiani regni terminum faciunt. At anni hi non sunt vulgares, sed angelici, sicut* Daniel. 9. *fuerunt hebdomades, ubi quilibet annus comprehendit tot annos, quod alioquin dies vulgaris annos habet, nimirum 360. summa trium annorum cum dimidio mille ducentos sexaginta facit: quod ex collatione similium locorum facilè apparet.* Nam Apocal. 13. *bestiæ datur potestas bellum faciendi adversus sanctos menses quadraginta duos, qui annos tres cum dimidio absolvunt: & Apoc. 12. Mulier illa, quæ Ecclesiam repræsentat, fugiens sævitiam Draconis cum filio suo alitur in deserto tempus, & tempora, & dimidium temporis, quod spatium in præcedente versu sexto ejusdem capitis resolvitur, in dies 1260. Et deniq; duo testes veritatis obluctantur Antichristo dies 1260. Apocal. 11. v. 3.*

§. 36. *An Antichristus facere omnia tẽpore à Põtificiis adscripto queat?*

† Tertiò *probo*, ex rerū ab Antichristo faciendarum multitudine. *Innumera sunt, quæ Antichristus commissurus est, ut partim testantur visio Danielis Prophetica in typo, Paulus ad Thessalonienses, & Apocalypsis Iohannæa; partim verò Pontificiorum commenta insuper fingunt. Videatur* Bellarminus, Pererius, Bzovius, Lessius, *alij. Potentia illius erit maxima & terribilis etiam ijs, quibus aliàs ad summam majestatem nihil deesse videtur,* Alcasar, Becanus, Hippolytus, *alij. At quomodo tam brevi temporis spatio ita crescere ejus potentia, ita ejus coalescere dominium, ita congregari exercitus, ita extendi tyrannis poterit?*

§. 37. *An unica persona Antichristus?*

† Quartò, *probo* ex persona Antichristianismum introductura. *Illud de triennio & semestri Antichristi ex fabula de ejus persona omninò pendet. Nam ideò ei tantillum regnandi spatium tribuunt, quod eum fore unum aliquem singularem hominem somniãt. At Antichristum non esse unam aliquam singularem personam, sed in uno statu successores multos, qui unum quasi corpus nequissima continuatione constituunt, dudum evictum est. Ad eum planè modum, quo* Augustin. Triumphus *Anconitanus q. 3. a. 7. ait:* Quoad officium Papatus & autoritatem, omnes Papæ, qui fuerunt à principio (*puta Papatus*) & erunt usq; ad finem mundi, non sunt nisi UNUS PAPA. *Et quo* Glossographus *in proœm. Decretal. ad verbum, resecatis: ait;*

Potest

Poteſt ergò Dominus Papa derogare conſtitutionibus prædeceſſo-
rum ſuorum, non obſtante, quod par in parem non habeat impe-
rium. Et eſt ratio, quia eadem perſona cenſetur cum eo, qui ſucce-
dit, & nemo poteſt ſibi hanc legem imponere, ne liceat ſibi à pri-
ma voluntate recedere. *Cadit igitur triennij illius & ſemeſtris ſecun-
dum vulgarem annorum calculum dijudicatio Papiſtica.* † Quintò, §. 38.
probo, ex ſtatus Imperatorij imminutione. *Prædixit Spiritus Sanctus,
detegendum quidem & revelandum fore Antichriſtum in operibus ſuis,
quam primum ſtatus Imperatorum, qui tunc tenebat & detinebat An-
tichriſtum, è medio ſublatus foret: extinguendum verò illuſtri & glorio-
ſo Chriſti adventu. Id verò, quod detinuit, erat Imperatorum in ipſa Ro-
ma inq; ipſam Romam dominium. At à quo ab hoc ſtatu Romani Impe-
ratores detruſi partim, partim ſeparati ſunt, plures anni, imò plura ſe-
cula, quã illi annos numerant, effluxerunt. Si igitur Antichriſtus Roma-
ni Imperij debilitationem jam confecit, confecit etiam dudum ſublatio-
nem jugis illius ſacrificij, quod typicè apud Danielem indicatur. Non eſt
igitur, quod triennium & ſemeſtre illud expectemus diutius.* † Sextò, §. 39.
probo, ex dudum negatâ beſtiæ à piis adoratione. *Diſputant Ieſuitæ,* *Viguerius*
Regnum Antichriſti eſſe modicum illud tempus diaboli ſoluti Apocal. 20 *Inſt. Theo-*
Vide Pererium *lib.* 14. *in Dan. magnum divinæ in genus humanum* *log. c.* 21.
clementiæ argumentum exinde ducentem, quod Deus ſoluto diabolo & *ſ.* 3. *diſt.* 4.
*Antichriſto tantillum temporis præſtituerit. Atqui manifeſtum eſt, tem-
pore mille annorum, quibus ligatus eſt Satanas, animas eorum cum
Chriſto regnaſſe, qui non adorarunt beſtiam, nec imaginem ejus, nec ac-
ceperunt characterem ejus. Apoc.* 20. *Quo ergò tempore illi denegarunt
beſtiæ adorationem, eo tempore ipſis à beſtia obtruſa illa fuit, eo tempo-
re beſtia ſævijt, eo tempore juge ſacrificium abſtulit, eo tempore abomi-
nationem deſolationis molita eſt. At illud factum eſt mille anuis. Quid
igitur eſt, quod triennio illo & ſemeſtri tantùm Antichriſtianiſmus cir-
cumſcribatur, & quod ad illius initium ablatio jugis ſacrificij trajicia-
tur? Nullum tale triennium futurum eſt: non igitur expectanda in ali-
quo ejuſmodi triennio vel jugis ſacrificij, vel miſſæ abolitio. Et proinde,
nihil ex hoc etiam fundamento pro Miſſa ſtabilimenti accerſitur.* † Se- §. 40.
ptimò, Ex adverſarii conteſtatione. *Obſervemus Ludovici ab Alcaſar
Ieſuitæ ſententiam* in Apoc. c. 11. v. 2. not. 3. p. 519. *Ille repudiatis Pere-
rij* in Dan. 12. *Serarij* in Maccab. p. 653. *Bellar.* l. 3. de Pont. c. 8. *de tẽ-
pore illo ad perſecutionem Antichriſti immediatè accommodando ſen-
tentijs, ita differit.* Secunda tamen opinio eſt, tempus tempora & di-
midium temporis non eſſe accipienda in utroque Danielis loco
de ea-

de eadem persecutione in sensu proximo: sed in primo quidem, de ea persecutione, quā Romani Imperatores in Ecclesiam suscitarunt: in secundo verò de illa, qua Rex Antiochus synagogam afflixit. Atque hæc secunda sententia est, quam nos sequimur. Et quanquam alicui fortasse ea videbitur nova & antiquitati contraria, ex iis tamen quæ diximus *&c.*

§. 41. 10. *Ex termini vel temporis diei novissimæ incertitudine. Herberus ait, de tali abolitione loqui Danielem, quam immediatè exceptura est gloriosa Christi ad judicium comparitio & hominum resuscitatio. Ex quo sequeretur, homines, quos tempora ejusmodi comprehendent, visuros amolitionem jugis sacrificij: visâ amotione illa agnituros, imò sensuros tyrannidem Antichristi, quam cum triennio & semestri vulgari constare sciant, facile computabunt tempus apparentis Summi in Orbe Iudicis. Id verò &* Leonh. Lessius, *demonstrat.* 13. *affirmat, dū ait;* post revelatum semel Antichristum diē extremi judicii præsciri posse. Et quod Christus ait, *de die autem illo nemo scit,* intelligendum esse de iis, qui Antichristi adventum & tempora novissima antecedunt. *Communem verò illam receptamq; inter Romanenses sententiam (vide* Suarez. *lib.* 5. *de* R. P. *c.* 12. *&* 14.*) de adventu Domini ad judicium quadraginta quinq; diebus post mortem Antichristi non quidem certam, probabilem tamen appellat. Consentit* Gregorius Valentinus *Tom. IV. Commentar. disp.* 11. *q.* 2. *p.* 2273. Dicendum inter Antichristi mortem & Christi adventum ad judicium, adeoque mundi consummationem brevissimum temporis intervallum interfuturum, nempe 45. dierum: quod autem non diutius, sed statim post exiguum illud temporis intervallum à morte Antichristi judicium futurum sit & mundi consummatio, patet ex Dan. 7. ubi postquam dixit de Antichristo, *quod sanctos alißimi conteret, & quod tradentur in manus ejus usq; ad tempus & tempora & dimidium temporis,* mox adjunxit, *& judicium sedebit. Adstipulatur etiam* Blas. Viegas *in Comm. Apoc. p.* 767. *sic enim ratiocinatur.* Antichristi persecutio durabit tribus annis cum dimidio & præterea decem aut duodecim diebus; sed beatus, qui mortuo Antichristo supervixerit quadraginta quinque diebus, hoc est, peveneri ad dies 1335. quare significatur, dies quadraginta quinq; futuros à morte Antichristi usque ad diem judicij. Bellarminus *subscribit lib.* 3. *de* R. P. *c.* 8. Antichristus non regnabit, nisi annos tres cum dimidio. & c. 9. Die quadragesimo quinto post mortem Antichristi, Dominus veniet ad judicium & coronas justitiæ victoribus nectet. *c.* 17. Post Antichristi

An judicij extremi terminus ulli mortalium sit futurus cognitus?

Blasius Viegas Iesuita Hisp.

christi mortem non futuri sunt, nisi quadraginta quinque dies, usque ad finem mundi. *Vide eadem apud* Pererium *lib. 15. Dan. &* Joseph Acostam *lib. 3. de novissimis temporibus c. 18.* † *At verò tempus extremi judicij cognosci posse, cum securitati fovendæ insigniter favet, tum sacræ scripturæ etiam multis modis adversatur. Vnde* Didacus Stella *in cap. XXI. Lucæ Tom. 2. p. 263. inquit,* De die illa nemo scit, nec filius ejus quatenus homo est ex naturâ suâ, nisi ex unione ad verbum, nec sciri potest ab aliquo mortali seclusa Dei revelatione. *Adde Viguerium Inst. Theol. c. 21. Sect. 2. dist. 7.* Quo autem, *inquit,* tempore judicium generale fiet, evangelium non declarat, & ideò cum pendeat à sola voluntate divina, nullus absque Dei revelatione scire potest. Deus voluit judicium particulare & universale esse incertum, quantum ad determinationem temporis. Et quamvis quidam temerè ex hebdomadibus Danielis præsumserint præfigere certum tempus judicij generalis, illis tamen contra verba Evangelii fides non est adhibenda. † *Quia igitur in incommodam hanc de certitudine, quoad nos, adventuri judicij extremi opinionem labuntur ij, qui triennium illud & semestre vulgari ratione metiuntur, illudque circa diem novissimum futurum arbitrantur, in quo Missa seu juge sacrificium desolandum foret, sequitur nec ipsam missæ desolationem tum futuram esse, nec missam pro jugi sacrificio venditari posse.*

Pererius & Ioseph Acosta Iesuitæ. §. 42. *Didacus Stella Minorita. Vngueri Dominican.* §. 43.

11. *Ex negata prædicationis Evangelicæ implicatione.* §. 44.
Herberus ait: Ex dictis sequitur, malè adversarios dictam Danielis prophetiam ad prædicationem Evangelicam accommodare, vel enim intelligunt prædicationem Evangelij factam ab Apostolis: vel sui Evangelij per Lutherum Calvinumque invecti: non primum; quia prædicatio Evangelica, quæ nunc quindecim retrò secula duravit, hodieque perdurat & porrò duratura sub finem mundi, per binos testes Eliam & Enoch adversus Antichristum ipso licet inulto florebit, non secundum; &c. *Ex hoc Herberi principio duo sequuntur:* 1. *posse prædicationem Evangelicam florere ablato vero legitimoq; jugi sacrificio:* 2. *Iuge sacrificium ablatum non secum quoq; inferre ablationem puræ & incontaminatæ prædicationis Evangelij. Imò & illud insuper sequitur, puram florentemq; Evangelij prædicationem nequaquam implicare florem & intemeratam sacrificij Evãgelici positionem. Vnde ulterius concluditur; Missa tale est juge sacrificium, quod auferri & exterminari potest florente interim & non interruptâ Evangelij puriore prædicatione. At illud, quod apud Danielem typicè intelligitur juge sacrificium, nequaquam poterit auferri, perdu-*

Q rante

rante sincera Evangelij prædicatione. Missa igitur non est illud à Daniele præscriptum juge sacrificium. † Si enim prædicationem Evangelij legitimam auferri per ablationem jugis sacrificij falsò concluditur, sequitur prædicationem Evangelij tempore Antichristi in florenti statu mansuram. Eo enim modo prædicatio Evangelij secundum hypoth. Herberi manebit, quomodo juge Missæ sacrificium non manebit. Nam si eo etiam modo prædicatio Evangelij non maneret, quo pacto juge sacrificium non manebit, malè prædicationem Evangelij in jugi sacrificio non intelligi posse, inde concluderet Herberus, quia prædicatio Evangelij florebit: At verò juge sacrificium missæ, secundum Iesuitas, non manebit publicè, non manebit in templis, non manebit in Ecclesiâ Romanâ, non manebit conscio Antichristo. E. prædicatio Evangelij è contra manebit publicè, in templis, conscio Antichristo. Sed enim absurdum est legitimum & proprium Christianorum sacrificij cultum, qualis Dan. 12. intelligitur, ita non manere, ut interim prædicatio sincera Evangelij ita maneat. Futura enim abominatio desolationis cum existentia floris Euangelici publica & solenni sensu etiam Herberiano consistere non potest. Id quod etiam ex Irenæo, Hieronymo, Ambrosio, Hippolyto fatetur Bzovius de Rom. Pontif. c. 4.

§. 45.

§. 46. *Enoch & Elias ut Antichristi adversarij venturi non sunt ante extremũ judicium.*

12. *Ex vitiosa duorum testium Enochi & Eliæ introductione.* Si figmentum est & mera traditio humana, Enochum & Eliam circa finem mundi in triennali illo & semestri regno corporaliter redituros & abominationem desolationis oppugnaturos, figmentũ quoq; illud est, Enochum & Eliam juge sacrificium Danielis, quod ab Antichristo auferendum, propugnaturos: Tandem falsissimum illud erit, Enochum & Eliam pro Missa & cultu Romano-Catholico testaturos adversus Antichristum. Atqui meram esse traditionem humanam nullis divinarum literarum fulcimentis nixam, Enochum & Eliam circa finem mundi in triennali illo & semestri Antichristi regno redituros. Id vel copiosius, vel eruditius nemo docuit Ludovico Alcasar e vestigatore sensus arcani Apocalyptici Iesuitico ad Apocal. c. 11. v. 3. p. 534. edit. Antverp. Rem ex illo contraham breviter. In sententia de duobus testibus explicanda 4. sunt viæ. I. Interpretatur de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis: atq; in hac sunt divortia iterum: quidam designant Enochum & Eliam: ut Aretas, Ambrosius, Haymo, Richardus, Ansbertus, Strabus, Hugo Cardin. Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas, Suarez. 3. part. T. 2. disp. 55. sect. 2. Pamelius ad Tertull. Mendoza in Quodlib. Perer. in Daniel. Malvenda l. 9. de Antich. quidam designant Mosen & Eliam; Ambros. in c. 9.

§. 47. *Locus Apoc. 11. quatuor viis expositus.*

*Luc.*Hilar.*in c.17.Matth.*Abbas Joach.Catharinus, Arboreus, Gagnejus,Maldonatus,Jansenius *in Conc.c.67.* II. *Explicat quidem* de tempore Antichristi,sed non de duobus viris:*qua incedunt* , Ticonius,Primasius,Beda,Hortulanus,Pannonius. III. *Explicat* de duobus viris,sed non de tempore Antichristi:*Quæ via varia*: quidam *enim primitivæ Ecclesiæ tempus respiciunt & duos illos testes suspicantur esse* Christum & Iohannem,ut Ubertinus de Casalis & Eitsingerus:alii *inducunt duos illos sacerdotes* Jesum & Ananum , *quos occiderunt Idumæi;ita* Caponsachius: nonnulli *exponunt* de Sylverio Papa & Mena Patriarcha, *pugnantibus contra Eutychianos : ut* Aureolus,Antoninus,Lyranus, Ederus,Lizarazus : *non defuerunt quoq;, qui existimarent in his duobus testibus respici ad* Franciscum & Dominicum.IV.*nec* de duobus viris, nec de Antichristi tempore *exponit,ut per prosopœjam ficta dicantur duæ illæ personæ. Sententiæ hujus* prima semita *est existimantium,non agi hic de peculiari aliquo tempore sed de cunctis Christianæ fidei seculis. Quam sententiam sequitur* Pannonius,*dum ait,*duos illos testes esse omnium temporum veritatis assertores duobus testamentis subnixos. *Quo spectat* Arias Mont. *qui asserit* , testes illos duos esse legem & prophetiam. Altera deniq; semita,*quam* Alcasar *calcat, in primitivæ Ecclesiæ tēpore persistit atq; duorum testium figuram spiritualiter esse explicandam contendit.Hæc sententia autores habet eos, qui arbitrantur à 4.c. Ap.usq; ad 11.sermonem esse de modo, quo se Deus gessit cum populo Iudaico sub primitivæ Ecclesiæ tempora: c.12. usq; ad* 20.*de actione Dei cū populo gentilitio.* † *Quæ sententia autoritate gravißima,firmamentis certißima est,judicio Alcasaris:qui sibi persuadet , hosce duos testes esse magnam sapientiam & magnam sanctitatem ministrorum Evangelij: quam sententiam reprobanti respondet ex D. Hieronymi ep.* 148. De Enoch & Elia,quos venturos Apoc.*refert*,& esse morituros, non est istius tempris disputatio: cum omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit,aut fabulis acquiescendum.† *Porrò,earum objectionum erudita dissolutione præmißa , quas priorum sententiarum assertores interserere poterant,progreditur ad scripturæ testimonia reliqua pro Enochi & Eliæ corporali adventu allegata.* Primus est Reg. 4.*c.*2.*v.*11.*ubi dicitur Elias curru igneo adscendisse in cœlum. Id tamen non videtur convincere: nam similiter dicitur de Enocho Gen.* 5.*v.* 24. Ambulavit Enoch cum Deo & non apparuit,quia tulit Deus. *Qui autem ajunt,hanc esse Ecclesiæ traditionem,non minus de Enocho,quam de Elia loquuntur,cum tamen* Ambrosius,Hilarius, Catharinus, *&*

§.48.

§.49. *Locus* 4. *Reg.*2.*v.* 11.*an de Elia ante novißimū reditum ?*

noster Maldonatus *affirment, non Enochum, sed Mosen cum Elia venturum. Locus ergò ille non plane convincit.* † Alter locus est *Ecclesiastici*

§. 50. 48. *v.* 9. *&* 10. *Resp.* *Prima hujus loci pars eadem, est cum verbis* 4.

Locus Ecclesiastici 48. *an de Elia redituro contra Antichristum?*

Reg. c. 2. *In secunda verò parte dici posset, Ecclesiasticum loqui quidem secundum rei ipsius veritatem, loqui tamen de spiritali adventu Eliæ. Neq; obstat, quod in* Cont. *ad ipsam Eliæ personam dirigatur sermo. Nam loquendo cum persona ejusdem & respiciendo spiritalem ejus advẽtum in alterius persona, Eliæ ipsi potuit elegantissimè dici, tu scriptus es à Malachia mittendus esse præcursor Messiæ. Pro cujus intelligentia advertendum est, Ecclesiasticum ibi congerere laudes veri Eliæ; sed ad ipsius quoq; Eliæ laudes spectare, quod Ioh. Bapt. in illius spiritu & virtute venerit. Quid enim magnificentius, quam Eliæ nomen ita esse illustre atq; gloriosum, ut ejus imitatio ac nomen potuerit Ioh. Baptistam supremum Christi prodromum honorare? &c.* † Tertius locus est ex

§. 51. *Locus Malach.* 4. *v.* 5. *an Eliæ reditum ad bellum Antichristi doceat?*

Malach. *c.* 4. *v.* 5. *Quem locum, quamvis* Maldonatus, Toletus, Pererius *cõtendant explicandum omninò esse de proprio veri Eliæ, non de spiritali adventu,* Hieronymus *tamen explicat de universo prophetarum choro, sive de prophetiâ. Et* Jansenius *in loc. Eccl.* 48. *vult Malachiam non agere de personali Eliæ adventu, sed de spiritali, nimirum Iohannis Baptistæ. Et mea quidem, inquit Iesuita, sententiâ certum est, Malachiæ locum de spiritali Eliæ adventu in personâ Iohannis fuisse à Christo explicatum. Vbi nota, verba illa, Elias quidem venturus est, ita posse explicari, quasi dicat, certum quidem ex scriptura esse, Eliam venturum ante primum Domini adventum spiritaliter. &c.* † *Porrò*, ad Enochi redi-

§. 52. *Locus Gẽ.* 5. *v.* 24. *an Enochi reditum ad oppugnãdum Antichristum doceat?*

tum *stabiliendum qui affertur locus,* Primus est, *Gen.* 5. *v.* 24. *Resp. Ex hoc loco non videtur efficaciter probari, Enochum, ut contra Antichristum prædicet, venturum cum Elia & unà cum ipso fore occidendum. Constat enim stante adhuc hoc ipso loco, aliquos ex gravissimis autoribus & inter eos* Ambrosium *atq;* Hilarium *sibi persuadere, non Enochum cum Elia, sed Mosen ad prædicandum venturum. Quam sententiam nostræ ætate sequuntur* Catharinus, Arboreus, Gagneus, Arias Montanus, *& alij.* † *Sequitur* alter locus *Ecclesiastici* 44. *v.* 15. He-

§. 53. *Locus Ecclesiast.* 44. *v.* 15 *an ad Enochi reditum contra*

noch placuit Deo & translatus est in paradysum, ut det gentibus pœnitentiam. *Veruntamen* textus Græcus *non cogit, ut explicemus de Enochi adventu, ut notavit* Jansenius. *Græca enim ad verbum sonant,* Henoch placuit Domino & translatus est documentum pœnitentiæ ætatibus seu generationibus. *Absq; eo autem, quod Enochi adventus affirmetur, prædicta verba videntur aliter aptè posse explicari, nimirum ideò Deum abstulisse Enochum, ut miræ illius rei recorda-*

tio

tio in poſterorum ſeculis & ætatibus admoneret peccatores, à Deo aſſumi ſanctos viros & ex ſceleratorum convictu ſecerni; quia non meretur mundus illos apud ſe habere, quorum mores adeò diverſi atq; contrarij depravatis mundanorum hominum moribus, &c.

Antichriſtũ faciat?

Licet igitur videat Alcaſar, graves Theologos aſſerere, Enochi & §. 54.
Eliæ adventum ad contradicendum Antichriſto, eſſe traditionem (quam tamen tanquam vel oretenus à Chriſto vel à Spiritu Sancto dictatam pari pietatis affectu & reverentiâ accipiendam cum Sacris literis eſſe ait Concil. Trident. Seſſ. 1. c. 8.) Eccleſiæ, & proinde de fide, aliis tamen non ita certum videri ait. Inprimis enim de Enocho id negant Hilar. Ambroſ. & nonnulli ex Theol. junioribus doctiſſ. Deinde eam traditionem non videntur recipere, qui Enochum immortalitate donant, Procop. Gaz. in Gen. vel qui dubitant, an ſint immortales, ut Gregor. Nazianz. quem refert Pamelius; Eugubinus etiam illis immortalitatem tribuit, quem refert Suarez. part. 3. Tom. 2. diſp. 55. & favere ait Epiphanium & Hieronymum. Præterea non defuêre, qui in dubiũ revocarint, num revera ſint Enochus & Elias venturi: de quo videri poſſunt, quæ ſcripſerat Hentenius & contra eum Pererius in Dan. Ad hæc Suarez ait, non eſſe de fide, ſed disjunctivè, aut eſſe de fide, aut proximum fidei. Pererius verò ſolùm ait, eam eſſe communem ſententiam, & ab antiquis temporibus in populo Chriſtiano receptam, & Ianſenius Eccl. 48. planè aſſerit, non eſſe de fide. † Rectè igitur concluditur; §. 55.
quanquam doctores aliqui opinati ſunt, locum Apocalypſeos eſſe præcipuum fundamentum, ut Eccleſia pro certo habeat, Henochum & Eliam eſſe venturos ad prædicandum tempore Antichriſti, tamen certum eſſe, decipi eos, qui eam ſibi mentem inducunt. 1. quia Theologia ſymbolica non eſt argumentativa: 2. quia multi doctores ſunt, qui hunc ſenſum eſſe Apocalypticum negant. 3. quia Apocalypſeos acoluthia ſive conſequentia ſenſum alium manifeſtè poſtulat. 4. quia ſi Apocalypſeos textus conſideretur, perſpicuum eſt, in eo non conjũgi Eliam cum Enocho, ſed cũ Moſe.

Suarez p. 3. T. 2. d. 55. Perer. in Dan. Viegas & Ribera Apocal. 11. Mendoza in quodlib. Pamel. in Tertull.

An Enochi & Eliæ reditus ſit de fide?

His igitur fundamentis explicata Danielis vaticinia nihil afferunt §. 56.
ſtabilimenti pro ſacrificio Miſſæ Papiſtico. Dejecta ſunt etiam ea molimina, quæ ex ipſis locis Danielis Herberus extruere laboravit. Ruunt igitur eæ etiam conſequentiæ, quas de novitate Evangelij, cujus veritatem ſanctitatemq; Lutherus eſt profeſſus & de Lutheranis præcurſoribus Antichriſti idem contexuit.

Percurramus autẽ paucis, quæ Herberus in ſuo diſcurſu molitur. §. 57.
Daniel, inquit, Cap. XII. agit de ſacrificio aliquo jugi ſub finem mundi abolendo. At non habemus ſacrificium aliquod juge proprij nomi-

nis, præterquam Missæ, unum illud atq; augustißimum, omnibus juge nationibus. E. de hoc Daniel vaticinatus est. Resp. Ponamus Danielem de aliquo jugi sub finem mundi abolendo loqui : multa tamen supponit Herberus, quæ nondum certa sunt. I. *illud juge esse sacrificium.* Id non est certum 1. si spectus vim nominis. התמיד enim sua natura sacrificium non notat. Perfectum, pretiosum, eximium Ecclesiæ bonum designare potest. Sacrificium interdum matutinum & vespertinum designat. Nec Herberus audet affirmare, התמיד absolutè positum semper notare sacrificium juge. 2. si spectes translationem LXX. Ἐνδελεχισμὸς enim non est etiam semper sacrificium in S. literis. Syrac. 7, 14. ὁ γὰρ ἐνδελεχισμὸς αὐτοῦ οὐκ εἰς ἀγαθόν. De mendacio usurpatur. *Conf. Octavian. à Tufo Comm: h.l.* Unde & additur sæpius voc. θυμιάματος, θυσίας, ὁλοκαυτώματος, cum ἐνδελεχισμῷ ut generalitas ejus limitetur. 3. si spectes interpretes. Hieronymus enim & Theodoretus, ut diximus, ad cultum Ecclesiasticum referunt. Dicit Sanctius C. h. l. includi sacramentum Eucharistiæ in cultu Ecclesiastico. Resp. verum dicit Sanctius; sed sacramentum non est sacrificium. Esse sanè tale, probandum est. II. supponit, *Illud juge esse sacrificium proprii nominis.* Id enim nisi majorem velit vitiosam constituere, addere debet. SC. Danielem de sacrificio proprii nominis loqui. Id autem incertum est. Nam omninò etiam Herbero volente התמיד est nomen depromtum ex sanctuario Hierosolymitano veteris T. notat agnos vespertinum & matutinum, qui continuò in templo offerebantur. Unde autem certus est Bellarminus aut Herberus, si sacrificium continuum notet in typo hoc vocabulum, etiam in antitypo notaturum? Sanè satis erit, si aliquid Antichristus in extremis mundi têporibus amoverit, quod perfectione, dignitate, & virtute respondeat cultui Hierosolymitano, imò quod incomparabili quadam ratione illum universum superet. Unde probabitur, continuum designare id, quod fit iteratis actibus? quid si eam habeat excellentiam continuum Antichristo exosum, ut non opus habeat ad sui continuationem iteratione actuum? Anne propterea non erit continuum? Estne aliqua perfectio in continuo V. T. sacrificio côtinuatio per iterationem actuum? Imò verò quia agni matutinus V. T. & vespertinus semel tractati destruebâtur secundum substantiam, substituendi fuerunt alii & sic continuari sacrificia. At hoc est imperfectionis. In N. T. ceu antitypo perfectiones meræ exhibentur. Itaque proprietas rigidè urgenda non est. Sed &

Minor

Minor falſa eſt. Nam illud ſacrificium juge, quod tantopere exoſum eſt Antichriſto, eſt ipſum cruentum crucis ſacrificium. Erit enim Antichriſtus hoſtis crucis Chriſti, ſi ſicut reipſa illa ſe habet, conſideretur. Novit, eo deſtructo, cadere religionem Chriſtianam, cadere officium Chriſti ſacerdotale & Regium, cadere incarnationis finem, cadere myſteria fidei præcipua. Eſt illud juge ſacrificium in perfectiſſimo, eminentiſſimoq; gradu. Et propterea irreiterabile ullo modo, ſive per novam cruentationem, ſive per alium modum. Eſt juge apud Deum, juge in mundo ad conſummationem uſque ſeculi. תמיד extenſivè & intenſivè. ἐνδελεχισμὸς & ἐντελεχισμὸς in Chriſtiana religione. Huic ſacrificio jugi ſe opponit Antichriſtus per opera meritoria & ſatisfactoria propriè dicta, per opera ſupererogationis, per indulgentiarū mercatum & per ipſam Miſſam, quam vocant. Illa enim omnia τὸ תמיד in iſto ſacrificio cruento deſtruunt, quantum in iſtis aſſertionibus eſt.

Caſp. Sanctius C. h. l. ait; cur Chriſtus in Euchariſtia juge poſſit ſacrificium vocari, vide Origenem hom. 24. in Num. & Auguſtin. lib. 21. ſententiar. c. 2. Acceptamus hoc & contra Miſſam uſurpamus Ita loquitur Origenes T. 1. Operum. *Vnum ex illis animalibus, quæ ad purificandum populum aſſumuntur, eſt agnus. Qui agnus ipſe eſſe dicitur Dominus & Salvator noſter. Sic enim intellexit Iohannes, qui eſt major omniū prophetarum & ſignavit de ipſo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quod ſi agnus, qui ad purificandum populum datus eſt, ad perſonam Domini & Salvatoris noſtri refertur, conſequens videtur, quod & cætera animalia, quæ eiſdem purificativis uſibus deputata ſunt, referri debeant ſimiliter ad aliquas perſonas, quæ per meritum ſanguinis Chriſti purificationis aliquid humano generi conferant. Vide ergo ne forte ſicut Dominus & Salvator noſter quaſi agnus ad occiſionem ductus & in ſacrificium altaris* (ſc. crucis) *oblatus, peccatorum remiſſionem univerſo præſtitit mundo, ita fortaſſis & cæterorum ſanctorum ac juſtorum ſanguis, qui effuſus eſt à ſanguine Abel juſti uſq; ad ſanguinem Zachariæ Prophetæ, qui interfectus eſt inter ædem & altare, alterius quidem ſanguis ſicut vitulæ, alterius ſicut hirci aut capræ, aut alicujus horum fuſus eſt ad expiandum pro parte aliqua populum* (expiatione non meritoria, ſed exemplari aut organica) *ſive hæc ad juſtorum prophetarumq; perſonas, qui in hoc mundo jugulati ſunt, vel eorum, qui dicunt, propter te morte afficimur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oves occiſionis, referenda videantur, ſive etiam ad ſuperiores virtutes, quibus procuratio humani generis data eſt, quis facile audeat affir-*

§. 58.

Origenes vindicatur.

affirmare? Neq; enim hæc animalia per speciem, sed per figuram referri ad illam vel illam putanda sunt. Nam & ipse Dominus Iesus Christus, non ideò agnus dicitur, quasi qui mutatus sit, *& conversus sit in speciem agni. Dicitur tamen agnus, quia voluntas & bonitas ejus, qua Deũ repropitiavit hominibus & peccatorum indulgentiam dedit, talis extitit humano generi, quasi agni hostia immaculata & innocens, qua placari hominibus divina creduntur.* Et post; *In his omnibus unus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum, & ideò cessaverunt cæteræ hostiæ, quia talis hæc fuit hostia, ut una sola sufficeret pro totius mundi salute. Cæteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit. Dicebat enim, Fili remissa sunt tibi peccata tua. Sic ergo imbuitur mũdus primò per diversas hostias remissionem quærere peccatorum, donec veniat ad hostiam* (התמיד) *perfectam, ad hostiam consummatam, agnum anniculum, perfectum, qui tollat peccata totius mundi, per quem festivitates agat spiritales, non ad satietatem carnis, sed ad profectum spiritus, sacrificiis spiritualibus purificatione mentis oblatis. Decet enim Deo immolari victimam cordis & hostiam contribulati spiritus, non carnis & sanguinis jugulari, quia etsi agnovimus Christum aliquando secundum carnem, sed nunc jam non novimus, & ideò in spiritu diem festum agamus, & spiritalia sacrificia jugulemus.* Hactenus Origenes, qui cruentæ oblationis solius meminit, qua agnus tulit peccata mundi, qua meruit omnium hominum actionibus piis gratiam, qua ad occisionem ad altare crucis deductus est, quæ peccatorum remissionem præstitit mundo &c. Nihil omnino de præsentia sacrificiali Missatica. B. Augustini verba sunt hæc. *Si Christus ex justis* 1. *ex ovibus, & peccatoribus* 1. *ex hœdis secundum carnem nascitur, hic est solus agnus ille, qui quæritur, quiq; dum non amplius, quam semel, occiditur, non amplius secundum veritatem quam semel celebratum illud perfectum pascha monstratur. Figuræ igitur tum temporis fuerunt: Nam agnus eligitur, ut simplicitas & innocentia designetur: masculus quæritur, ut virtus comprobetur; immaculatus, ut sine crimine; anniculus, ut exacto prædictionis tempore; perfectus, ut instructus omni virtutum genere: mense primo, ut totus annus à primordio proprio cõsecretur; quartadecima die mensis, ut lumine veritatis impleto erroris nox operiatur: ad vesperam, ut seculi occasus imminens approbetur: ejecto fermento, ut à corde perversæ mentis corruptio malitiæ tollatur; oblitis sanguine limitibus domorum, ut figura passionis dominicæ frõte signetur: igne assus; est enim sermo Christi robustus cibus, nec in aqua madidus, non est enim delicatæ interpretationis humido languore solvendus. Nihil prætermit-*

Augustinus vindicatur.

termittitur; nihil enim in Christo omnino reprobatur. Ossa non conterũtur, quia nec comminui, id est, vinci in quoquam Christus potest. Quicquid superest, divinis ignibus imponitur; id est, quæ quis capere nõ potest, Christi divinæ scientiæ remittit, eorum tamen quæ manifesta sunt, pro viribus epulatur intentus. Nam & quod instantes edunt, forma est, ne quis cadat, aut ne quis se in Evangelio ad necessitatẽ prosternat, sed ingentis animi robore contra persecutionum prælia invictus i. sublimis & erectus assistat. Nam quod sit vinctus lumbis, Evangelicæ signum est continentiæ, dum locus seminum coercetur & constringitur; additis baculis, Spiritu S. quo quis nititur. Pedibus calceati, id est, lubrico erroris ejecto, dum profectione ad fidem cœlestium, quasi ferratis præsidiis in Evangelio cuncta sunt fixa, firmissima veritate solidata. Festinantes etiam; ferventes enim fide probantur, tepentes & negligentes respuuntur & evomuntur. Cum azymis sumuntur; Christus enim cum omni simplicis animi pura simplicitate sumitur. Cum picridiis: etenim hoc pascha in Iudæorum damnationem acerbissimas amaritudines cessit. Non nisi circumcisis dabatur; purgatis enim solis & lavacro indulgentiæ cœlestis expiatis percipiendi Christi corporis sacrati cibi facultas porrigitur: &c. Ecce B. Augustinus omnia ad sacrificium unicum in ara crucis refert; pascha non nisi semel gestum, quando figurarum corpus, Iesus Christus occisus: Christus non amplius quam semel occiditur. Augustinus agnoscit sacrificatum corpus & sanguinem in Eucharistia, Eucharistiam sacrificium non vocat. Sed & lib. XXI. Sent. non est indubiè Augustini, test. Lovan. Erasm. & Bell. Conf. Consid. Declar. Zvving. diss. 5. p. 201.

Nectit Herberus duo porismata ex dictis; sed quæ male cohærent: Ex dictis, inquit, sequitur I. Male adversarios dictam Danielis prophetiam ad prædicationem Evangelij applicare. Vel enim intelligunt prædicationem Evangelij per Apostolos, vel sui Evangelij per Lutherum Calvinumve invecti. Non primum, quia prædicatio Evangelica, quæ nunc XV. retrò secula duravit, hodieq; perdurat & porrò duratura, sub finem mundi per binos testes Eliam & Henoch, adversus Antichristum ipso licet invito florebit. præterquam quod supervacaneum sit, ad figuratum sensum confugere, ubi proprium verè & certò habemus. Non secundum, quia juge sacrificium tolletur per Antichristum eo tempore, quo ipse tyrannidem immanissimam exercens regnabit, quod mille ducentis nonaginta diebus circumscribitur, id est, duobus annis cum dimidio. At Lutheri Calviniq; prædicatio, licet per summum Pontificem, quem falsò quidem illi Antichristum nominant, ritè ac legitimè damnata sit, nec dum tamen est sublata, sed etiamnum durat, jamq; ul- §. 59.

tra centum annos, etsi non sine varia metamorphosi, duravit. Respondemus enim; Utramque prædicationem & prædicationi connexum cultum divinum publicum intelligi, tam illam quæ Apostolorum est, quam eam, quæ per Lutheri ministerium restaurata; est enim una eademque. Nam 1. licet illa jam per XV. secula duraverit & ad finem usque mundi duratura sit, non tamen fuit extra oppugnationem & sublationem Antichristi. Operabatur mysterium iniquitatis jam tempore S. Pauli. 2. *Thess.* 2,7. semina successu temporis excreverunt & principia regno Antichristiano dederunt, cum in doctrina, electitij cultus & somnia de propriis meritis in negotium justificationis deducendis insolescerent, unde tota lerna Missarum, indulgentiarum, purgationum, supererogationum, votorum, disciplinarum &c. excrevit: in regimine, primatus ordinis à Rom. Episcopo quæreretur, qui post in principatum Oecumenicum obscurata sancta doctrina & per tyrannidem pressa degeneravit. Ita argumentor: In Ecclesia Occidentali, doctrina Romani Pontificis, quantum in ipso erat, cum universo cultu alio omnem aliam doctrinam sustulit, omne aliud sacrificium abolevit. At Doctrina Rom. Pontificis non erat Apostolica post apostasian factam & principatum universalem obtentum. E. doctrina R. P. etiam Apostolicã doctrinam cum universo cultu sustulit, & ei connexum sacrificium abolevit. Minorem demonstrarunt collationes inter monumenta Apostolica & documenta Romanensia. 2. Non est in Ecclesia Rom. certus sensus de Henocho & Elia, seu de duobus testibus Apocalypticis. Si enim esset, fuisset constanter saltem à pluribus aut melioribus conservatus. Non est autem ita. Non convenit vel de testibus ipsis, vel de tempore, vel de loco, in quo nunc degunt. Qui de viris duobus sub Antichristo prædicaturis intelligunt, alij designant Enochum & Eliam, ut Aretas, Ambrosius, Haymo, Richardus, Ansbertus, Strabus, Hugo Card. Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas &c. quorum explicationem certissimam esse existimant Suarez *in 3. part. Th. T. 2. disp. 55. s. 2.* Pamelius *ad Tertull.* Mendoza *in quodlib.* Pererius in *Dan.* Malvenda *l. 9. de Antichr.* Alij verò censent, hic significari Mosen & Eliam, ut Ambrosius *in c. 9. Luc. Hilar. in c. 17. Matt.* Abbas Joachim, Joh. Arboreus, Ambr. Catherinus, Gagneius, Maldonatus *in Matth. 17.* quorsum etiam inclinat Corn. Jansenius *Conc. Ev. c. 67.* Alii ad Antichristi tempus duos testes referentes non intelligunt duos viros, ut Ticonius, Primasius, Beda. Ticonius, enim impugnat sententiam de duobus viris, aitque, ex ipso textu

textu excludi omnem hujus expositionis suspicionem. Primasius, quamvis hunc locum referat ad Antichristi tempus, & mentionem faciat Eliæ tunc prædicaturi, nihilominus recusat in duobus testibus intelligere duos Viros, exponitque de duplici genere testium, qui ab Elia confirmati Christum eo tempore profitebuntur. Beda etiam, licet quorundam referat expositionem de Henocho & Elia, Ticonium tamen, ut assolet, sectatur. *Abbas Ioachim*, licet statuat, sub Antichristi tempus venturos *Enochum & Eliam*, subdit tamen, *juxta proximum & legitimum sensum duos illos testes, quos recenset Apocalypsis, esse duo prædicatorum genera, nempe Sacerdotes & Monachos.* Sequitur Hortulanus *in Cant.* & aliquatenus etiam Pannonius. Alij de duobus viris, non autem de tempore Antichristi exponunt. Quidam referunt ad primitivam Ecclesiam & *Christum atq; Iohannem Baptistam* intelligunt. Sic Ubertinus de Casalis & Michael Eitsingerus in suo Pentaplo. Quidem duos Sacerdotes, *Iesum & Ananum*, quos Idumæi occiderunt. Sic Caponsachius. Quidam de *Sylverio P. R. & Mena Patr. Constantinop.* pugnantibus contra Eutychianos, ut Aureolus, Antoninus, Lyranus, Ederus, Lizarazus. Quidam ad *Dominicum & Franciscum* retulerunt. Alii nec de Antichristi tempore, nec de personis veris, sed fictis intelligunt per prosopopœiam. Et horum quidam non de peculiari aliquo sed omni Christianæ Ecclesiæ decursu capiunt, Ita Pannonius, qui ait, *duos illos testes esse omnium temporum veritatis assertores, duobus testamentis subnixos.* Arias M. ait, *testes hos duos esse legem & Prophetiam, legem in Mose, prophetiam in Elia designatam.* Hæc & alia narrat Alcasar *Comm. Apoc. c.* 11. Vide quæ supra dicta sunt. Sanè si sensus, quem Herberus fovet, est genuinus, à Spiritu S. intentus, per traditionem conservatus aut ex infallibili Pontificis Rom. scrinio promtus, cur illi tantopere, tanto numero contradicitur? si autem non est, cur ex eo nos oppugnat? aut conservationem prædicationis Evangelicæ tueri satagit? 3. Si prædicatio florebit Evangelica sub Antichristo per duos testes Enochum & Eliam, atque ideò non potest per juge sacrificium intelligi, quæ est ratio, quod sacrificium Missæ non etiam florebit sub eodem Antichristo? Si possunt illi duo testes prædicationem Evangelicam in flore conservare, cur non & missaticum sacrificium? Si ex tẽplis in desolationem redactis sacrificium Missæ abolebitur etiam prædicatio Evãgelica ex illis exulabit, Ubi igitur conservari potest prædicatio Evangelij, ibi etiam conservari potest sacrificiũ missæ, si illud cum prædicatione Evangelij Apostolica consentit. Adde

Hieronymum & Theodoretum, qui per juge ſacrificium cultum totum Chriſtianum intelligunt. Hujus magna pars eſt prædicatio Evangelij. Sanctius dicit, ſub cultu contineri Miſſam. Hoc incertum eſt. Contineri autem prædicationem Evangelij, certiſſimum eſt. Quid igitur? Quomodo cultus divinus tolletur, eo modo prædicatio Evangelica, eo modo theſauri myſteriorum divinorum Eccleſiæ adimentur. Hoc non fiet cum univerſali abolitione, ſed oppreſſione & ſubactione. Atque hoc ſanè modo ſacrificium crucis Jeſu Chriſti, per prædicationem Evangelicam B. Lutheri in ſuum locum collocatum, tum quoad actum juſtificationis, tum quoad ſacramentum Eucharistiæ, ubi ſanguinis ſacrificati per Chriſtum ordinata diſtributio ſublata fuit, adhuc hodie premitur, in multis Eccleſiis ſublatum eſt, impugnatur penna & bipennibus, licet duo teſtes validè contradicant & intrepidè veritatem aſſerant.

§. 60. Pergit Herberus, & inquit, *ſequitur* 2. *Conatum adverſariorum, quem ad tollendum miſſæ ſacrificium adhibent, Antichriſtianum eſſe & illud lugubre tempus ceu ſatrapas & Proceres in hominis illius nefarij ſatellitio nobis repræſentare.* Reſp. id non ſequi. Si enim miſſæ ſacrificium non eſt התמיד, ecquomodo poteſt eſſe illud, quod Antichriſtus oppugnabit? Si verò miſſam ſumas, prout antiquæ Eccleſiæ phraſi capitur, pro Eucharistiæ ſacramento, in quo cruentum in ara crucis ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti nobis manducatione & bibitione percipiendum proponitur, in quo ſaginamur ad vitam æternam, in quo omnis oblationis Chriſti fructus nobis applicatur, quo coram Dei tribunali conſiſtentes placeamus, concedimus, Antichriſtum miſſæ ſacrificium ſuſtuliſſe. Fecit enim novum miſſæ ſacrificium, quo antiquum obſcuravit, ſuppreſſit, ſuſtulit.

CAPUT QUINTUM.

MALACHIÆ DE MUNDA OBLATIONE locus examinatur.

ASSERTIO. *De ſacrificio, quod præter unicum Crucis ſacrificium in Eccleſiam introduxit tacito conatu Papa, Malachias, de oblatione vaticinans, non indigitavit.*

§. 1. *Summa deductio-* EXEGESIS. *Herberus tres rationes habet, quibus vaticinium Malach. 1. Pro Miſſæ ſacrificio fundando adducit:* 1. quia vox Sacrificij abſolutè poſita, ſemper externum & viſibile ſacrificium notat.

2. quia

2. quia intelligit Propheta Malachias sacrificium aliquod Judaico *nis Herbe-*
successurum, cum spiritualia etiam in V. T. fuerint. 3. quia mun- *rianæ.*
dum omnimodô sacrificium intelligitur, cum spiritualia eo sen-
su munda non sint. † *Nos his Herberi argutiis responsuri & simul et-* §. 2.
iam sacrificium Missæ per oblationem mundam Malach. 1. *v.* 11. *nequa-*
quam intelligi, evicturi, argumentamur primò ex diversa Ben. Ariæ
Montani & aliorum probatorum Interpp. ad h. l. explicatione.
Verba Ariæ ita sese habent p. 935. Hujus loci, quanquam aperta ex *Explica-*
verbis ipsis sententia est, arcana tamen significationis ratio ex ver- *tio Ariæ*
borum constructione observanda est, quam antiqui interpretes *Montani*
diligenter à se consideratam, certè non satis explicatam, relique- *Theologi*
runt. Reprehenderat acriter Deus sacerdotes, quod nomen suum *Hispani, à*
ita contempsissent & imminuissent, ut quocunque modo, qua- *Bellarmi-*
cunque hostia coleretur, nihil referre arbitrarentur, *& post.* at verò *no casti-*
cæteras gentes non legis & divinorum sermonum notitia apertâ, *gata.*
sed tantum rerum naturæ contemplatione adduci, ut Deum, quē
Dominum & rectorem crederent, diligenter atque attentè cole-
rent. Quo nomine autem id ab illis susciperetur, Deus ipse ex-
ponit. Magnum est nomen meum in gentibus. Magnitudinis ra-
tione & definitione se ab illis coli testatur eoq; jure etiam vehe-
menter Iudæos vinci, quibus nomen suum contemtui esset. Itaq;
quanquam proprium Dei nomen gentibus esset ignotum, tamen
certè cognomen magni, quod natura sua Deus habuerat, sibi apud
omnes etiam gentes ipsis tantum diurnis nocturnisque vicissitu-
dinibus & commutationibus temporum quadripartitis & con-
stantibus pepererat. *& post* † Propterea autem arcanam hanc esse §. 3.
orationem initio docuimus, utpote quæ eadem verborum simpli-
ci pronunciatione duplicem simul complectitur sententiam, ma-
gnum esse nomen Dei ab ortu solis ad occasum, atque ortu ipso
occasuque solis eam divini nominis magnitudinem putari. Con-
sentaneum autem fuerat eodem magnitudinis nomine Deum
gentibus, ut cognitum, sic etiam cultum esse. † *Hæc Ariæ explica-* §. 4.
tio, in eo volumine comprehensa, quod pietatem & verum prophe-
tiæ sensum non solum refert, verum etiam quod ad hæreticorum
dogmata extirpanda & ad pietatem promovendam omnibus con-
cionatoribus confert plurimum, *secundum Censuram Antverp., licet*
Bellarmino nullo modo admittenda *videatur, non tamen idoneis &*
urgentibus eam refellit argumentis: nec audet eam improbare Anton.
Possev. in Biblioth. Select. lib. 2. *c.* 21. *Tom.* 1. *p.* 63. Cæterum, *inquit*, non *Possevinus*
desunt eruditissimi viri, qui in hac operis Regii ab Aria adorna- *suspendit*

 ti edi-

ti editione desideraverint nonnulla, quæ ex Rabbinis referuntur, ad Ecclesiæ Catholicæ sensum esse referenda, qualia de jugi & incruento sacrificio, quod Malachiæ testimonio prænunciatum est, esse futurum, quod ad gentium sacrificium Arias videtur retulisse. Cum autem nostrum non sit, hoc loco eo de labore ferre judicium, monemus lectorem, ut edit. Græcam septuaginta Interpretum & hujus editionis versionem Latinam XISTI V. PONTIFICIS MAXIMI jussu ROMÆ editam conferat cum ea, quæ prodiit Antverpiæ. † *Quanquam non defuerunt Ariæ Montano, qui suggillare clanculum, quod apertè non potuerunt, ausi fuerunt, ut ipse in Bibl. Regiis præf. de iis*, qui soli sapere, soli benè vivere, Jesumque propius insequi & comitari sibi videntur atque id palam professi jactitant, conqueritur. *Vnde* Expurg. Hisp. Index *cum alia in eo notet, hunc tamen locum non perstringit.* † *Cum Aria consentit etiam Isidorus Clarius in eo, quod ad Missam accommodare nolit; dissentit verò in eo, quod ad* N. T. *interiora & spiritualia sacrificia transferat h. l. verba sunt p. 386. edit. Venetæ.* Patet hinc Ceremonias legis tempore Christi abolendas fuisse & quod omnes fideles per totum mundum puram orationis hostiam essent sacrificaturi. *Huc etiam Francisci Vatabli testimonium accedit ad hunc locum l. 47. erit,* tempore, *scil.* gratiæ, *id est*, erit in magno pretio inter gentes, *q. d.* sed acceptabo munus gentium, quod offerunt mihi. Prædicitur ipsarum vocatio. *l.* 48. erit oblatum & munus mundum. *subint.* & non immundum. Per cultum Veteris legis intelligit cultum novæ. Id est, optimæ preces & animæ fidelium. *Taceo, quod* Chaldæus Paraphrastes, Rabbi David Kimhi, R. Abraham, Rabbi Salomon & Hugo etiam à Pontificia sententia abeant; *id vide apud Christoph. à Castro Comm. ad h. l.*

Judicium de Ariæ explicatione.

§. 5. *Ariæ judicium de Iesuitis tacitum,*

§. 6. *Isid. Clarius de h. l.*

Fran. Vatablus de h. l.

Christoph à Castro Complutensis & Salmanticensis Theolog°.

† *Secundò, ex legitima vocabuli Mincha Interpretatione. Herberus hanc habet in ratione prima regulam.* Verbum Sacrificij in S. Scriptura absolutè positum semper propriè pro externo & visibili sacrificio ponitur. *Consentit* Bellarminus *lib. 1. de Missa, cap.* 10. *Strictius regulam hanc urgent* Ægidius Conincius *Jes. de Sacr. quæst.* 83. *artic. 1. dub. 3. dist. 49.* & Gordonus Huntlæus *Jes. Tom. 3. Controv. 9. num. 31. p. 249. Dicunt enim*, Vocem Mincha, qua utitur Propheta Malachias, NUNQUAM significare spirituale & improprium sacrificium, sed ubique in scripturis sacris significare sacrificium proprium. *Vnde inter Bellarmino-Herberum & inter Conincio-Gordonum dissensus quidam elucet. Illi enim proprium & externum sacrificium dicunt significari tantùm per vocabulum Mincha* ABSOLUTE *posi-*

§. 7. *Regula de voce Mincha examinata. Dissensus Iesuiticus.*

positum: ubi verò cum additamento habetur, spirituale & metaphoricum significari. Hi verò, sive ABSOLVTE sive CVM ADDITAMENTO ponatur, NVNQVAM spirituale, VBIQVE externum & proprium sacrificium notari per vocem Mincha ajunt. Hi, cùm Bellarminum & Herberum habeant adversarium, cum iis sese expediant. † *Nos regulam Bel-* §. 8.
larmini dicimus falsam esse. Producimus locum ex Psalm. 95. v. 8. Tollite *Locus è*
hostias & introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus. *Psal. 95.*
Vbi vox Mincha absolutè posita est. Eam verò de spiritualibus hostiis in- *v. 8. ex-*
telligendam esse testatur Benedictus Doctor Sorbonæ Paris. *ad h. l.* *pensus.*
& inprimis Bellarminus *in Comment. Psal. p. 572.* Hîc etiam alludit ad morem Hebraicum, juxta quem Judæi, cum ascenderunt ad templum, offerebant victimas & adorato Deo revertebantur in civitates suas, sed quia hoc loco invitantur gentiles ad Ecclesiam domini, intelligenda est hæc oblatio de spiritualibus hostiis, de quibus loquitur *S. Pet. 1. c. 2.* Sunt autem spirituales hostiæ sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, jejunium, eleemosyna, & similia. *Consentit Ioh. Baptista Folengius Monachus Cassi-*
nas ad h. l. O populorum, *inquit*, familiæ, ô meretrices, ô peccato- §. 9.
res, ô quibus lacrymæ sunt panes die & nocte, tribuite Domino, *Ioã. Bapt.*
non vobis, at illi gloriam, ac qua potissimum erepti estis de manu *Folengius*
hostili fortitudinem. Quo circa assumtis non jam myrrha, thuris *Cassinen-*
& aromatum, multò minus cruentarum victimarum inertiumq; *sis.*
pecorũ victimis, sed muneribus castimoniæ puriq; animi, in Deum properate sanctaq; illius atria securi adite. Non jam quidem, ut olim, hostiarum numero placatur Deus, sed fide, sed charitate, sed
mansuetudine, &c. † *Producimus secundò locum ex Psalm. 141. v. 2.* §. 10
Arias habet. Firmeter oratio mea suffimentum ad facies tuas, elevatio *Locus è*
volarum mearum munus vesperæ. Vbi vocabulum Mincha absolutè posi- *Ps. 141. v.*
tum metaphoricè tamen dicitur oratio sive extensis ad sydera palmis *2. expen*
factæ Deo preces. Consentit Iansenius ad h. l. Nec abit ab ea mente Fo- *sus.*
lengius h. l. Et Card. Bellarm. concedit. Licet lib. 1. de Miss. c. x. neget, Davidem sacrificium vesperæ vocare orationem, sed dicat conferre orationem tantum sacrificio vesperæ, *quod contra textus est evidentiam: non enim inserta est ei particula συγκριτικὴ, sicut: sed absolutè dicitur elevatio volarum mearum sacrificium vesperæ, licet postmodum in analysi more metaphoricæ locutionis analogicè tantum & comparativè sit explicandus. Quanquam nihil morarentur defensionis & assertionis nostræ vim, textui licet insertæ, ejusmodi particulæ syncriticæ, cum Riberæ in Comm. Ep. ad Hebr. p. 644. n. 58. hæc sit regula.* Similitudinis particulæ non semper dicunt similitudinem, sed aliquando

verita-

§.11. *Locus Esa. 66. v. 20. ponderatus.* veritatem & rem ipsam. † *Producimus tertiò locum Esa. 66. v. 20. Arias habet.* Et adducent sc. gentes omnes fratres vestros de gentibus, munus Domino in equis & in curru, & in lecticis, & in animalibus velocibus ad montem sanctitatis meæ Jerusalem. *Habetur in hoc quoq; loco vocabulum Mincha absolutè positum, & illud tamen attribuitur liberis gentium ad Ecclesiam gaudio maximo doni cujusdam jucundißimæq; oblationis vice Deo deducendis. Fatetur id* Caspar Sanctius Centump. Ies. *in Comm. ad h. l. n. 57. p. 733.* Gentes, *inquit*, ad Dominum conversæ magnum vocantur donum Dei oblatum. Quæ sanè ratio excitare debet & incendere Apostolici viri animum, quandoquidem munus offerre Deo nullum potest gratius, quam animam à gentium erroribus & à peccatorum sordibus ereptam. *Qua de re multa & graviter* Patres. Gregor. *in Ezech. Hom. 12. cujus verba maximè notanda*: Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Ubi docet, gratius Deo offerre munus, qui animam à peccato liberat, quam qui templum illi construit & dedicat Solymitano clarius & illustrius.

§. 12. *Gregorius de Valentia Sanctio adversarius.* † *Licet verò hujus à nobis adducti loci claritatem obscurare nitatur* Greg. de Valentia *lib. 1. de Missa, c. 4. p. 694. quia in h. l. non adjecta est vox, munda, quia inter locum Esaiæ & Malachiæ nulla est harmonia: nihil tamen contra nos pugnat: cum nos adhuc absolutè positam & metaphoricè interpretandam vocem Mincha exinde probare poßimus. Unde evidens est, Regulam Herberiano Bellarminianam nobis non obstare, quo minus oblatione munda cultum* N. T. *Evangelicum purum, illustrem, à figuris, umbris, corruptelis & additamentis defæcatum intelligamus, qui nominis divini inter gentes revelandi & magnifaciendi causa per orbem terrarum Apostolico sono inclaruit.*

§. 13. *Pontificij Calvinizant. Pugna Pōtificiorū.* † *Licet hanc Evangelicæ doctrinæ in universum orbem emanationem, cùm decreti absoluti architectis & particularis redemptionis assertoribus Calvinianis, vel tempore Apostolorū, vel etiamnum factam esse, neget* Bellarminus, *lib. 3. de. Rom. Pontif. c. 4.* contra se *lib. 4. de Eccles. c. 7* Guil. Estius Theolog. Duacensis *Comm. ad Ep. Rom. c. 10. p. 158.* Bened. Justinian. Ies. *Cōm. Ep. ad Rom. l. c. contra* Thomam Aquin. Comm. *in Ep. ad Rom. c. 10.* Alfonsum de Tostato *in Matth. 24.* Thomam de Vio Cajetan. *in Ep. ad Rom. l. c.* Dominic. à Soto *l. c. Quod obiter noto.*

§14. † *Tertiò. Ex minchæ cum Missa collatione. Ponamus vocabulum mincha hic absolutè positum: & significare sacrificium externum & visibile. Illud interim negari non potest, Mincha esse propriè & primaria sui intentione non tantum sacrificium externum & visibile in genere, sed habere insuper etiam singularem suam componendi rationem,*

tionem, Domini præscripto adornandam. Marc. Marinus *in Arca Noë,* *Mincha magna.*
p.688. Ea & mane & vesperi offerebatur. A vespertina oblatione tempus ipsum Mincha Hebræi appellarunt. Quã geminam constituerunt מנחה גדולה *Mincha magnam &* מנחה קטנה *Mincha parvã. Mincha magna seu vespera magna est, quæ incipit ab hora sexta & dimidia, id est, statim post meridiem ante primam nostram.* † *Rabini ita* §. 15.
describunt. Mincha seu vespera magna est initium temporis sacrificij jugis inter duas vesperas, ex quo incipit vesperascere, seu ad vesperam cursus solaris tendere, hoc est, à dimidia septimã & ulterius (*dimidia prima nostra.*) A dimidia enim sexta ad dimidiã septimam, (*id est, à dimidia duodecima ad dimidiam primam*) Sol constitit in capite cujusq; hominis & umbram facit rectà ante se deorsum, neque declinat in ullum latus: at à dimidia septima & ulterius, (*id est, dimidia prima nostra*) vergit sol in firmamento versus occidentem & spargit umbram versus orientem. *Mincha seu ves-* §. 16.
pera parva est ab hora nona & dimidia, id est, ab hora tertia nostra & dimidia, nempe circa quartam nostram. *Hoc tempore durante tẽplo solebant sacrificia offerre, quæ vocabantur Mincha: cessante templo & sacrificiis viri synagogæ magnæ substituerunt eis preces: & precatio vespertina vocatur* תפלת מנחה. *Sic tempore Minchæ magnæ precatus est Petrus adscendens in solarium.* Act 10. v. 9. *ad mincha parvam* Act. 10. v.
seu horam precationis nonam Petrus & Iohannes iverunt in templum 9.
Act. *3.* v. 10. *Centurio Cæsariensis preces peregit,* Act. 10. v. 3. 30. *Erat & Mincha seu sacrificium matutinum, ut* Num. 28. v. 4. 2. Reg. *3.* v. 20. *cui successit* תפלת השחר *Oratio matutina, cujus initium cum ipso die & finis ad horam quartam, id est, nostram decimam: non quod per quatuor horas duraret, sed quod quilibet tenebatur eam ante finem horæ quartæ absolvere. De hac est Canon* Majemonis, *tractat. de precat.* Orationis matutinæ lex est, ut incipiat quis orare cum exortu solis & terminus ejus usq; ad finem horæ quartæ, quæ est tertia pars diei. *Sic & Apostoli adhuc erant in precibus sacrisq; matutinis devoti & occupati, circa tertiam, hoc est, nonam nostram antemeridianam quando illustri Spiritus sancti fulgore concussi & impleti sunt.* Act. 3. *Act. 3. v. 15*
v. 15. *Videatur* Majemon *de prec. c. 3.* Talmud *de Sabbatho c. 1. fol. 9.* R. Alphes *de Pasch. c. 6.* Buxtorf. *in Lex. p.* 419. † *Modus autem componendi singularissimus, secundum quem Mincha instituenda, describitur Levitici secundo cap.* Chaldaica Paraphr. *ita habet.* Homo autem, cum obtulerit oblationem Mincha coram Domino, simila erit ejus oblatio fundetque super eam oleum & ponet super eam thus.

Et afferet eam ad filios Aaron sacerdotes & tollet inde sacerdos plenum pugillum suum, de simila ejus & de oleo ejus, cum toto thure ejus & adolebit memoriale ejus in altari. Oblatio est, quæ suscipitur cum beneplacito coram Domino. Quod autem reliquū fuerit de munere, erit Aaron & filiis ejus, sanctum sanctorum erit de oblationibus Domini. Et quando obtuleris oblationem Mincha, coctæ in clibano de similâ, placentas azymas conspersas oleo & lagana azyma, quæ uncta sunt oleo. Si autem sacrificium de sartagine fuerit oblatio tua, simila conspersa oleo azyma erit. Divides eam minutatim & effundes super eam oleum, מִנְחָה הִיא, munus est. Si autem sacrificium de craticula fuerit oblatio tua, ex similâ cum oleo fiat. Et afferes sacrificium, quod fit ex his coram Domino & offeres illud ad sacerdotem, offeretq; illud ad altare. Et separabit sacerdos de sacrificio memoriale ejus & abolebit in altari; oblatio est, quæ suscipitur cum beneplacito coram Domino. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorū ejus: sanctum sanctorum erit de oblationibus Domini. Omne Mincha quod offertur coram Domino non fiat fermentatum, quoniā omne fermentum & omne mel non adolebitis ex eo oblationem coram Domino. Omnem enim oblationem sacrificij tui sale salies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. † *Hæc est compositionis in sacrificio Mincha singularis ratio. Aut igitur* Herberus *propriè Mincha accommodabit ad Missam, aut impropriè capiet hoc in loco. Si impropriè accipiet & missam impropriè sacrificium dici concedere cogetur, & non minorem vim de sacrificiis spiritualibus acceptandi vocabulo Mincha inesse fatebitur, quam de missa intelligendi. Propriè verò hoc in loco vocabulum mincha acceptare non poterit, cum nec olei, nec thuris, nec salis, nec abolitionis & concremationis in missa conspiciantur vestigia, quæ tamen* vi sanctissimi mandati divini *summè ad beneplacentem propriamq; constituendam mincham necessaria. Nequaquam igitur mincha ad missam accommodabunt, aut ex missæ cum Mincha collatione aliquid evincent adversarij.* † *Ex hoc vero fonte procul dubio manavit, ut, quia in Mincha adornatione Ecclesiæ Iudaicæ fermenti adspersio fuit interdicta, Romana etiam Ecclesia fermentum excluderet & azymum ea panem usurparet: Vnde concertatio illa odiosa & otiosa nata inter Græcam & Latinam Ecclesiam, in tantum, ut illi istos azymitas, isti, illos fermentarios, quasi cuiuslibet hæresis notent vocabulo, ut inquit* Algerus (*cui* Divi nomen in Bibliothecâ SS. Patrum Margarini Bignei adscribitur *Tom. 4. p. 306. & seqq. quod detrahitur*

§. 18.

§. 19.

Azymóne an fermētato communicandum?

trahitur ipsi ab indice Expurgat. Hispanico *p.*105.) *lib.*2.*de Evchar. c.*10.*p.*375.*Tom.*4. *Adde Guilielm. Durand. in Rat. Divinorum offic. lib.* 4.*p.*312.*c.*42. *Licet verò* Algerus *addat*, multis BONIS CATHOLICIS non contra esse visum, seu azymum, seu fermentatum sacrificetur; tum, quia utrumque panis est, & sicut utrumque vitam transitoriam, sic corpus Christi dat æternam: tùm quia etiam quamvis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan, non quia res, quæ fiebat, hoc exigebat, sed quia cœna, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat, panem tamen fermentatum non prohibuit.† *Tamen ipse liberam illam utriusq; generis panis usurpationem multis suis hypothesibus evertit, quod contendit*, Christum in azymo pane Novum Testamentum instituisse: eundem contrariū faciendo ex singulari provisione fermentatios aut reprobasse, aut azymi species esse digniores ostendisse: azymi usum in omni Ecclesia jam inde ab Apostolorum tempore, excepta Græca Ecclesia, fuisse indesinenter conservatum. *Observetur & hæc ejus argumentatio & apparebit, quid de libera fermentati panis usurpatione judicet. Si mutandum est fermentato azymum, mutetur etiam quolibet liquore alio vinum. Si enim vinum recipitur, cur azymum refutetur? cum sicut ex azymo, sic ex vino Christus vetus pascha finierit & novum inchoaverit, & utrumq; nobis in sacramento suo aquè celebrandum tradiderit. Ex qua illatione apparet, quia à vino ad azymum argumentatur Algerus, illum ita liberum azymum existimare, ut vinum in sacra Evcharistia liberum judicet. At vinum nullo modo liberum est, ut cum alio liquore poßit commutari: Igitur azymi usus nullo modo liber erit, ut cum fermentato commutari queat.* † *Id quod &* Bellarm. *lib.* 4. *de Evchar. c.*7. §. *Hæretici, agit, dum inter sententias hæreticas recenset, si quis ait, non multū referre, azymóne, an fermentato utamur: & perinde esse, uti azymo vel fermentato, sicut perinde est, uti vino albo & rubro, & plus interesse affirmat, utrum azymo an fermentato, quis utatur, quam intersit, utrum albo an rubro quis utatur vino.* † *Cum tamen ex Platinâ in vita Alex. I. p.*17.*edit. Colon. Polydoro Virgilio lib.*5 *de Invent. Rerum c.*10.*p.*444. *Iacobo Philippo Bergomate in Chron. lib.* 8. *p.*184, *constet, Alexandrum primum, qui circa Annum* 109. *Romanæ sedi præfuit, sub Imper. Trajano, juxta Panvinij Chronicon p.* 3. *juxta Cæsaris Baronij Card. computationem verò sub Hadriano, Anno Christi* 121. *Oblationem ex azymo, non autem ex fermento, ut antea, fieri mandasse: quia hoc modo purior haberetur & Ebionitis hæreticis calumniandi occasio auferretur. Prudentior est Græcorum Præsulum*, Rutheni, Bessarionis,

Marginal notes: §. 20. *Algerus cōtrarius liberæ fermentati panis usurpationi.* — §. 21. — §. 22. *Alexand. I. azymū instituit.* — *Conf. Cōs. Anti-zving. p.* 67.

 Trape-

Græcorũ responsio in Concil. Florent.

Trapezuntij, & Mytilenensis *Pontifici data responsio, in Act. Cõcil. 8. sess. ult. Florent. A. 1439 p. 807. edit. Col.* De pane sive azymus sive fermẽtatus fuerit, Græci nõ curant, dummodò ex tritico fiat. *Quæ Latinis tum temporis mirum in modum placuisse dicitur. Aliter autem* Ieremias Patriarcha *Constantinopolit. in Respons. I. ad August. Confess. c. 10. sentit hodie. Sed hæc obiter.*

§. 23. *Mincha transsubstantiationem & calicem evertit.*

Quartò, ex Minchæ & Missæ interna constitutione. Illud verè & propriè non est Mincha, quod tum internâ sub accidentibus latente terrena substantia caret, tum vino conjungitur aut speciebus ejus. Quia hoc est contra naturam Minchæ & rationem componendi, ut supra demonstravimus. Non enim jungitur minchæ vinum, Et quia Mincha substantia sua elementari non caret, illud nequaquam Mincha propriè erit, quod non est ex materia etiam terrena confectum, quicquid sit de materia cœlesti. At sacrificium missæ tum substantia interna terrenâ contra fidem accidentium carere dicitur, tum non est totum mincha, sed altera sui parte tantum, altera verò vinum est; itaq; sacrificium missæ conjunctum vinum habet. Quis verò credat, adeò obscuratè & frustillatim præfiguraturum fuisse Malachiam sacrificium missæ, si de eo unquam cogitasset. Ridiculum est igitur, quod Pontificij tantam in vaticinium hoc Missæ suæ collocent fiduciam, cum transsubstantiationis charissimum ipsis dogma evertat. Neq; enim corpus Christi est propriè mincha: & panis substantia per consecrationem in nihilum ire jubetur, quid igitur erit in sacrificio missæ, quod mincha sit?

§. 24. *Transsubstantiatio perstringitur.*

Deserat igitur Herberus hoc pro caussæ suæ patrocinio vaticiniũ, aut deserat Transsubstantiationem, & dicat cum Durando à S. Pottiano *Leodiensi Episcopo viro insigni doctrina, juxta* Anton. Possevin. *in Apparat. S. T. 1. p. 488. juxta* Bellarm. *de Scr. Eccl. p. 384. Theologo insigni. ex 4. sentent. dist. 10. quæst. 1. art. 14* Satis durum est & derogare videtur immensitati divinæ potentiæ dicere, quod Deus non possit facere corpus suum esse in sacramento, per alium modum, quã per conversionem substantiæ panis in eum maximè, cum ponendo conversionem fieri, difficilimum est videre, qualiter ipsa faciat aliquid ad hoc, quod corpus Christi sit in sacramento. *Dicat cum*

Durandus à S. Portiano.

Guilielmus Occamius.

Guilielmo Occamio, *viro, secundum* Possevinum, *acri ingenio, secundum* Bellarminum, *docto, ex Centil. Theolog. Conc. lib. 4. q. 6.* Substantiam panis manere hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium & sacris scripturis minus repugnans. *Et ex lib. 4. sent. dist. 11. q. 6.* In potestate Dei est, esse substantiam sub specie panis & non esse. Ejus primus modus potest teneri, quia non repugnat, rationi,

nec

nec autoritati Bibliæ & est rationabilior & facilior ad tenendum inter omnes modos. *Dicat cum* Petro de Alliaco *Episcopo Cameracensi*, Cancell. *Paris*. R. E. *Cardin. ex 4. sentent. dist. 11. q. 6. art. 1.* Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet, &c. quicquid tamen sit de hoc, patet tamen, quod ille modus sit possibilis, nec repugnet rationi, nec autoritati bibliæ. *Dicat cum* Gabriele Biel *Comment. in Canonem Missæ, quæ* Possevino *pererudita, lect.* 40. Quamvis expresse traditur in scriptura, quod corpus Christi veraciter sub speciebus panis continetur, tamen, quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat esse corpus Christi cum pane manentibus substantia & accidentibus panis, NON INVENITUR EXPRESSUM IN CANONE BIBLIÆ. † *Non enim puto, illud assumturum esse præsidium nostrũ Herberum, quod* Johannes Schlotanus *Hæret. pravitat. inquisitor libro de retinenda fide Cathol. contra fidem Luth. quem elegantem vocat Anton. Possevinus, p. 185. assumit, dum inquit.* Mirum valdè, adversarios hanc mutationem vel conversionem, quam Ecclesia Catholica transsubstantiationem appellat, nolle credere; cum Diabolus, eorum pater, eam POSSIBILEM credidit, quãdo dixit ad Christum, quando filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Si enim non credidisset, id posse fieri, nimirum ut substantia lapidis mutaretur in substantiam panis, & hoc à filio Dei, frustra illi hoc proposuisset. *Hæc ille.*

Petrus de Alliaco Cardinalis.

Gabriel Bielius.

Vid. Vind. ad c. 4 Ex. diss. 4.

§. 25.

Pontificia transsubstantiatio diabolo suffragatore stat.

Quintò. Ex veteris testamenti proprietate. Bellarminus *lib. 1. de Miss. c. 10. §. Respondeo, Negari. ait:* Sæpissimè in Scripturis V. T. describi res futuras per typos & ritus externos legis, ut cum per Hierusalem intelligitur allegoricè Ecclesia, per Levitas Clerici, per sacrificia ovium & boum sacrificium Eucharistiæ. *Consentiunt Bellarmino* Hieronym. Lauretus *in præfat. ad Sylvam allegoricam &* & Alfonsus Salmeron *Tom. 9. tract. 21. & Tom. 1. tract. 19. Addit verò Bellarminus, id non fieri, nisi cum describuntur res novæ & futuræ, quæ non erant eo tempore in usu. Quod falsum est. Concedunt enim Pontificij, in quibusdam ceremonijs V. T. explicandis, præter sensum literalem, quo ad Iudaicam religionem transferuntur, & allegoricum, quo ad mysteria Christi significanda accommodantur, esse etiam tropologicum, in quibus morum virtutumq; Christianarum docetur & ubertim depingitur gratia.* † *Vnde* Alfons. Salm. *T. 1. tract. 19. p. 344. ait:* aliqui loci præter literam unum sensum mysticum recipere possunt, alii verò duos: quemadmodum Manna: quod ad literam significabat pa-

§. 26.

Pontificiorum de pluribus sensibus hypothesis.

§. 27.

Alfonsus Salmeron

nem de cœlo deplutum: Allegoricè de Christo sub Eucharistia explicatur Joh. 6. Tropologicè verò de Eleemosyna interpretatur. *2. Cor. 8.* etsi possit ad verbum Dei & ad scripturam commodè adaptari, ut interdum faciunt sancti patres. Aliqui verò loci sunt, qui non inconcinnè per tres sensus spirituales, allegoriæ, tropologiæ interpretari possunt, ut sunt historiæ quædam veteris testamenti & præcepta legis ad ceremonias & judicia spectantia.

§. 28. † *Proinde juxta eosdem in unius ritus V.T. expositione explicari mysteria fidei per allegoriam, res sperandæ per anagogiam, res agendæ per tropologiam possunt. Si igitur in typis & ritibus externis legis sensu tropologico agenda depinguntur, sensu anagogico futura gloria describitur, non tantum nova & futura & antea inusitata per typos & ritus externos Iudaicæ legis describentur. Quia quæ sensus evolvit tropologicus, agenda sunt & caritatem spectant. Caritas verò & benè agendorum ratio non novum erat futurum & inusitatum respectu Veteris Testamẽti. Item descriptio gloriæ cœlestis sub typis & ritibus externis legis facta in Veteri quoq; Testamento clara fuit & evidens, nisi Photinismo subscribere placeat.*

§. 29. † *Porrò itaq; elucescit imbecillitas illius illationis.* Per typos & ritus legales non describuntur, nisi res novæ & inusitatæ. Ergò sacrificia spiritualia nunquam per typos & ritus legales describuntur. Ergò in loco Malachiæ non describuntur preces, virtutum exercitia & cultus divinus. *Item illius.* Per typos & ritus legales describuntur res merè novæ & in V.T. inusitatæ. Ergò in loco Malachiæ per mincha tanquam ritum legalem sola Missa intelligitur, quæ sola novissima & in V.T. inusitatissima: *adde si placet & in N.T. puriori cultu conservato.*

§. 30. *Quomodo sacrificia spirit. nova in N.T. appellari queant.*

† *Sunt verò & spiritualia illa sacrificia, preces, virtutum exercitia & cultus sacer novum quid in Novo Testamento,* tùm ratione claritatis, *quia ab omnibus umbris & ænigmatibus sunt liberata:* tum ratione exemplaris, *quia ad novissimum & nitidissimum exemplar Christi conformata:* tum ratione completionis, *quia superaffluenti gratia præstitæ satisfactionis Christi compensantur & integrantur:* tum ratione amplificationis, *quia in omnes etiam gentes, in fines orbis terrarum extensa est eorum excellentia & dignitas;* tum ratione reformationis, *quia ab assumentis & corruptelis Pharisaicarum superstitionum vindicata & vero sinceroq; nitori restituta sunt. Ergò non digressuros nos ab analogia fidei patet, si in loco Malach. spiritualia intellexerimus sacrificia.*

§. 31. *Sextò, ex incensi & minchæ accuratâ collatione. Vulgata editio loco incensi, ponit, Sacrificatur. Ribera & alij prætermittunt omnino,*

omninò, nec quid per incensum intelligatur explicant. Non tamen intermittendum est, quia in ipso Scripturæ textu comprehensum & à Patribus etiam explicatum, ut suo loco patebit. Textus ita habet ex Ariæ *versione.* In omni loco suffumigatum oblatum nomini meo & oblatio munda. *aut ex* Santis Pagnini, In omni loco incensum offertur nomini meo & oblatio munda. † *Quemadmodum igitur vocabulum* incensi *in N.T. intelligendam, ita vocabulum* minchæ. *Si vocabulum* mincha *quia absolute positum est, notat sacrificium externum, proprium, visibile,* incensum *etiam sacrificium* N.T. *proprium, externum & visibile notabit. Aut si vocabulum* incensi *notat nullum externum, proprium & visibile sacrificium, licet absolutè positum, nec vocabulum* minchæ, *quamvis absolutè positum, externum, proprium & visibile sacrificium significabit. Porrò si vocabulum* mincha, *quia typus, non potest aliquid in N.T. significare, nisi futurum, novum, inusitatum, neq; vocabulum* miktar incensi, *tanquam ritus legis externus aliquid in N.T. significare potest, nisi futurum, novum, inusitatum: & quod sub N.T. nequaquam fuerit. Si verò vocabulum* incensi *in N. T. aliquid significat, quod non omninò novum, inusitatum & futurum, & quod sub Veteri quoq; Testamento aliquatenus fuit, etiam vocabulum* mincha *nulla necessitate rem omninò novam, futuram, in V. T. inusitatam, in* N.T. *demum exhibendam significabit. Atqui verò tum cogit evidentia* textus, *tum* Herberus *concedit, per* incensum *nec sacrificium aliquod externum, proprium & visibile, nec rem V. T. incognitam, inusitatam, novam, futuram in N.T. intelligendam. Si enim rem externam & novã, sacrificium proprium & visibile intelligeret, illud esset vel missa, vel aliud. Missa non est, illa etenim nec incensum est propriè, nec si abolitio quædam & thurificatio in ea fiat, illa de essentia est missæ, sed additamentum tantùm rectè dicitur. Quid verò est aliud? Nisi spiritualia sacrificia precum & cultuum divinorum fervidorum.* † Christoph. à Castro Jesuita *lib. XII. Cõment. in Min. Proph. c. 1. p. 556. enumerat* quosdam esse, qui idem intelligi per incensum & hostiam puram volunt, corpus videlicet Christi, igne charitatis incensum; Deoque in odorem suavissimum oblatum, quæ hostia pura dicitur, ut opponitur hostiis impuris contra legem oblatis à sacerdotibus veteribus. *Ac sic corpus Christi non est propriè incensum, sed metaphoricè.* Porrò, *inquit,* potest & juxta discrimen supra statutum inter miktar oblationem ignitam seu incensum, & mincha donarium, per incensum significari victima corporis Christi incensa igni charitatis, quæ nidorem suavissimum emittit: per mincha cultus omnis

&

§. 32. Ex vocabuli incẽsi sensu missa evertitur.

§. 33.

& ritus sacer, quo victima offertur Deo in officio Missæ, nam hæc quasi mola spargitur per omne sacrificium, ut Deus pro nobis illud acceptet. *Atqui verò sic contra interpretum Papisticorum aliorum mentem per mincha secundarium tantum, accessorium & separabile quid in missæ sacrificio denotaretur; ceremoniæ namq; illæ sunt accessorium quid & extrinsecum. Et incensum iterum impropriè significaret*

§. 34. *missam.* † *Concedit igitur tandem* Castrensis, Hieronymum *per incensum accipere orationes sanctorum, de quibus Apoc. 5. v. 8.* Theodoretum, *bonum virtutis odorem undiquaq; diffusum*, Tertullianum, Eusebium & Chrysostomum *VERIUS, hymnos & preces fidelium, quæ in sacris mysteriis recitantur & concinuntur significare, juxta illud Psalmi* 104. *Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Unde sponte fluit, per Mincha quoq; sacrificium aliquod spirituale Novi Test. intelligi. Nihil ergò pro Missa heic subsidij atq; fulcimenti.*

§. 35. *Septimò.* ***Ex loci universitate.*** *Tale sacrificium in N. T. requirit & habiturum se promittit Dominus per Prophetam, quod omni loco offeretur: adeò ut nulla orbis habitati pars sit, in qua hoc sacrificium non celebretur Domino. Propositio hæc est ipsorum Papistarum. Ita enim Alfonsus Salmeron Tom. 9. tract. 27. p.* 200. Additur, in omni loco offerendam, & intellige omnem locum sanctum & honestum. Atque hoc ex decentia magis, quam ex necessitate, ut ita sacer locus operationi sacræ atque adeò personæ offerenti & sumenti cōsonet atque congruat. Et denotatur Ecclesiæ Christi amplitudo, contra angustos terminos Iudææ & contra angulos hæreticorum tali hostia suo vitio privatorum. Diciturque magnum nomen Dei in gentibus, quod ingens & illustris quædam gloria in Deum redeat, ob talia & tanta, quæ fide certa credimus Christum in hoc sacrificio operari ac Ecclesiam alendam, cui propterea fidem, spem, charitatem, preces, laudis confessionem, corpus & omnia bona nostra offerimus, ad gloriam hujus hostiæ extruentes templa & altaria, Sacerdotes sacrificos & tot ordines ministrorum, totque Canonicos, dignitates, personatus & alia ministeria sacra habentes, cantores, atq; alios innumeros, qui & assistant sacrifi-

§. 36. cio & interdum ipsi conficiant, populoq; ministrent.

Missa innumeris terrarum tractibus nihili fit.

Atqui verò innumeræ sunt regiones, locis etiā sanctissimis in honorēDei extructis non carentes, ubi Missa Romanensis nec auditur nec curatur. Quanti fiat Missa in maxima Germaniæ, Galliæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Scotiæ parte, non ignotum esse potest. Quam tot regnorum maximam partem, qui angulum tantum dicit, is

in obſcuro angulo inter medias delirantis cerebri fatigationes ſine ſomno ſomniat. Septentrio habet Orchades Inſulas, quarũ maximas Mainlandia, ulterior Schetlandia, diſſitior Farenſis, quarum ſuo ſingulæ gaudent Epiſcopatu, à Pontificio fermento liberæ. Habet Islandiam, Olao Magno indice, aliquot Cathedralibus Eccleſiis inſignem, cui Daniæ Rex è ſuo Theologos mittit regno, ita, ut Miſſam nequaquam curent. Habent alias etiam terras, in quibus tamen miſſa exulat. Moſcovia ritibus Græcis utitur: admittit tamen in ſe quoq; Germanos, quibus Evangelij purioris miniſter concionatur. Ipſe Moſcus nulli hominum infenſior eſt, quam Romano Pontifici. Barone Herberſteinio referente, Poſſevino *ei perſuaſuro, ut Græca fide abjecta Romanam amplecteretur, reſpondit,* ſe non in Græcos, ſed in Chriſtum credere, omnes Apoſtolos Evangelium prædicaſſe, ſed nullum ex illis alio fuiſſe majorẽ, Petrum & alios Pontifices ſanctos ſe agnoſcere, at verò, qui eos ſecuti ſunt, quia improbè vixerunt, quo nam modo Petro ſuccedere, ut eadem cum Petro autoritate in Petri ſede reſidere potuerint, non videre. ROMANÆ FIDEI SEPTUAGINTA FIDES INESSE. *Quanti etiam in Oriente, ubi Chriſtianæ religionis latiſſimè ſeſe quoq; fundit cultus, fiat miſſa Romanenſis, ſatis perſpicuum eſt. Quos Chriſtianos Ægyptus habet, ij Miſſatico ſacrificio parum favent. Æthiopia, qua cultum Chriſtianum ſectatur, Miſſarum nundinationes contemnit. Unde ejus Imperator acerrimus ſedis Romanæ hoſtis à Ioſepho Acoſta vocatur. Quid de Indiis ſtatuendum, loquantur Ludovicus Granatenſis, Franciſc. Victoria, rel. 5. Ioſ. Acoſta l. 1. procur. ind. Sal. c. 4. 18. Quanti Græci Romanum Pontificem cum ſua miſſa faciant, refert Iohan. Mandevilla lib. 1. c. 17. Et conqueritur Innocentius III. In Concilio Lateranenſi c. 4. p. 162. Licet Græcos in diebus noſtris ad obœdientiam Apoſtolicæ ſedis revertentes fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Deo poſſumus ſuſtinendo, in his tamen illis nec deferre volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum & Eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Poſtquam enim Græcorum Eccleſia cum quibuſdam complicibus ac fautoribus ſuis ab obœdientia Apoſtolicæ ſedis ſe ſubtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, ſi quando ſacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent altaria, non prius ipſi ſacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hoc inquinata laviſſent. Hæc eſt miſſæ Romanenſis in innumeris orbis terrarum locis fama, in quibus tamen major fortaſſis eſt ſanctitas, quam in ipſorum Romanenſium templis.† Cum Roma inimiciſſimam veræ ſanctitatis perſecutricem ſeſe declararit diu.*

In hiſtor. Moſcovitica.

Moſcorũ Magni Ducis de Roman. Pontif. teſtimonium.

Græci Evchariſtiã in Latinorum aris niſi prius lotis non celebrãt.

§. 37.

Roma sanctitati parũ favet.

Præterea jam testimonia Brigittæ, Alexandri VI. Ioh. Petri Caraffæ Card. Petrarchæ, Nicolai Florentini, Iohannis Franc. Pici Mirandulæ & Concordiæ Comitis, Ioh. Staphilei Siburicensis Episcopi, Antonij Palearij Verulani, Claudij Espensæi, Bernardi Monclanensis, Panormitani, Stellæ, Ægidij Corroceti & aliorum ab alijs allatorum, addam solum unum & alterum ex Platina Apostolico scriptore, Sixti IV. familiari & Bibliothecæ Vaticanæ præfecto. In vita Stephani III. Pontificis p. 118. Nunc, inquit, adeò refrixit pietas & religio, non dico nudis pedibus, sed caligati & cothurnati vix supplicare dignantur. Non flent inter eundum, vel dum sacrificatur, ut illi sancti patres: sed rident & quidem impudenter: de his etiam loquor, quos purpura insigniores facit: non hymnos canunt, id enim servile videtur, sed jocos & fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? quo quis dicacior est & petulantior, eò majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Severos & graves viros reformidat hic noster clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt vivere, quam benè monenti aut cogenti obtemperare & ob eam rẽ Christiana religio quotidie in pejus labitur. In vita Bonifacij V. p. 81. Instant, inquit, nunc Turcæ terra ac mari, ut nos tanquam cuniculos ex his Ecclesiæ latebris eruant. Sedemus otiosi, alter alterum expectantes, quasi hoc malum universæ reipublicæ Christianæ non immineat. Expectant sacerdotes, ut à secularibus hoc tantũ bellum & tam necessarium sumatur. Expectant item seculares, ut presbyteri tuendæ religionis causa pecunias in sumtus polliceantur & subministrent bellicos, nec in pejores usus effundant, quemadmodum facere plerique consuevere: pecunias eleemosynis & sanguine martyrum comparatas in aurea & argentea vasa & prægrandia quidem fundentes, parum de futuro solliciti, Dei, quem tantum utilitatis gratia colunt & hominum contemtores.

Cardinales quales?

§. 38. † *Tutius igitur iterum & melius sacrificium in omni loco oblatum asseritur esse spirituale precum & cultuum divinorum, quale sub* certissimo Evangelij charactere (*sic crucem & persecutiones Chrysost. hom. 25. in 1. Cor. appellat*) *fundunt hinc inde in omni terrarum ambitu, quaqua versus cœlum patet, Christiani. Sicut, & ipsâ missâ latè hodiè cultâ licet, sanctiora fuerunt & ad nomen Sacrosanctum Dei amplificandum gratiora illa suspiria & vota, quæ fundebant Christi sub primitivæ Ecclesiæ persecutionibus cultores, in arenariis cryptis. De quibus* Cæsar Baron. Card. *ad Ann. Ch.* 130. *Tom.* 2. *Annal. Eccles. sect.* 2. *p.* 90. Mirabile, *inquit*, dictu; vidimus sæpiusque lustravimus Priscillæ cœmiterium,

Cryptæ in persecutionibus priscæ Ecclesiæ.

terium, haud pridem inventum atq; refossum via Salaria, tertio ab urbe lapide: quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus amplitudine multisq; atque diversis ejusdem viis, quam subterraneam civitatem: quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias frequentes habeat, easdemq; diversas, quæ rursum in diversos viculos dividãtur & angiportus: rursus, ut in civitatibus, statis locis, velut fora quædam, ampliora sunt spatia ad conventus sacros agendos eademq; sanctorum imaginibus exornata, nec desunt, licet nunc obstructa ad lumen excipiendum desuper extructa foramina. Obstupuit urbs, cum in suis suburbiis abditas se novit habere civitates, Christianorum tempore persecutionis olim colonias, modò autem sepulcris tantum refertas & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis cœmiteriis aliqua solum ex parte reclusis, tunc plenius intellexit. *In his inquam abditis persecutionum refugiis nullum vestigium vel aræ solenniter adornatæ, vel missæ ex ritu Romano celebratæ: pura inibi prædicatio evangelicorum mysteriorum, sacramentorum illibata communio precumq; charissimus fervor fovit devotas & tyrannide immani concussas pressasq; mentes.*

Octavò. Ex Judæorum reprehensione. Audiamus, quomodò §. 39.
Becanus *in lib. de triplic. sacr. 3. c. 3. sect. 9. p. 642. locum Malachiæ explicet.* Clarè vides, *ait*, Malachiam agere contra sacerdotes Judæorum, & duo prædicere, primò illorum sacrificia esse abroganda, secundò successurum (novum) sacrificium. In priori attingit rejectionem seu reprobationem Judæorum, in posteriori electionem seu vocationem gentium. Sed verba Malachiæ explicanda sunt. Offertis super altare meum panem pollutum, id est, sacrificiis vestris offertis panem, qui non est factus & paratus secundum præscriptum legis. Et dicitis, in quo polluimus te? Id est, polluitis seu contemnitis me offerendo polluta munera contra præscriptum legis & tamen quasi nihil agatis mali, quæritis, in quo me polluatis? In eo, in quo dicitis mensa Domini despecta est, id est, in eo polluitis me, quod dicitis, non esse magni momenti, etiamsi panes, qui offeruntur in altari, non sint facti secundum legem. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? id est, annon polluitis & contemnitis me, quando vilissima quæque ex animalibus offertis mihi, &c. † *Vnde patet, Prophetam non reprehendisse in eo Iudaicos sacerdotes, quod sacrificia ratione ipsius substantiæ non rectè administraverint, nec illud requisivisse in Iudæis, ut ratione substantiæ* §. 40. *De eo sacrificio hic*

sermo, quod Iudæi tẽpore Malachiæ neglexerũt. tum temporis aliud aliquod sacrificium adferrent in altare Domini. Hoc tantum reprehensum est, quod partim non ex præscripto Domini (quod & in sacramento Evcharistiæ multifariam faciunt Pontificij) usq; quaq; illa ipsa altari Dominico exhibuerint, partim non ad antitypum, quem arcano indicio respexerunt illa, respexerint; partim non dignè satis & majestati Dei convenienter tractarint eædem; partim impia & maligna vitâ sanctißimum ordinem suum & sacrificiorum à se tractatorum atq; exhibitorum religiosam vim profanaverint. †

§.41. Hinc ita inferendum ulterius judicamus. Quodcunq; Deus Iudaicis sacerdotibus, quia illud non præstiterunt, exprobrat, illud ab ipsis præstari potuit. Quod enim, Iudæis ob ejus carentiam spretis, in gentibus Deus quærit & inventurum se prædicit, illud & Iudæi habere potuerunt. Si namq; habere id Iudæi non potuerunt, cur ob ejus carentiam illos sperneret? Vnde, Quod tanquam à Iudæis neglectum Ethnicos seu gentes oblaturas Propheta prænunciat, illud Iudæi quoq; offerre tum temporis potuissent. Cur namq; Iudæos reprobasset, cur reprehendisset, cur gentibus eosdem posthabuisset cur gentes ijsdem antetulisset, nisi idem Iudæi quoq; facere potuissent, quod in gentibus laudatur, cujusq; gratia gentes fiebant? Cujus neglectio aliquem reprehensioni facit obnoxium, illius peractio in ejus potestate posita fuit fatentibus Bellarmini affectatoribus omnibus. Ejus rei neglectio neminem facit reprehensibilem, ad cujus administrationem & confectionem quis nec oblgatus est, nec potestatem accepit ab Imperante.†

§.42. Atqui verò Deus in Iudaicis sacerdotibus id desiderat, quod in gentibus se habiturum ait. Ob ejus neglectionem reprehendit Iudæos, cujus confectionem in gentibus prædicit. At verò Missæ sacrificium non erat in Iudæorum potestate: non erat illi conveniens tempori: ob ejus neglectionem Iudæi non reprobantur: sed, cur reprehensi & reprobati fuerint fuerint Iudæi, est spiritualis diviniq; cultus socors tractatio spiritualiumq; sacrificiorum intermißio juxta Mosaicarum ceremoniarum exercitium. Idem igitur Deus per gentes præstitum iri vaticitatur. Cur enim rejicit à se Iudæos? Quia magnum est nomen ejus in gentibus. Ergò in Iudæis magnum non fuit Dei nomen. Ergò potuit esse magnum nomẽ Domini in Iudæis. Ergò etiam aliquandiu nomen Domini magnum fuit in Iudæis, quia eos retinuit, nec à se rejicere decrevit Cur, iterum quæram, repudiat Iudæos cum suis sacrificijs tempore Malachiæ? Quia offeretur & sacrificabitur ibi oblatio munda à gentibus. Ergò potuit quoq; tum temporis oblatio munda offerri à Iudæis: alias non-oblatio causa reprobationis non esset. Ergò aliquandiu obtulerunt Iudæi oblationem mundam Domino, alias in principio statim instituti cultus Mosaici reproba-

probatus ille fuisset & vaticinium hoc valuisset. Quia igitur non desiderat missæ neglectionem in Iudæis apud Malachiam Deus, quia etiam de substantiâ sacrificiorum Iudaicorum, ordinatione divina introductâ, non conqueritur; nec in gentibus sacrificium missæ in omni loco celebratum iri prædixit apud Malachiam Deus. Nihil igitur ex hac etiam ratione præsidij missa habet.

Nonò. Ex munditiæ requisito. Mundam fore Malachias ait hostiæ oblationem illam, quam gentes adornabunt. Vnde Pontificij omnes inferunt. Ergò absolutè munda futura est & ita pura, ut etiam in summo justitiæ divinæ rigore ponderata munda censeatur. Hujus illationis in Malachiæ quidem textu nulla sunt stabilimenta. Eiamsi enim dicatur munda illa oblatio, non tamen inde sequitur, ergo absolutè mũda est & secundum summam perfectissimamq; puritatis normã munda erit. Potest aliquid mundum esse, etiamsi non absoluto, supremo, exactissimoq; munditiæ gradu mundum sit. §.43. *An absoluta mundities hic intelligenda?*

† *Notum est Herbero, quid Alfonf. Salmer. Tom. 1. prolegom. 14. form. 4. p. 259. dicat.* Hebræi, quia carent comparativis, positivis pro eis utuntur. Nam ita dictum est, bonum est homini mulierem non tangere, h. e. melius: & Maria bonam partem elegit, ita enim Græcè dicitur καλὴν μερίδα, h. e. bonam partem, quam pro meliori accipiendam & ratio comparationis Christi & Patres tradunt, &c. *Consentit* Salmeroni *etiam* Franc. Ribera Jesuita *in Ep. ad Hebr. p. 673. Dicitur igitur forte etiam apud Malachiam gentilium oblatio munda, non ob absolutam summamq; munditiem, sed comparatè, quia varijs modis mundior est oblatio illa gentilium, quam oblatio Iudaica. Non igitur opus est, sacramentum Evcharistiæ longè augustissimum in sacrificium transformare & corpus Christi post exantlatam crucis mortem in aram reducere, ut sacrificiũ habeamus. Nihil etiam impedit, quo minus spiritualia illa sacrificia, quorum fervorem sanctus è supernis spiritus in nobis excitat, oblationem mundam nominemus eam quoq;, quam Malachias descripsit. Atq; sic simul responsum est cavillo,* quod ex denegata à nobis bonis operibus summa puritate *nectunt & allinunt pleriq; omnes Pontificij. Et apparet, præter omnem rationem ex nudo vocabuli mundi positu Missaticã, h. e. ipsorum stylo, omnimodam, excellentissimam, supremamq; munditiem elicuisse Bellarm. l. 1. de Miss. c. 10. Salmeronem Tom. 9. p. 199. Christoph. à Castro & Fr. Riberam ad h. l. Becan. loc. cit. Alf. Castrens. l. 10. adv. hæreses fol. 288. Hieron. Nigrum Fossanensem l. 3. de sacrif. p. 102. c. 13. & alios infinitos.* §. 44. *Salmeronis regula de positivis comparatè intelligẽdis.*

† *Taceo jam, Pontificios, si rem accuratè examinemus, stantibus suis hypothesibus in corpore Christi, quod illi hostiam missa-* §. 45. *An salvis*

hypothesibus Pontificij in corpore Christi divinã & absolutissimam munditiẽ ponant? missaticam statuunt, non posse defendere summum illum, excellentissimum, absolutumq; divinæ puritatis gradum. Qui est in sola increatâ, independente & simplicissima puritate. Nam quando negant, Christo secundum humanam naturam per & propter unionem personalem absq; omni vel confusione vel transfusione, admiranda tamen & ineffabili περιχωρήσει, verè & realiter communicatas esse divinas & increatas excellentias & idiomata, inter quæ increata etiam & summa illa absolutissimæ perfectionis puritas est, quomodo eam in corpore Christi esse, absq; Nestorianismo, defendent? Sed hæc obiter.

§. 46. Decimò: Ex hypothesi Bellarminiana. Bellarminus lib. 3. de Evcharist. c. 9. responsurus Calvinianæ objectioni, de non necessitate præsentiæ realis substantialis corporis Christi in sacrificio Missæ, ita loquitur: Concedo, potuisse Deum per sacramentum Evcharistiæ etiã sine reali præsentia corporis Domini conservare & augere in nobis vitam spiritualem, sed non ideo inutilis est. Vnde & hypothesis est: Sacramentum Evchar. sine reali corporis Dominici præsentia posse esse sacramentum Evcharistiæ. Si enim Deus sine reali præsentia corporis Dominici vitam spiritualem in nobis conservare potuisset tamen PER SACRAMENTVM EVCHARISTIÆ, ergò Evchar. sacramentum vitã spiritualem producens potest esse sine præsentia reali corporis Dominici. Ergò Evcharistia sine reali corporis Dominici præsentia est sacramentum Evcharistiæ. Ergò etiam sacrificium Missæ, quod est nobilissima princeps & primaria pars Evcharistiæ, sine reali corporis Dominici præsentia potest esse sacrificium Evcharistiæ. Vnde corpus Christi realiter præsens non necessariò est hostia in Evcharistiæ. Potest enim juxta Bellarminum etiam non hostia esse. Itaq; munditia, quam Bellarminus & Herberus in sacrificio Evcharistiæ jactant, non necessariò est ex hostia corporis Dominici. Non est igitur sacrificium Evcharistiæ necessariò & absolutè in excellentissimo gradu mundum, secundum Bellarminum, vel certè potest esse non mundum in summo & excellentissimo gradu. †

Eucharistia juxta Bellarm. potest cõservari sublato corpore Christi.

§. 47. Quam consequentiam vidit Bellarminus: itaq; paragrapho immediatè sequente apertissima contradictione ait. Sacrificium Christianæ religionis (Missa) non potuit in solo pane & vino constitui, quæ sunt longè inferiora vitulis, & arietibus, sed necesse fuit ipsum verum Domini corpus in hoc sacrificio constitui & contineri, ut eo modo veritas imagini & exemplar figuræ, & corpus umbræ quam aptissimè responderet. †

Bellarm. sibi contradicit.

§. 48. Notanda verò Heinrici Heinriquezij in Sũma Theol. lib. 8. de Evchar. c. 24. sect. 6. p. 446. verba: Potuit corpus Christi è cœlo distans agere per has species tanquã per instrumentum SE-

Heinriquezij ab-

PARATUM. *Actio vero illa esset necessariò divina & increata potestatis. At verò dare actionem divinam & increatæ potentiæ cum distantia agentis ad patiens est negare omnipræsentiam Dei. Omne enim divinū agens & infinitæ virtutis est propinquitate substantiali propinquum patienti. Nemo verò affirmabit, corpus Christi seu Christum secundum humanam naturam in hypostasi infinita τῦ λόγυ subsistentem in hæc inferiora agentem esse agens non divinum, sed finitæ restrictæq; potestatis. Quæro itaq;, an actio illa, quam potuit* CORPUS CHRISTI E COELO DISTANS *perficere in speciebus & per species etiam sacrificialis & propitiatoria esse potuerit, ut jam in missa esse dicitur? Ita quidem sentit Heinriquez. Ergò potuerunt species constituere sacrificium missæ etiam distante ab ipsis omnimodò corpore Christi in cœlo? Quod eodem recidit cum Bellarminiana sententia.* † *Ex quo principio & illa fluxit sententia Bell. paragr. alleg. c. ult.* beneficio sacræ Eucharistiæ BREVI TEMPORE INTER NOS DOMINUM HABEMUS. *Quæ assertio tum solidissima consolationis fundamenta convellit, tum etiam absolutè & summè mundi Christianæ religionis sacrificij naturam evertit.* † *Peperit etiam haut ferendam & indignam* Guiliel. Durandi Mimatensis *Episc. in Rat. div. off. lib. 4. 42. p. 315. sententiam, qua inter undecim miracula in corporis Christi sacramento contingentia & illud recenset,* quod SUMTUM A SACERDOTE ET QUOLIBET ALIO, ORE CLAUSO IN COELUM RAPITUR corpus Christi. Sicut ex utero Virginis Mariæ & sepulcri monumento & per januam, clausis licet singulis, ivit. *Ita nimirum fictitium suum in missa sacrificium theatrico quodam specierum habitu in scenam producunt, quod mox atq; sumtum est à sacerdote vel quolibet alio, eidem licet arctißimè os claudenti eripiatur.*

surda locutio.

§. 49 *Alij tamē Pontificij missam ob perennem Christi præsentiā tuentur.*

§. 50.

§. 51. *Vndecimò, Ex frequenti in missa contaminatione. Pontificiorum penè omniū sententia & maxima hæc est,* tale in vatinio Malachiæ mundum sacrificium intelligi, quod malitia ministrorum contaminari nequit. *At missam malitia ministrorum contaminari posse multis modis manifestabimus. Prodeat primò* CONCILIUM TRIDENTINUM. *Ejus in seßione 22. de Reformat. p. 226. hoc est monitum.* Cum igitur MULTA jam sive temporum vitio sive hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor tribuatur, & cultus ad Dei gloriam & populi ædificationem restituatur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere curent ac teneantur. Enumerat autem illa Synodus.

Conciliū Tridentinum.

Vitia circa missam commissa.

nodus. 1. Est avaritia. 2. Irreverentia. 3. missæ interveniente mercede celebratio. 4. Illiberalis eleemosynarum erectio. 5. missæ in privatis domibus confectio. 6. Oratoriorum domesticorum dedicatio. 7. deambulationum, strepituum, clamorum inter sacra frequentia. 8. debitarum celebrationi horarum prætergressio. 9. precum neglectio. 10. admonitionis, ut populus frequenter missæ intersit, intermissio. *Et quæ sunt alia, quæ* Johannis Sotealli & Horatij Lucij *ICtorum annotationibus fusius explicantur, & Iohannis Gallemartij declarationibus sacræ congreg. Romanæ amplificantur.*

Iohan. Sotealus & Horat. Lucius ICti.

§. 52. *Bellarmini assertio*

† *Deinde* BELLARMINI ATTESTATIO. *lib. 3. de Missa c. 24. paragr. 5. ait.* Non est novus, sed antiquissimus ritus orandi pro oblatione jam consecrata. Neq; hoc est orare pro Christi reconciliatione apud Patrem, sed pro nostra potius infirmitate. etsi enim oblatio consecrata ex parte rei, quæ offertur, & ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat, tamen ex parte ministri, vel populi astantis potest non placere. Id igitur est, quod petimus, ut Deus benignè respiciat hoc munus, ut à nobis offertur. Simile quid cerni potest in sacrificiis veterum Hebræorum. Illi enim suppliciter postulabant, ut clementer Deus ipsorum sacrificia ovium & boum adspiceret, nec tamen orabant propriè pro ovibus & bobus, nec mediatores se constituebant inter oves & Deum, nec reconciliare pecora illa Deo volebant, sed pro se orabant, & obsequium suum in illis rebus offerendis Deo gratum esse cupiebant. *Ubi inprimis comparatio inter V. & N. T. sacerdotes, inter hujus & illius sacrificia, inter finem oblationis hujus & illius attendenda.*

§. 53. *Deceptio in missam introducta.*

† *Tertiò* DECEPTIO. Gulielmus Altisiodorensis *Episcopus Gallus, Professor Parisinus, teste* Possevino, *vir*, Bellarmino *l. 5. de Iustific. c. 15. teste, egregius, lib. 4. sentent. c. 410. ait:* Etsi in sacramento Eucharistiæ nulla debet esse simulatio, tamen in casu aliquo necesse est fieri simulationem, sicut cum sacerdos per negligentiam suam non habet hostiam consecratam & aliquis petit Eucharistiam, & si non detur ei, valde scandalizabitur, tum ad vitandum scandalum debet sacerdos ei dare simplicem hostiam. *Iubet Altisidiorensis vitare scandalum & fieri sacrilegium, simplici & non consecratæ hostiæ opinionem sacramentalis conciliando. Quam fraudem cum* Hugone de Sancto Victore *committere voluerunt, ut refert* Gulielmus Durandus *lib. 4. div. offic. Rat. c. 42. p. 315.* cum Hugo de S. Victore doctor excellentissimus ultima infirmitate laboraret, corpus Domini instanter petiit sibi dari, cumq; nullum cibum retinere posset, fratres ejus turba-

Hugoni de S. Victore impositū.

turbationem timentes ſimplicem ſibi hoſtiam attulerunt : quod
ille per ſpiritum agnoſcens ait, Miſereatur veſtri Deus fratres, cur
me deludere vultis? Iſte enim, quem portatis, Dominus meus non
eſt. † Quartò, IN VENTREM DEIECTIO. Statuunt enim magni do- §. 54.
ctores Pontificij corpus Chriſti eò deferri, quocunq; ſpecies deferuntur, ut
in ventrem canis, vel ſuis, vel in alia loca immunda. In qua ſententia eſt
Alexander Halenſis Anglus, vir Bellarmino de Script. Eccleſiaſt. p. 358.
teſte, doctiſsimus, egregius & in ſcriptis copioſiſsimus, in ſummæ (quam
Alexander IV. Pontifex diplomate & ſeptuaginta virorum Eccleſiaſti-
corum ſyngraphis comprobavit) 4. part. q. 53. membro 2. Thom. de A-
quino, part. 3. ſumm. q. 80. art. 3. De quo quid & quantum ſentiant
Pontificij, alias diximus, Stephanus Brulifer Mactovienſis Britan-
nus, Doctor Pariſ. l 4. ſent. q. 5. diſt. 13. Marſilius de Inguen primus
Gymnaſii Heidelbergenſis fundator , tum cum unius labij , hoc eſt,
Catholica univerſa eſſet Germania: ut ait Poſſevinus in Appar. T. 2. p.
23. lib 4. ſent. q. 6 art. 4. Ioh. Burgenſis Anglus, Monachus Clunia-
cenſis de cuſtod. Evchar. c. 6. Durandus de S. Portiano l. 4. ſent. diſt. 9.
q. 3. Franc. Mayronius, Scoti diſcipulus, doctor illuminatus, teſte
Poſſevino l. 4. diſt. 3. q. 1. Petrus Paludanus, Sixto Senenſi & Ant. Poſſe-
vino teſte, Juris Conſultiſsimus & ſatis inter Theologos celebris, Patriar-
cha Conſtantinopolitanus, vel ut alij volunt, Hieroſolymitanus, vitæ pro-
batiſsimæ, l. 4. ſent. diſt. 9. q. 1. Antoninus Archiep. Florentinus à
Clemente VII. in numerum Sanctorum relatus, vir ſanctitate & doctri-
na inſignis, ut ait Poſſev. T. 1. Appar. ſac. p. 89. Joh. Gerſon dictus Car-
lerius Academiæ Pariſinæ Cancellarius, Caroli VI. ad Conc. Cōſt.
Legatus, vir, ut Poſſev. l. 1. App. p. 881. loquitur, ingentis doctrinæ &
pietatis in Comp. Theol. part. 2. c. 27. Gabriel Biel in Comm. ad l. ſent.
(quæ Poſſev p. 610. pererudita vocat) 4. diſt. 12. Richardus Mediavil-
lanus Anglus Minorita, vir Senenſi & Poſſev. p. 325. in divinis ſcriptu-
ris, in Iure Pontificio, & in doctrinis ſecularibus apprimè eruditus, 4. §. 55.
ſent. diſt. 9. q. 1. † De his tantis ipſorum judicio viris forſan non aſſeret
Thomas Hardingus quod in aſſertione contra Ivellum doctiſs. Angliæ Sa-
risburienſem Epiſcopum art. 22. aſſerit ; Doctores Pontificios inge-
niorum concertatione fortè nimis curioſos vel nimis etiam con-
fidentes in hoc fuiſſe & modum tranſiviſſe, aut, quod probare in-
ſtituerunt, nimis cumulatè inſtituiſſe & effeciſſe, vel etiam igno-
rantia & partium ſtudio à ratione & opinione ea, quam Romana
tenet Eccleſia aberraviſſe. Nec de his etiam intellectum dubio procul
volet Gregor. de Val. quod l. 4. de Idololat. c. 15. & l. 5. c. 15. p. 111. ait: ul-

Thomæ Hardingi de ſuis Doctoribus teſtimonium.

Gregorij de Valētia Iudicium.

V trò

trò conceſſi, non nullos ex iis, qui ſcholaſticam Theologiam tractaverunt, feciſſe aliquando curioſius, longiuſque in quibuſdam progreſſos fuiſſe, quam attinebat, aut HORRIDIUS etiam & incómodius fuiſſe interdum locutos. *Quantus verò ex communi illa Scholaſticorum opinione animos pios & majeſtatis divinæ obſervantiores inceſſerit horror, quantaq; ſit hæc inquinatio ſanctiſsimi corporis Chriſti, ij intelligunt, qui cum pietate rationis ſanitatem non planè ejurarunt.*

§. 56. *Miſſæ ſacrificium ad incantamenta relatum.* † *Quintò*, INCANTATIO. *Cæſarius lib. 9. c. 12. & Diſcip. in Pr. Ex. 37. enumerant ſequentia.* Cum maligni quidam Albigenſes hæretici virtute Diabolorum ſuffulti ſigna facerent, quibus ſuas hæreſes roboraverunt, quia ſuper aquis ambulaverunt, nec ſubmerſi ſunt; cernens hoc quidam ſacerdos Catholicus, corpus Chriſti cum pixide ad flumen, ubi illi virtutes ſuas oſtendebant, portavit inq; audientia omnium dixit, Adjuro te Diabole per eum, quem manibus meis porto, ne hic exerceas virtutes & fantaſias. Sed hæreticis illis, ut prius, ſuper aquis ambulantibus ſacerdos turbatus corpus Chriſti in flumen jactavit. Mira Dei potentia. Mox enim, ubi ſacramentum tetigit elementum, hæretici ſtatim, ut plumbum, deſcendentes in profundum, ſubmerſi ſunt, pixis verò cum ſacramento ſtatim ab angelis ſublata eſt.

§. 57. *Horribile ſacrificulorũ Sueſſanorum facinus.* † *Abominabilius factum recenſet Iovianus Pontanus in hiſt. Neapolit. lib. 5. p. 584. & ex eo Iohann. Bodin. lib. 2. Dæmonianæ, c. 8. p. 216. Legimus enim ibi*, Gallis, Sueſſæ in Neapolitano regno, ab Hiſpano obſeſſis, cum ſiccitate æſtuque ferverent omnia & penuria aquæ dulcis Galli in ſummo diſcrimine eſſent, aliquot ſacerdotes Magos crucifixum nocte per vicos traxiſſe, innumeris convitiis & blaſphemiis proſcidiſſe atq; in mare projeciſſe. Deinde conſecratam hoſtiam aſino tradidiſſe eumque vivum ad templi portam inhumaſſe, tum poſt aliquot carmina & deteſtandas blaſphemias imbrem vehementiſſimum diluvioque penè ſimilem accidiſſe, itaque obſidionem ab Hiſpano ſolutam fuiſſe & vulgò fuiſſe dictum, flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo. Refert hoc etiam Martinus Delrio *diſq. Mag. l. 2. q. 11. p. 123.* & monet, ritus qui per abuſum & prælatorum negligentiam quaſdam in regiones irrepſerunt trahendi crucifixi & ſanctorum imagines ut S. Martini & S. Urbani ac aliorum in Germania & Aquitania ad impetranda commoda anni tempora, cõtra quos in Cantabria librum de ſuperſtition. Martinus de Arles edidit, videri initium accepiſſe à ſuperſtitione magica &c.

§. 58. *Euchari-* † *Horrendiſsimum autem eſt, quod Valerius Polydorus Patavinus Minorita,*

Theologiæ Doctor in Practica Exorcistarum, edit. Patav. 1587. p. 181. ait: Divina non desunt remedia, adjumentaque humana, pro Dæmonibus incubis & succubis pellendis, quæ ad novem principalia reducuntur. Primum est confessio, secundum est sacratissimæ Evcharistiæ communio diebus saltem dominicis vel etiam cujusque festivitatis celebrata. Tertium, Oratio: quartum, conjuratio: quintum, vexatio personæ benedictæ: sextum, excommunicatio & maledictio in spiritum lata: septimum, locorum permutatio. Octavum, radicum Tussilaginis in pulverem contritarum ad duas drachmas in vino sumtio: Nonum, Quindecim granorum nigrorum Pæoniæ fœminæ pulverisatorum in vino potio. *Nonne hæc horrenda est sanctißimæ Evcharistiæ inquinatio, si ad exorcismos nullo divinæ scripturæ testimonio firmatos & approbatos adhibeatur, si dæmonibus obsesso communicetur, si cum tußilaginis & pæoniæ radicibus ad pharmacum exorcisticum adhibeatur.* † *Sed audiamus & alium Exorcistam.* Zacharias ViceComes Ordinis SS. Barnabæ & Ambrosij ad nemus Mediolanense *in Complemento artis exorcisticæ, quod* Francisco Sfortiæ *Cardinali Anno 1600. in scripsit Mantuæ p. 771. part. 1. ait.* Mihi accidit, dum in Ecclesia majori dæmonem conjurarem, qui mulierem quandam Isabellam nomine affligebat, præsente Reverendissimo Dom. Joh. Bapt. de Benedictis Ophydami Civitatis Episcopo, astante simul clero & populo, in fine conjurationis ego præcipiens Dæmoni in nomine Jesu, ut in ungulam mortiferam digiti parvi sinistri pedis descenderet, ut ipsa fœmina paupercula liberè sua naturalia exercere posset. Respondit Dæmon, hoc non faciam, nisi benignè postulaveris. Ego his auditis in nomine Jesu, ille in superbia simul diu contendentes, sperabat nequissimus ille victoriam, Ego, qui revera satis fatigatus eram, cum horas duas, ut cederet, supra alias quinque pugnavissem, elevatis oculis ad sanct. sacramentum supra altare positum, Deo inspirante, tabernaculum, in quo sanctissima Evcharistia erat reposita, accepi, ponensq; supra Dæmoniacæ caput firma fide ac altâ voce aliquoties exclamavi, Misericordia signore. Tandem summa admiratione cessit & obedientiam præbuit. *Vbi in transcursu ex impio hoc Exorcista & hoc annotandum, quosdam exorcistas, qui libenter finem imposuissent operi exorcistico, deprecatos fuisse dæmones, ut cederent; qui deprecatione à sacerdotibus facta obstinatiores facti in nomine Jesu cedere noluerunt, unde ille ViceComes Evcharistiæ impositionem tandem didicit. Verè exorco exorcismorum hæc est scientia, neq; vno*

stia exorcismis adhibita.

§. 59.

tantum abundat dæmone, quæ tot inquinamenta sanctissimæ adspergit
§.60. *Eucharistiæ.* † *Ejusdem autem forsan obœdientiæ dæmon ille impositâ Eucharistia fuit, cujus alter, de quo refertur in precatiunculis Germanicis Sanctæ Brigittæ, Augustæ Vind. apud David Francken 1619. excusis. Apparuit dæmon Bernhardo; scire se verba Psalterij quædam, quæ si vera devotione quis precatus quotidie fuerit, non tantum non damnabitur, sed & longævus erit. Bernhardus, ut verba ista revelet dæmon, petit, Cum verò abnuisset, regerit Bernhardus velle se indies universum percurrere cum cum devotione Psalterium, atq; ita etiam verba illa ad Deum fundere. Hoc audito dæmon nutui Bernhardi paruit & ne nimium boni operetur Bernhardus, verba illa edisseruit. Quæ sunt,* O mitis Dom. Jesu Christe, illumina oculos meos, ne in morte obdormiã, ne inimicus meus dicat, se vicisse: *& quæ sunt similia ibi enumerata.*
§.61. † *Quod Herberus Ræstio suo responsi loco communicare posset, ad inane illud commentum de Luthero, ut Missam oppugnaret & repudiaret, à diabolo docto. Cum Bernhardus & fundere preces contra damnationẽ & mortem æternam ab eo didicerit.* Addat etiam Tannerum, qui parte. 2. Anat. Conf. Aug. demonstr. 9. §. 133. probaturus, ad sepulchrum Christi aliorumque sanctorum dæmones pelli & torqueri, sic scribit; *Si nobis non credimus, credamus saltem Diabolo & Angelis ejus, qui quotiescunq; ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & seriò dolent, crucifixisse, quem timeant.* Et Baronium, qui ad An. Christi. 713. §. 12. 13. & se 1 refert, Satanam ex puella, quam obsederat, fuisse locutum: *Ecce dico vobis, quia Maria & Paulus & Andreas obtulerunt istius mali Episcopi & Monachorum lacrymas ante Nazarenum, qui dedit potestatem Anastasio, ut veniat & ejiciat me in corpore isto in Calẽd. Nov.* & rursum confitebatur malus spiritus, se vehementissimè torqueri ab Anastasio, qui præsens esset. Iterum dixerat Dæmon; *ligatum me habet Anastasius, quia usq; in vesperum in me pœnas exercere vult. Acciderat autem, ut dens ille è capite S. Anastasij evulsus ad collum suspensus arreptitiæ amplius inveniri non posset, Nobis autẽ dicentibus ei, quid factũ est de dẽte illo, Dæmõ respondit, quãdo venit S. Anastasius, tũc ipse eduxit eũ de collo & posuit eũ in loco suo, ubi ante manebat. Et nos diximus ei; Et quãdo venit Anastasius? Dæmon dixit, quãdo accensa est cãdela à semetipsa, tunc ingressus est Anastasius & revocavit dentẽ in locum suũ, quærite in arca, ubi sunt reliquiæ ejus & cognoscetis. Tunc igitur accedentes ad arcã reliquiarũ eiusdẽ sancti, aperta eã, invenimus dẽtẽ intereas, ut prius fuerat, collocatũ.* Cõf. D. Nic. Hũnium de Apost. Rom. Eccl. pag. 91. & seqq. & Laur. Lælium contra Sartorium

pag. 95.& seqq. Dæmon concionatur contra vitia, quorum ipse incentor est, apud Suurium Tom.7.Hist. Sanctor.pag.474. *Sed ego horrenda illa in sacramento corporis dominici inquinamenta in medio relinquam, si prius & sordes atq; pericula (uti vocant) quæ sacerdotum negligentia creat huic sacrificio attigero. Enumerantur ea variè à varijs: nos è* Bernardo de Parétinis Minorita Tholosano *Parisijs edito Anno* 1531. *Lilij Missæ c.87. perstringemus. Scandalum committit* Sacerdos *& abrumpere cogitur nondum pertextam missæ suæ telam, si celebrās recoluerit, se aliquid circa mediam noctem comedisse: Si recordatus, se esse in peccato mortali, (non enim frequenter puro & pœnitenti corde accedunt) si recoluerit, se non dixisse verba consecrationis, si aquam pro vino senserit esse appositam, si non intermiscuerit aquam: si propter frigus calicem effuderit & quæ sunt alia innumera, quæ etiam ex crassa illa ignorantia sacrificulorum manant,* † *de qua* Joh. Aloysius Tuscanus Cameræ Apostolicæ Auditor ad Petrum Cardinalem Tirasonensem, *in præfatione ad Rat. Durandi:* Cum ergò fundamentum sacri cultus sit mens atque intentio nostra: profectò qui ignorat, quid agat, frustra cultui sacro se ingerit. Caret enim fundamento scilicet mente & intentione, quarum partes nequaquam versantur circa illa, quæ nescias. Quot hominum singulis diebus dominicam illam electam orationem, PATER NOSTER, ore annunciant, qui non animadvertunt, quia propè & suæ vocis judicio se condemnant? Quot hominum vestes & induméta sacerdotum induunt, qui cur ea tam multiplicia, tam varia inventa sunt, penitus ignorant? Quot SACERDOTUM annnis innumeris missam celebravere? Quot EPISCOPORUM annis innumeris consecravêre? Quot ARCHIEPISCOPORUM ætate diuturna pallio usi fuêre? Quot denique ANTISTITUM omnia, quæ pastoralis officii sunt, per longissima tempora ministravêre, à quibus si roges, qua ratione id fecerint, illicò mussabunt, nec habebunt, quid respondeant. *Quæ Auditoris Apostolicæ Cameræ de sacerdotibus, prælatis, Episcopis, Archiepiscopis, Antistitibus ignorantissimis testificatio non certè in laudem atq; gloriam eorum literis commissa eſt, sed & illam uberrimè præbet conjecturam, facilè eos potuisse admittere tale quid, quod avitis Ecclesiæ vetustioris sancitis repugnaret & simul ad contaminandum sanctum in Eucharistia sacrificium cederet.*

Scandala missæ negligentia sacrificiū parta.

§.62. *Ignorantia Cleri confessa.*

NB.

§.63. *Duodecimò, ex gloriæ in Christum è Missâ fluentis nullitate. Bellarm (& ex eo alij) l.1. de Miss. c.x. ita concludit.* Quartum argumentum sumitur ex antithesi contemtus & gloriæ Dei: quæ de-

ſcribitur hoc loco à Propheta. Dicit enim S. Malachias per Hebræos ſacerdotes contemtum ac deſpectum fuiſſe nomen Dei: ſed per oblationem gentilium glorificandū. Hebraici autem ſacerdotes Deum offendebant in publico & viſibili ſacrificio. Ergò gloria Dei apud gentes naſci debuit etiam ex publco & viſibili ſacrificio, alioqui major fuiſſet contemptus illatus nomini Dei in ſacrificiis Hebræorum, quam gloria in ſacrificio gentium: Ille enim fuiſſet contemtus interior & exterior, & privatus & publicus: hæc autem gloria eſſet ſolum privata & magna ex parte interior. † *Sed*

§. 64. *Argumēta à Gloria Dei, qualia Bellarminus?* *1. quid de his argumentis à gloria ſumtis judicandum ſit, ipſe Bellarminus indicat cap. 10. lib. 3. de Eucharistia: ubi meminit* Marcioniſtas *ex eo fundamento reſurrectionem oppugnaſſe, quia gloria cœleſtis ſtatus id requireret, ut reſurrectio carnis negetur:* Epicuræos *providentiam negaſſe Dei circa inferiora, nam gloriam Dei poſtulare, ne occupetur circa rerum inferiorum minutias:* Arianos *incarnationem eluſiſſe, quia gloria divinitatis poſtulet, ne homini conſocietur & in uterum fœminæ includatur.* Neſtorium *perſonalem unionem concuſſiſſe, quia gloria Dei non admittat, Deum dici trimeſtrem, quadrimeſtrem, bicubitum, tricubitum.* Ariani, *ut gloriam Patris defenderent, certè divinitatem Christi oppugnarunt. Plerumq; igitur hæretici ſub ſpecie gloriæ divinitatis errores ſuos obtruſerunt Eccleſiæ; ut docet* Tertullianus *de reſurrect. carn. Theodoret. lib. 4. hæret. fabular.* Evagrius *lib. 1. hiſtor. c. 2.* Iuſtin. *dial. cum Tryphon.* Minutius Felix *in Octav.* Hilarius *lib. 12. Trinit. Idem igitur de Bellarminiano argumento judicamus; probet prius eſſe miſſam ſubnixam divinarum ſcripturarum fulcimentis, antequam, quomodo ad gloriam Dei ea faciat, diſſerat: niſi enim hoc fiat, ignominia potius, quam gloria erit.* † *2. Miſſam nequaquam conducere ad gloriam Dei extendendum inter gentes, ſupra evicimus, cum diſſereremus, quo pacto majeſtatem ſacrificij Christi & myſteriorum reliquorum convellat. 3. Sit publico & viſibili ſacrificio Dei gloria imminuta, non ſequitur tamen in* N. T. *gloriam Dei ſacrificiorum ejusmodi iteratione propugnandam. Quia* N. T. *perfectioni abſolutiſſimæ repugnat, ejuſmodi viſibilium ſacrificiorum frequentia gloriam Dei augere. Cultus ejus, qui in prædicatione Evangelij clariſſima, ſacramentorumq; adminiſtratione puriſſima conſiſtit, longè anguſtior eſt, quam ut viſibilis ſacrificij additamentum requirat.* EMINENTER *enim omnem perfectionem, quæ in ſacrificijs fuit, V. T. in ſe continent:* EMINENTER *etiam omnem defectum, cujus intuitu gloria Dei dicitur imminuta, compenſat. Itaq; imperfectionis eſt, gloriam Dei ſacrificiorum viſibilium externo-*

§. 65.

ternorum continuatione servare. † 4. *Compensationis illius, qua gloria Dei in sacrificijs Iudaeorum imminuta restituenda est inter gentes suo nitori, fundamentum, non est in sacrificijs nostris, sed in sacrificij illius Optimi maximi, in ara crucis praestiti, uberrimo penu. Cui etiam spiritualia nostra sacrificia innixa fulcro & fundamento gratiora sunt & gloriosiora, quam Missae.* † 5. *Spiritualia sacrificia non esse publica & sensibus humanis prodita, ille asserit, qui in claustris monasticis & secessibus tenebrosis & hypocriticis antris caligans, de majestate genuini Christianorum cultus parum intelligit.* 6. *Fuit etiam in cruento sacrificio gloria Christi Dei à Iudaeis imminuta, etiā in incenso. Si ergo Bellarmini maxima alicujus esset ponderis, etiam sacrificia cruenta, etiam incensa hodiè essent in Ecclesiam introducenda.* §. 66. §. 67.

Decimotertiò, ab intoxicatione. Illud sacrificium absolutè mūdum esse nequit, eo modo, quem Bellarminus praescribit, quod veneni illinimento corrumpi potest. Atqui panis Evcharisticus (qui est unum sacrificium cum corpore Domini & ad rem quae sacrificatur substantialiter pertinet. Bellarm. lib. 1. de miss. cap. 27. propos. 1. & 3.) potest veneno illini & contaminari. Calix item Evcharisticus, qui sacrificij quoq; pars est infici eodem toxico potest. † *Id verò insignibus duobus exemplis Pontificis & Imperatoris probabo.* Pontifex VICTOR III. est. *De quo* Baptista Platina p. 182. *Victor III. Desiderius ante vocatus montis Cassini Abbas, Pontifex creatus statim Gregorij partes suscepit. Hanc ob rem crediderim quoq; eum Heinricum Regem hostem habuisse, cujus fraude veneno in calicem injecto, dum sacrificat, necatur. Vincentius tamen longè aliter sentit, cum dysenteria perijsse hominem dicat, quod à suspicione dati veneni nequaquam alienum est, inde, quod in dysenteriam veneno petiti interdum vertuntur, correptis & labefactatis intestinis. Nec Onuphrius Panvinius, qui aliàs aliquoties in Platinam pennam strinxit censoriam, in annotat. ad Vict. III. illud negare audet. Cōsentit etiam* Antoninus Archiepisc. Florētinus *in summ. Histor. tit. 16. c. 1. sect 12. p. 187.* & Martinus Polonus Cartulanus, *Papae Poenitentiarius & Archiepiscopus Consentinus, Possevin. in appar. T. 2. p. 82. non simplicissimus vir, ut contra fidem antiquitatis conjicit Bellarminus, sed magnae doctrinae singularisq; vitae; in vita Victoris.* † Imperator est HEINRICVS LVCEMBVRGICVS. *Amplissimè rem totam narrat* Jacobus Meyerus Baliolanus, *Brugensis Sacerdos lib. 7. Annal. Flandriae p. 72.* Ab Heinrico domiti propè erant ferroque fameq; Florentini, qui posteaquam armis se longè inferiores esse viderunt, ad scelera se converterunt. Subornant maleficum & nefarium Monachum:

§. 68.

§. 69. Victor III. veneno in Evcharistia necatus.

Possevini & Bellarmini judicia contraria.

§. 70. Heinricus VII. veneno in Evcharistia necatus.

nachum: Bernardus à monte Pessulano nomen erat. Hunc maximis promissis inducunt, ut Dominum, quocunque posset modo, toxico necaret. Erat quippe Heinrico à sacris confessionibus. Aderat jam dies, Deiparæ adscensioni sacer. Consuetudo erat, religioso principi, frequenter in re divina cũ sacerdote sacrosanctum sumere corpus Domini, quod quidem hîc, prô facinus, sceleratissimus ille Monachus unà cum veneno illi ministravit. Ferebatur maledictus iste monachus, sub ungue istud habuisse: ægrotare princeps mox cœpit, decimoq; post die obiit apud opidum Bonconventum, Pisis inde sepultus. Decessit nono Calend. Sept. qui dies Divo est sacer Bartholomæo. Inter consolabiles principum planctus Petrus Archiepiscopus Moguntinensis cum magno ejulatu exprimente indignationem casus tanti viri ingenuè est testatus; Intra quingentos annos nullius mortem principis tanto toti mundo fuisse detrimento. Sunt, qui ob honorem ordinis excusare importunissimum latronem & parricidam nituntur. Sed nemo unus homo, quamvis perditissimus totum ordinem denigrat. Cum in omni vitæ ordine nullâ non ætate inter triticum crescãt & zizania. Hæc enim non ab uno duntaxat, sed passim, ab omnibus constanter traduntur scriptoribus. Nec idem facinus potuit silire nostras per idem tempus, quisquis sit, versificator, qui graphicè satis per suos versiculos licet barbaros id depingit: audite posteri insignem Poëticam.

Iure dolet mundus, quod sit Iacobita secundus
Iudas, quod restat mors Cæsaris hoc manifestat.
Anno milleno, ter centeno duodeno
Vno non pleno privati luce veneno.

Johannes Beka, Canonicus Trajectensis, in rebus Hollandicis Ecclesiæque Trajectensis, nec non & Chronica quædam Flandriæ domestica, præter Florentinos reos mortis sanctissimi principis fuisse referunt Robertum Apuliæ seu Siciliæ Regem: Philippum Francorum, Ludovicum Navarræ RR. ac principem præterea Tarentinorum. Nec desunt, qui Clementem quoque adjiciunt Papam, qui totum se parare atque in Heinricum insurgere cœperat. Addit Beka, Monachos illius ordinis quadraginta millia florenorum à dictis jam principibus ad hoc accepisse, fratresq; amplius viginti, ut fatebatur ipse proditor, fuisse in conjuratione, qui omnes mecum, inquit, concurrunt, sed heu me miserum, cujus manus pessimè ad bravium pervenerunt. Factum est post aliquot annos,

annos, ut sceleſtiſſimus ille proditor autoribus Gibellinis principibus Florentiæ captus excoriaretur, morteq; turpiſſima damnaretur. Valerius Anſelinus, nefando, inquit, Domini Christi calice Bonconventi ſublatus, ipſe Piſis, Auguſta Genuæ & frater Cremonæ digna Mauſolæis pompa ſunt illati. *hæc Bajolanus.* † Chronicon Saxonicum vetuſtiſſimum MSS. in pergameno hæc habet: §. 71.
Hinrik de ſevede / greve to Lutzelenburch / wort ghecronet to Keyſere von dem ghebode deß Paves Clementis / deß feſten. Diſeme wort vorgheven an deme Sacramento deß altaris na vele guden werken / ſo man ſede. † *Idem affirmat* M. Albertus Argentinenſis *in Chronico, quod ſubfixit Auſtriæ ſuæ Cuſpinianus, pag. 685. Idem ait* Paulus Langius *Monachus Bozavvienſis in Chronico, (quod habet Piſtor. Tom. 1. ſcriptor. German. p. 826.) Idem refert* Compilatio Chronologica *à monacho aliquo, ut apparet, confecta, quæ etiam extat in ſcriptoribus Germ. à Piſtorio editis Tom. 1. p. 746. Idem enumerat* Antoninus Archiepiſcopus *Hiſtorial. part. 3. tit. 21. c. 2. f. 95.* Stumpfius *Chronolog. Helvet. l. 2. c. 31. in fin.* Raphael Volaterranus, *Poſſevino p. 313. vir doctus & diligens l. 23.* Guilielm. Eiſengrinius *Pontificius, Poſſevino Optimus, è quo ille multa in apparatum ſuum ſacrum tranſtulit in Chronolog. p. 249. ad annum* 1308. *ita loquitur;* Heinicus VII. Mediolano Romam profectus accepta imperii corona cum Florentinos gravi obſidione premeret, veneno in Evchariſtia dato, opera Monachi cujuſdam Prædicatorii è medio ſublatus eſt. *Idem aſſerit* Flavius Blondus *lib. 9. Rom. Inclin. decad. 2. part.* 347. Paulus Conſtantin. Phrygio *in Chron. ad Ann.* 1313. Albertus Cranzius *in Chronic. Saxon. lib. 9. c. 7. p. 234.* Johann. Baptiſta Egnatius *lib. 3. p. 261.* Jacob. Philipp. Bergomas *in Chron. p. 208. edit. Venetæ.* Johannes Naucler, *Tubing. Præpoſitus in Chronol. Anno cit. conſentit & ſpecialia multa enumerat.* Jacobus Wimpfelingus *Epit. hiſtor. quæ* eſt in Sim. Schardii *Collectaneis hiſtor. cap. 43. p. 380. ait:* Veneno intoxicatus moritur, novo inaudito ac vix credibili exemplo, quod niſi à Florentinis factum, nemo crederet: miſſo equidem veneno in Evchariſtia, *&c.* † Conrad. Vecerius *Secretarius Regius BENEVENTVM IMOLENSEM ſeculi ejus, rem in literas retuliſſe ait apud* Abrah. Bzovium *Tom. 14. Annal. Eccleſ. ad Anno* 1313. *ſect. 9 p. 210.* Cuſpinianus *in Heinrico VII. p. 457.* Solitus Imperator ſacram Evchariſtiam aliquando cottidiè, aliquando ſummis feſtis accipere. Ob quam rem feſtinam mortem incurrebat. Mane itaque poſt peracta ſolennia, cum de more ſacroſanctam Evchariſtiam in myſtico pane accipe- §. 72. §. 73.

ret, à fratre ordinis prædicatorum Bernardo nomine ilicò cœpit ægrotare. Ferebatur enim maledictus iste monachus sub unguibus venenum habuisse, quod & hostiam & calicem infecerat, moxq; dehinc abiit. Et, post quosdam excusatores adductos, Cuspinianus tandem subjicit; Qui verò Heinricum Romam secuti sunt, atque singula in formam Ephemeridis conscripserunt, hunc Monachum à Florentinis subornatum asserunt. Quibus communis annalium assertio accedit, autorem PTOLOMÆUM LUCENSEM efferens, qui per illa penè tempora floruit. *Consentit* Octavius de Strada à Rosberg, Civis Romanus, *Rudolfi II. Nobilis Aulicus & antiquarius ordinarius in tract. de Vitis* C*æs. p.* 455. † Abrah. Bzovius *Or-*

§. 74. *din. Prædicatorum varia consingit, quibus illud atrocissimum facinus amoliretur ad ann. Chr.* 1313. *dist.* 5. *Annal. Eccl. Tom.* 14. *Ita ait:* In pervigilio assumtionis D. Deiparentis unico symptomate febrili lecto affixus, cum ipso festo sacratiore hostiam divinam recepisset, & tum pro devotionis studio, tum pro servanda valetudinis ratione cubiculo continere se debuisset, qua erat alacritate, animiq; magnitudine, ne die dicta temerè abfuisse crederetur, consuetudinis quamvaletudinis volens habere rationem majorem, convivio non tantum assedit, verum etiam procerum causâ MORE GENTIS INTEMPERANTIUS se habuit, neque satis digesta commessatione atque temulentia TEMETO nimis GRAVIS die sequenti ca-

§. 75. stramovit. † *Ita Bzovius, ut à facinorosissimo Monacho scelus amoliretur, in gloriosissimum & optimum principem* intemperantiæ & temulentiæ *maculam ipso sacræ communionis die conspergit & id quidē absq; antiquitatis assensu. Imò quæcunq; adferuntur excusationes, non pugnant cum nostra historia, aut non consentiunt inter se. Bzovius* febrim & pleuritidem prætendit morti. *Venenum vel causa vel vehiculum ejusmodi causarum esse potuit. ait,* imposturam Bernardo fuisse à malignante monacho confictam. *Confictum id esse nequit, quod tot monumentis antiquitatis fulcitur. ait,* Ephemeridum Henrici VII. scriptores vel ab Heinrico Flandro Monachi impostoris fautore mutuasse, vel odio gentis Italæ hæc confinxisse, aut cōficta ex suspicione asseruisse, more Palatino eorum, qui calamum venalem (qualis est *Bzovianus, qui strenuè pro Cardinalitio galero sudavit hactenus & nescio quo suo fato nil profecit*) atra infamia innocentium solent intingere. *Ergóne boni omnes erunt malæ fidei, ut unus nequam defendatur?* Lucensis *in anthracem rejicit: non inficias tamen it, id quod de veneno asseveratum est.* Vecerius *ait* ordinem fuisse innoxium

Bzovius ut nequā Monachū descendat Imperatorem lacessit.

noxium declaratum. *Aliud est esse innoxium, aliud declarari.* Heinricus Mussatus *in Cod. vaticano num. 2962. fol. 68.* ulceri è mersis in torrentem cruribus nato stranguriæ & plevrisi *adscribit : sed non tollunt hæc suspicionem veneni: verum augent.* Trittenheimius *nihil aliud reponit, quam quod putat confictum. Sed suæ illius dubitationis nullum habet fundamentum.* Vecerius, *ait*, Carthusianos Lucemburgenses Heinricum agnoscere monasterii sui fundatorem, nec fieri potuisse, ut tam ingrati in benefactorem fuissent. *Quasi hoc novum sit apud monachos. Illi certè in principio à principibus nimis calidè fovebantur; quos tamen postea ejicere è suis sedibus tentarunt. Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem. Romanus Episcopus tandiu Romani Imperatoris fuit adulator, donec eum Romá excluderet, subditum se professus, donec dominaretur.* † *Dum hæc scribimus, venit ad manus Chronologica compilatio de Generalibus & Illustribus viris ordinis Prædicatorum Venetiis apud Lazarum de Soardis excusa Anno 1504. In illa judicabam fore luculentiora pro facinore hoc diluendo argumenta. Sed nil nisi anilia deliramenta conspexi. Conatus p. 151. compilator respondere fratri Minori, qui Anno Domini 1410. Lubeccensem Chronicam scripsit. Objicit verò ille, ob flagitium in Heinricum VII. commissum in pœnam datum esse ordini Prædicat. ut omnes fratres Prædicat. communicent manu sinistra. Ridiculas autem hic alias quatuor confingit rationes atq; ita se egregiè confudisse Mineritam putat. Prima ratio est.* Per levam vita præsens significatur: cum ergò fratres Prædicatores cõmunicant cum sinistra, volunt, quod per virtutem sacraméti de præsenti miseria trásferuntur ad gaudia sempiterna. *II. ratio*: quia omnes nos puta gentiles, ex quibus cõstituitur Ecclesia, fuimus filii iræ, & per consequens per sinistram designati, filii verò Israel fuerunt filii dilecti & filii dextræ: sed vice mutata translatum est regnum ad eos, qui fuerunt filii sinistræ. Nobis igitur filiis quondam iræ, nunc dilectionis, sacramentum, in quo est virtus regni, datum est SOLUM; Judæis autem NUNQUAM, ad quod significandum communicant cum sinistra. *III. ratio*, ut recordentur passionis dominicæ in statu humilitatis tanquã sinistra Christi parte factæ. *IV.* quia sigillum ordinis prædicatorum est crucifixus. *Putant forsan fratres Prædicatores se adumbratos per latronem ad sinistram crucis Christi suspensum. Leonardus de Vtino in quadragesimali serm. 42. part. 2. quintam adjungit, eamq; omninò acutissimam scilicet; Propterea, ait, nos fratres prædicatores communicamus cum manu sinistra, quod in ea parte est cor, & quod manipulus, qui designat*

§. 76.

Fratres Prædicatores cur sinistra cõmunicẽt?

NB.

NB.

Leonardus Vtinensis.

signat in dissolubilem colligationem cordis nostri cum Iesu Christo, ponitur in manu sinistra ob ferventem & cordialem charitatem nostri ad Christum: præterea uxor in signum adhuc illibatæ fidei & cordialis amoris gestat annulum in manu sinistra, & magni principes insignia sua deferunt ex parte sinistra: milites insigne suum aureum ferunt in latere sinistro. Ad abolenda ergò peccata quæ regnant in corde nostro medicina supponenda est cordi. Hæc ille: & nos de intoxicatione sufficienter.

§. 77. *Decimoquartò; Ex loci paralleli consideratione.* Bellarmini *lib. 1. de Missa c. XI. verba sunt:* Argumentum quintum duci potest ex cap. 4. Evangelii secundum Johannem, ubi Dominus ipse vaticinium Malachiæ, de quo satis jam disseruimus, explicare videtur, cum sic ait, *venit hora, quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paulò post: *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate*, post. Adde, quod Theodoretus & Rupertus in Commentar. Malachiæ hunc locum Johannis velut omninò similem loco Malachiæ explicant, quod etiam ante eos asseruit Euseb. lib. 1. demonstr. Evang. c. 6. *Vnde Bellarminus cap. cit. ita explicat*; Verba; veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate; hunc sensum faciunt: veri adoratores, id est, qui Deum legitimè colunt; id est, Christiani, adorabunt Patrem, id est, Deo sacrificabunt, in spiritu & veritate, id est, sacrificio spirituali & vero, non carnali & typico, ut Judæi faciebant: Opponitur enim spiritus carni, & veritas figuræ. Erant enim sacrificia Judaica carnalia, quia in mactatione carnis & sanguinis effusione consistebant & simul typi & umbræ futurorum. Et Eucharistia est sacrificium spirituale, quia

Locus Johan. 4. expensus.

Mira explicatio Bellarmini.

§. 78. per Spiritum sanctum & verbo consecrationis efficitur. † *Hactenus Bellarminus. Si itaq; verba Iohannis non sunt de sacrificio publico, visibili, externo explicanda, nec verba Malachiæ de eodem explicari poterunt. Debet enim inter vaticinium Malachiæ & testimonium Iohannis esse consensus: Cum diligens collatio ostendit, Salvatorem ad Malachiam respicere, cum cultum sanctum certo loco adstrictum cum V. T. periodo finiendum esse insinuat, N. Testamenti cultu ad omnes nationes & gentes diffuso, quæ sine ceremoniis Leviticis & corporalibus sacrificiis sint Deum laudaturæ. N. Testamenti cultus autem describitur more Prophetico verbis V. Testamenti. Non igitur ex verbis Propheticis, sed ex consuetudine loquendi & indole N. T. de h. l. judicandum. At verò Pontificij plurimi locum illum Iohannis non accommodant ad sacrificium Missæ, inter quos vel præcipuus est Sebastianus Barradas, Lusitanus Iesuita*

Sebastiani Barra-

suita iu Concord. Evang. Tom. 2. lib. 4. cap. 10. distinct. 21. & s. p. 233. Adorare in spiritu & veritate idem potest significare, videlicet adorare Deum remotis abrogatisque figuris & typis quibus Judæi utebantur. Eritque sensus. Venit tempus, cum veri adoratores adorabunt Deum in spiritu, ex animo & corde, absque carnalibus sacrificiis Iudæorum & Samaritanorum, & in veritate, hoc est, absque umbris & figuris Mosaicæ legis. Sic exponit D. Thomas in Joann. Veri, inquit, adoratores adorabunt in spiritu, hoc est, non in ceremoniis carnalibus & in veritate, hoc est, non in figurâ, &c. D. Chrysostom. Cum Iudæi & Samaritani anima contemta, munditiæ corporis plurimum studerent, non ablutione ait Dominus & ornatu corporis, sed incorporea nostri parte Deum adorandum. Quamobrem non pecora, non vitulos, sed de totum Deo offeras sacrificium. Sic viventem hostiam exhibebis. Immediatè enim adorare oportet. Nam quæ superiori tempore figura erant, circumcisio, holocausta, sacrificia, nō sunt amplius, sed omnia veritas. D. Cyrillus in h. l. Præsens adventus sui tempus significat Christus, in quo figuras in veritatem & umbram in cultum spiritualem & placentem Deo patri vivendi normam per Evangelicam doctrinam transmutari insinuat. Item: Spiritalis adorator est Deo gratus, qui non forma & figuris Judaicis ad pietatem obumbratur, sed Evangelica virtute refulgens recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem. Theophylactus: fortassis, inquit, quia Judaica lex secundum literam intellecta figura erat & umbra, quod dicitur in spiritu opponitur literæ, non enim lex literæ à nobis observatur sed lex spiritus. Et quod dicitur in veritate, opponitur umbræ & figuræ. Aliter diversa potest esse significatio spiritus & veritatis, ita ut in spiritu adorare, significet adorare ex animo & corde, absque corporalibus Iudæorum Samaritanorumque sacrificiis. Adorare autem in veritate sit adorare cum vera Dei cognitione, qua Samaritanos caruisse dixit Christus. Vnde Theophylactus: quia, inquit, spiritus est Deus, h. e. incorporeus; oportet ipsum adorare incorporaliter, h. e. in anima. Hoc enim significat in spiritu. Etenim anima est spiritus incorporeus. Quoniam autem multi videntur adorare in anima, non tamen rectam habent scientiam sicut hæretici, ideò addit, in veritate. Oportet enim & mente adorare Deum & sanam opinionem de ipso habere. Sic Theophylactus. Itaque sensus erit: Venit hora sive tempus, quo neque in monte Garizim, nec in templo Jerosolymitano ado-

dij Iesuitæ Hispani expl. docta.

no adorabitis patrem. Sed venit inquam hora, quando in toto orbe veri adoratores Christiani in spiritu, h.e. ex corde intimo, non in umbris & typis Judæorum, & in veritate, h.e. non in falsitate Samaritanorum, sed in vera Dei cognitione & fide adorabunt. Adoratio in spiritu umbras Judæorum: adoratio in veritate falsitatem pellit Samaritanorum. † *Quam explicationem approbavit etiam Thomas de Vio Cardin. Cajetan. ad h.l. & Maldonatus Ies. ibid. Adde, Christum loqui* Johannis 4. *de ea adoratione, quæ tum temporis fiebat, cum Samaritana cum Christo loqueretur. Ait enim Christus, venit hora & nunc est. Unde & illud elucescit, eum non loqui de sacrificiali, externa & publica adoratione. Quia sacrificialis talis publica & externa à Christo nondum fuit introducta. At qui sacrificium Missæ tum temporis nondum fuit. Non igitur sacrificium Missæ ibi intelligitur. Itaq; nec Malachias de ejusmodi vaticinatur sacrificio.*

§. 79. *Cajetan⁹ Maldonatus consentiunt Barradio, recedunt à Bellarmino.*

§. 80. *Quid Patres de Malachiæ testimonio?*

Decimoquintò. Ex sanctorum Patrum attestatione. Alfonsus Salmeron *Tom. 9. tract. 27. p. 198.* Christoph. à Castro *in Comm. ad h.l* Alfons. à Castro *l. 10. advers. hæreses. p. 288.* Bellarm. *l. 1. de Missa, c. 10. p. 323.* Jacob. Pamel. *Tom. 1. Ltiurg. pag. 9. & seq.* Busæus *Cath. Canis. p. 221. & alij varia Patrum jactitant testimonia, quibus Malachiæ vaticinium ad sacrificium Missæ adstringendum probent. sed revera omnia nostram sententiam stabiliunt & illam Iesuiticam subruunt: Nam I. Quidam Malachiæ locum de spirituali precum & orationis sacrificio explicant.* CLEMENS ROMANUS à Salmerone & Castro *in frontispicium ponitur. Omittitur autem à* Pamelio, Alfonso Castrio, Busæo, Bellarmino. *Magni alias fit à* Bellarm. *liber ejus de Constitut. Apostol. & propterea allegatur lib. 1. de Cler. c. 12. l. 2. de Monach. c. 26. l. 1. de purgat. c. 6. l. 3. de cult. sanct. c. 7. l. 4. de Euch. c. 4. & 10. l. 2. de Miß. c. 15. l. 2. de confirm. c. 3. laudatur etiam à* Stapletono *l. 2. defens. Eccles. Author. c. 11. & controv. 5. princip. fidei doctrinal. q. 2. art. 3.* Copo *dial. c. 3. 5.* Bristo *in duplic. adversus Fulcon. c. ult. &* Turriano *longißima præfatione & adnexa defensione, qui & conqueritur,* quosdam Catholicos absque judicio eosdem Constit. Apostol. libros reiicere; *cui &* Possevinus *in Apparatu sacro prolixe subscribit. Reprehenduntur tamen etiam ijdem libri à* Joh. Bovio, *sive ut* Possevinus *legit,* Bosio Ostunensi Episcopo *lib. 3. c. 18. & lib. 6. c. 14. & l. 5. c. 18.* Margarino Bigneo *T. 1. Bibl. vet. Pat.* Baronio *T. 1. Annal. ad ann. 32. n. 18. & 19. Tom. 2. ad Annum 102. n. 9.* Bellarmino *prolixè lib. de script. Eccles. p. 59. editio. n. Colon. qui* eosdem aut Suppositios aut corruptos testatur. *Si tamen vel maximè suam Con-*

Clemētis Romani Constitut. Apostol. cujus fidei?

Turrian. Iesuita iratus fuit.

stitutionibus

ſtitutionibus illis Apoſtolicis autoritatem concederemus,nihil locus Clementinus pro Miſſa ab Alfonſo Salmer. & Chr. Caſtrio adductus cauſæ Ieſuiticæ commodaret.Loquitur enim ibi Clemens de ſacrificio piarum precum.Verba ſunt lib.7.Conſt.Apoſt. c.31.p.104. Die reſurrectionis Domini,quem dominicum vocamus, convenite ſine ulla conventus intermiſſione, ad agendum gratias Deo & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit, cum liberavit nos ignorantia,errore,vinculis: ut ſic ſacrificium veſtrũ reprehenſione careat,ſitq́; Deo acceptum & gratum: (*ſic Turrianus*:*Bovius verò prior interpres*;ut facilè aſcendat in Deum; *quod ſacrificio corporis Chriſti in miſſa adverſatur:cum Chriſtus etiam ſecundum humanã naturã adſcenſu in Deum jam nõ egeat,*)qui de Eccleſia ſua Oecumenica dixit, in omni loco offeretur mihi thymiama & ſacrificiũ mundum, quia ego ſum Rex magnus, Dominus omnipotens & nomen meum admirabile in gentibus. *Non poteſt hîc loqui de miſſatico ſacrificio: illud enim abſolutè eſt irreprehenſibile & perpetuò acceptum: ergò non demum laborandum eſt, ut irreprehenſibile & acceptum ſit, ſecundum mentem Bellarmini. Vt igitur antecedentia docent,abſq; intermiſſione diebus Dominicis in Eccleſia conveniendum,ut gratum ſit ſacrificium. Quod nam verò illud? Gratiarum actio & beneficiorum eorum profeſſio, quibus nos Deus per Chriſtum affecit,cum liberavit nos ab ignorantia,errore,vinculis, quæ profeſſio piis abſoluta precibus ad majora invitabit Deum,cujus etiam capite 34. Clemens formulam præſcribit:in qua inter cætera precatur, & prædicat de Deo,*quod ipſi per omnes partes orbis habitabilis thymiama precationis & ſermonum adhibeatur, *ut Turrianus vertit*: vel in omni regione orbis terræ precum & orationis offeratur incenſum: *ut transfert Oſtunenſis Epiſcopus. Inepta eſt igitur Franc. Turriani ad loc. Clem. jactatio,qua ait*: Ecce Apoſtolica doctrina interpres Malachiæ Prophetæ de ſacrificio incruento ſanctæ Euchariſtiæ!

MARTIALIS *ab* Alfonſo Salmerone *Tom.9. tract.27. p.198.* & Chriſtoph.Caſtrio *ſecundo loco inter eos ponitur, qui vaticinium Malachiæ ad ſacrificium Miſſæ traducunt.Imò ut Tom.9. tract.30. p.231. Salmeron probet in Miſſa expiatricem & propitiatricem eſſe vim, Martialem inter veteres patres in principium collocat. Quod facit &* Pet.Buſæus *Ieſuit.in Collectan.Patrum ad Catech. Caniſ.* 231. *Ajunt eum* fuiſſe Apoſtolum, Epiſcopum Lemovicenſem, Martyrem, Margarin. de la Bigne *Tom.1. Biblioth. Patrum pag.* 49. unum §. 81.

Quanti Martialis Epiſtolæ faciendæ?

de

de Septuaginta discipulis. Sixtus Senensis *lib. 2. Biblioth.S.p.68.* Sanctum & Divum, Martin. Peres. *part. 3. de Tradit. Tit. de sacr. alt.* Ejus Epistolæ duæ una ad Burdegalenses, altera ad Tholosanos dicuntur Domino revelante nuper repertæ in sacrario Basilicæ S. Petri, in urbe Lemovica, ubi hactenus latuerant, defossæ in arca saxea sub terrâ, quæ præ nimia vetustate vix legi potuerũt, venerandæ antiquitatis pietatem redolentes. Sixtus Senens. *lib.2. Bibl.p.68.* Margar. Bign. *T.1. Bibl. Patr. p.62. Allegantur à* Bellarmino *pro monastica virginitate, lib.2. de Monach. c.* 27. à Guil. Lindano *lib. 3. Panopl. c.35. pro invocatione sanctorum*; à Garetio *in assert. Sacr. Miss.* Hardingo *Artic. 1. Cont. Ivell.* & Anglo Rhemensibus *annot. in Hebr. 10. 11. pro missa. Tanquam supposititiæ verò exploduntur* à Cardinal. Baron. *Tom. 1. Annal. ad Ann. 74. num. 15. & in Martyrol. 30. Iun.* Bellarm. Card. *lib. 1. de Christo c. 10. in Recogn. ad l. 2. de Monach. c. 27. p. 513. & lib. de scriptorib. Ecclesiast. p. 67.* ubi septem rationibus nullam facit earum autoritatem. Possevino *Tom 2. Appar. Sac. pag. 73. Illius tamen testimonium, quanquam pro se illud Iesuitæ advocant, nobis suffragatur. Postquam enim Martialis Epist. 1. cap. 3. p. 50. Tom. 1. Bibl. SS. Patr. in antecedentibus disseruisset, Sacerdotes Christianorum in fide Domini Iesu Christi esse perfectos, soli creatori servire, fide sincera & jubilatione confessionis hominibus Deum propitiabilem facere, subjungit,* Stephanus non Deus, sed amicus Dei fuit, qui pro testimonio ejus animum suam posuit, cujus sanguine ipsa mensa est decorata: quia suo sanguine Jesus Christus comprobatus est esse Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei majora perceperit. Sacrificium enim Deo creatori offertur in ara, non homini, non angelo: *(loquitur de sacrificio fidei, quod in publco Ecclesiæ cœtu pij Deo obtulerunt & offerunt, non sub speciebus panis & vini, sed in precibus humilimæ devotionis, qua pro peccatorum culpâ meriti Christi infinitam preciositatẽ Deo patri offenso offertur.)* Nec solum in ara sanctificata, sed ubique Deo offertur oblatio munda *(Missa verò non ubiq; extra aras sanctificatas offertur)* sicut testatus est, cujus corpus & sanguinem *(in Eucharistia hominibus accedentibus)* offerimus, dicentes; Spiritus est Deus & eos qui adorant eum *(non missæ theatricas gesticulationes exhibendo, sed Christum qui verbo & sacramentis offertur fide amplectendo)* in spiritu & veritate oportet adorare. Ipse enim corpus habens & immaculatum & sine peccato, quo conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, in ara crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per invidiam immolaverunt,

runt,

runt, putantes, se nomen ejus à terra abolere: nos causa nostræ salutis in ara sanctificata proponimus (*non missaticè sacrificando, sed Evangelicè prædicando, submissè commemorando, fide inspiciendo, sacramentaliter dispensando*) scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam & mortem effugiendam, &c. *Nihil igitur heic pro Missæ tutelâ. Neq; enim sola Missa est remedium, quo vita nobis præstatur & mors effugatur. Martialis ergo immolationem Iesu tribuit Iudæis, propositionem ad fruendum & salubriter communicandum dicit fieri in aris sanctificatis. Quæ est nostra sententia.* † CYPRIANVS à Salmerone, Bellarmino, Pamelio *& aliis, pro vaticiniÿ Malachiæ ad Missam accommodatione allegatur. Sed omninò hîc noster est Cyprianus Episcopus ille & Martyr gloriosissimus. Diffidisse conjicio huic testimonio ipsum Bellarminum, quod verba Cypriani omiserit. Verba autem ex lib.* 1. *adversus Iudæos c.*16.*p.*182.*ita habent:* Quod sacrificium vetus evacuaretur & novum celebraretur, apud Esaiam: *Quid mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum,* dicit Dominus. *Plenus sum. Holocausta & pinguamina agnorum & sanguinem taurorum & hircorum nolo.* Item in Ps. 49. *Non edam carnes taurorum aut sanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo sacrificium laudis & redde altißimo vota tua.* Itē in Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ & sperate in Dominum.* Item apud Malachiam. *Non est voluntas mihi circa vos, dicit Dominus & sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris. Quoniam à Solis ortu & usq; in occasum clarificatum est nomen meum apud gentes & in omni loco odores incensi offerent nomini meo & sacrificium mundum, quoniam magnum est nomen meum apud gentes.* Cui similis est lib.2.c.28. locus, *Quale verò sacrificium intelligat, per mundum, ipse partim explicat lib.* 3. *Epistola ad* Menesianum *p.*72.*dum inquit:* Celebratis modò atque offertis Deo sacrificium, & preciosum pariter & gloriosum & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum: cum scriptura divina loquatur & dicat, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Hoc vos sacrificium Deo offertis: hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Dei, & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibētes, &c. *partim autem è Psalmis allegata declarant loca, quæ* Rufinus Aquilejensis Presbyter *Tom.* 2. *Operum* à Laurentio Renato de la Barre *adornatorum in Ps.*39.*p.*85.86. 87. *& Ps.*49. *p.*115.116.117. ad spiritualia precum piarum sacrificia *accommodat.* † TERTVLLIANVS à Salmerone, Alfonso & Christoph. Castro, Busæo, Pamelio, *&c.*

§. 82. *Cypriani Magni testimoniū.*

§. 83. *Tertullia-*

mus de loco Malachia.

lio,*&c. allegatur pro vaticinio Malachiæ ad missam accommodando. Omninò nostrum sensum sequitur & de precibus explicat.* Tertullianus *lib.4. adversus Marcionem c.1.p.* 404. Esaias Christum ex genere David, secundum Mariæ censum, etiam in virga ex radice Jesse processurâ figuratè prædicat. Igitur si alias leges, aliosque sermones & novas testamentorum dispositiones à creatore dixit futuras,ut etiam ipsorum sacrificiorum alia officia potiora & quidem apud nationes destinarit,dicente Malachiâ; Non est voluntas mea in vobis,inquit Dominus,& sacrificia vestra non excipiã de manibus vestris:quoniam à solis ortu usque ad occasum glorificatum est nomen meum in nationibus: & in omni loco sacrificium nomini meo offertur,& sacrificium mundum, simplex oratio de cõscientia pura: necesse est omnis demutatio veniens ex innovatione diversitatem ineat,cum his, quorum fit, & contrarietatem ex diversitate. *Vbi falsissima est* Bellarmini *contorsio, qui, ut vim hujus loci effugeret,* Tertullianus,*inquit*, non exponit testimonium Malachiæ per orationem,ubi nominat sacrificium, sed ubi nominat incensum. *Nam in universum loco Malachiæ de sacrificio vaticinanti oratio simplex de conscientia pura subnexa est.* † *IRENÆVS quamquam ab omnibus adducatur, tanquam certissimus vaticinij Malachiæ ad Missam accommodator, attamen in omnibus illis locis noster est,ad preces & orationes sanctorum accommodat lib. 4. advers. hæres. Valent.c.33.p.235.*Quoniam ergò,*inquit*,nomen filii proprium patris est,& in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia, benè ait secundum utraque & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum. Incensa autem Johannes in Apocalypsi orationes esse ait sanctorum. *Vult probare Irenæus, rectè dici,glorificandum esse nomen Christi inter gentes,licet & DEI patris glorificetur nomen, tum quia nomen filij proprium patris est: tum quia Ecclesia in Deo per Christum offert: ergò non ipsum Christum offert.quid igitur? orationes,inquit Irenæus. Ais. orationes per incensum denotari,secundum Irenæum. Ita est; non excluditur tamen sacrificium purum. Nec sequitur,orationes sunt per incensum denotatæ: non igitur per sacrificium purum. Innuere vult Irenæus, sicut ad orationes incensum relatum est à Iohanne, ita ad easdem à nobis referri posse. Si enim incensum improprium,tamen purum; cur non & sacrificium purum,licet* κατὰ μεταφορὰν.Objicitur ex antecedente cap 32. l.4. Irenæi hic locus; ubi post propositum locum Malachiæ ait;*sed & suis discipulis Christus dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis,*

Contorsio Tertulliani à Bellarmino attentata.

§.84. *Irenæus quid de l. Malachiæ*

ris, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens, hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. At non sermocinatur Irenæus, quod corpus & sanguis Christi in cœna sint sacrificium. Loquitur enim Irenæus de oblatione, qua primitiæ ex creaturis Deo offeruntur, panis sc. & vinum ad S. cœnæ usum. Certè nec filius Dei creatura, nec corpus illius & sanguis creaturæ, sed filii Dei corpus & sanguis est. Cum ergo Irenæus primum ait, ex Domini consilio discipulis dato, primitias ex creaturis Deo offerendas grati animi ergò & deinde panem & calicem expresse ex creatura esse memorat, apertè indicat, se non de corporis & sanguinis oblatione Deo facienda, sed de pane & vino ad S. cœnæ usum pia liberalitate in Dei honorem offerendo loqui. Nec refert, quod dicat, *Ecclesiam novam N. Testamenti oblationem, quam ab Apostolis accepit, in universo mundo offerre Deo:* statim enim subjungit, *Ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in N.T. de quo in XII. Prophetis Malachias sic præsignificavit;* Non est mihi voluntas in vobis &c. Ubi Irenæus vocat *primitias suorum munerum*, quod supra vocavit *primitias ex suis creaturis.* Sed denique apertissimè ex c.34. demonstrari potest, Irenæum longissimè abesse ab eo sensu, qui sacrificium Missæ in loco Malachiæ cogitat. Nam primum ex initio capit. clarum est, illum agere de oblatione Ecclesiæ, de qua egerat sub finem c.32. Ita enim orditur: Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo &c. Hanc oblationem Adversarii volunt esse corporis Christi oblationem, eamque mundam à Malachia dici ex parte rei oblatæ, quod ejus mundities non possit humana malitia inquinari, ideoque non posse intelligi impropriè sacrificia bonorum operum, cum horum mundities pendeat à voluntate operantis. Atqui Irenæus illo cap. clarè agit de oblatione, quæ à simplicitate & innocentia operantis dependet & inde apud Deum pura reputatur: atque insuper sæpe de oblatione primitiarum creaturæ loquitur. *Igitur*, inquit, *Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei, non quod indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo, quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga Regem & honos & affectio ostenditur: quod in omni simplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre prædicavit dicens: Cum igitur offers munus tuum ad altare, & re-*

Irenæus vindicatur.

cordatus fueris, quemadmodum frater tuus habet aliquid adversum te, dimitte munus tuum ante altare & vade primum reconciliari fratri tuo & tunc reversus offer munus tuum. Offerre igitur oportet DEO primitias ejus creaturæ, sicut & Moses ait, non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui: ut in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus eum, qui est ab eo, percipiat honorem. Dicit ergo hic Irenæus *1.* Ecclesiæ oblationem purum sacrificium reputari apud Deum, & eum glorificari, qui offert, si acceptetur munus ejus. 2. in omni simplicitate & innocentia offerri munus debere, secundum Christi præceptum. 3. offerri oportere Deo primitias ejus creaturæ. 4. offerentem, in quibus gratum animum ostẽdit, in his ipsum quoque gratum sive acceptum Deo deputari & honorem accipere ab illo. Non ergò de oblatione corporis Christi loquitur. Hoc enim munus ex se sine ullo respectu ad offerentem absolutè mundissimum gratissimumque esse ostendunt adversarii: nec puram & meram ad humanos usus dicatam creaturam dicere audent. Paulò post verò iterum apertissimè monstrat Irenæus, se de bonorum oblatione ad sacros usus loqui. Cum enim dixisset, sacrificia in populo Iudaico fuisse & sacrificia in Ecclesia esse, & hanc differentiam constituisset, quod illic à servis, hic à liberis offerrentur, subjungit: *& propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas. Qui autem perceperunt liberalitatem, omnia quæ sunt ipsorum, ad Dominicos decernunt usus, hilariter & liberè dantes ea, quæ sunt minora, utpote majorem spem habentes vidua illa & paupere, hic totum victum suum mittente in gazophylacium.* Quis non videt, hic loqui Irenæum de liberalissimis bonorum (quæ ad victum & amictum, aliasque res huic vitæ necessarias Deus liberaliter nobis concessit) oblationibus in pios Ecclesiæ usus? Ulterius porrò cum sacrificii munditiem & acceptationem maximè ab interiori offerentis munditia multis ostendisset, ita concludit: *Igitur non sacrificia sanctificant hominem; non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia ejus, qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens, & præstat acceptare Deum, quasi ab amico. Peccator autem,* inquit, *qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, justè munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum & Paulus Philippensibus ait: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt in odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo. Oportet enim nos oblationem Deo facere & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo in sententia pura*

& fide

& fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quæ sunt ejus, creaturarum offerentes, & hanc oblationem Ecclesia sola puram offert creatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Iudæi autem non offerunt: manus enim eorum sanguine plenæ sunt. Non enim receperunt verbum, per quod offertur Deo. Rursus hic duo Irenæus dicit, quæ ad sacrificium suum referre non possunt adversarii. Primum ait, puram conscientiam offerentis sanctificare sacrificium & vitulum à peccatore oblatum esse quasi canem coram Deo: Ecclesiæ autem munus purum sacrificium apud Deum deputari, quoniam cum simplicitate offert. Adversarii autem dicunt sacrificium corporis Christi ex opere operato esse Deo gratissimum & nulla offerentis malitia posse inquinari, ut purum & acceptum Deo non sit. An audebunt dicere, corpus Christi à peccatore sacrificulo oblatum esse coram Deo canem? Secundo non solum exemplum de sacrificio eleemosynæ ex Ep. ad Philipp. adfert, sed etiam asserit, nos debere in fide, spe & dilectione primitias creaturarum offerre; imò à sola Ecclesia hanc oblationem puram offerri Creatori cum gratiarum actione ex creatura ejus, non autem à Iudæis, quoniam manus illorum sanguine plenæ sunt. Iterum ergò materiam oblationis facit communé aliquam, nostris usibus à Deo concessam creaturam. Christus autem, quem Pontificii in cœna sacra sacerdotem & hostiam faciunt, creatura talis non est. Cum igitur Irenæus loquatur apertè de oblatione panis & vini ad usum Eucharisticum, ipsique adversarii fateantur, panem & vinum non propriè sacrificari, falsum erit, Irenæum Malachiam de propriè dicto sacrificio interpretari. Et de quo nisi de spirituali & impropriè dicto sacrificio sub ejusdem capitis finem loquitur Irenæus? *Nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur: & ad templum, quemadmodum Iohannes in Apocalypsi ait, Et apertum est templum Dei & tabernaculum. Ecce enim, inquit, tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus.* Nihil igitur in Irenæo pro sua interpretatione Malachiana habent adversarii præsidii. † *EVSEBIVS PAMPHILIS Cæsareensis Episcopus allegatur ab iis quoq;, quos supra nominavi, ut firmetur præjudicium illud de missa à Malachia stabilita. Nihil autem temerarium magis, quam de Eusebio hoc asseverare. Certè ad preces devotasq; actiones accommodat lib. 1. Demonst. Evang. c. 6. p. 291. editionis, quam* Johann. Dadræus Doctor Parisinus *accuravit,* §. 85. *Quod Eusebius Cæsariensis?*

Verba sunt: Quibus rebus (*nempè de miserando Hierosolymarum excidio*) ita à Christo prædictis continuò nec longo post tempore Hierosolymis obsidione oppressis & ejus loci sanctificatio & ad eundem usum constructum altare & adoratio, quæ à Mose tradita fuit, sublata eversaque sunt. Eodemque tempore in omnes homines patefacta est, & emicuit ea , quæ ante Mosen viris sanctis à principio data fuerat, pietas & religio, & quæ per illam omnibus gentibus promissa fuerat benedictio, quæ à primo adscensus gradu & à primis illis adorationis Mosaicæ elementis, eos, qui ad se accedunt, ad meliorem perfectioremque vitam adducit. Itaque protinus, quando beatos illos Deoq; amicos viros non in aliquo certo determinatoque loco adorasse constat, neq; sub ullis signis, aut figuris, sed quomodo Salvator noster aut Dominus docet, in spiritu & veritate, eadem adorandi ratio per ejusdem Salvatoris nostri adventum insinuata est. *Et post quam locum Malachiæ adduxisset, pergit.* Quod enim in omni loco incensum & sacrificium dicit offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque definitè in hoc, aut illo loco id futurum: Sed in omni regione & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones summo Deo essent oblaturæ. *& post aliquot interjecta de admirabili Evangelij in omnem terram extensione, concludit* : Adorant igitur summum Deum omnes Barbari & Græci, non Hierosolymam currentes, neq; cruoribus aut sacrificiis placantes , sed domi suæ, apud se ipsos, in spiritu & veritate , incruento puro obsequio illum colentes. *& iterum post quædam interserta, p. 295. lit. B.* Mosis quidem lex in unum terræ certum atq; definitum locum, eos qui religionis propositum complexi essent , ex aliis omnibus locis currere jubebat. Lex Evang. verò condonata omnibus libertate, non in quodam terræ angulo, neq; in montibus, aut quibusdam manufactis templis Deum quærere , sed domi suæ unumquemque illum colere præcipit. Vetus lex sacrificiis & animalium cædibus thureque & igne & aliis quibusdam ejusdem generis purgationibus corporis summum Deum colere hortabatur. Ego autem sacra animæ tradens MENTE PURISSIMA ANIMOQUE NITIDISSIMO, cum modestia, virtutumque sectatrice vitâ rectisq; sententiis & pietatem præ se ferentibus divinitatem venerari impero, *&c. Et c.8. p.296. lit. D. de Sacerdotib. scribit.* Qui hunc modum amplexi sunt , quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumq;

ipſumq; duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò atq; animo in ipſo cœlo degentes, quaſi quidam cœlites reliquorum hominum vitam deſpiciunt; quippe qui pro universo genere ſupremo omnium Deo ſacrati ſunt, idq; non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore ullo, neq; fumo aut ignis devoratione conſumtionéve corporum, ſed rectis veræ pietatis ſententiis, adhæc operibus quoq; & verbis, quæ à virtute proficiſcuntur, quibus rebus divinitatem ipſam placantes ſuum & pro ſeipſis, & pro aliis, qui ejuſdem generis ſint, adminiſtrant ſacerdotium.† Theodoretus *ſæpius à Pontificiis hûc adductus nobis ſubſcribit. Ita enim in Malach. c.* 1. Paulus, *inquit*, his edoctus in omni loco jubet orare, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione. Et divinus Malachias planè nos ex his docet, eam pietatem, quam nunc profitemur, in omni loco obitum iri: nam circumſcriptio loci ad ſacra obeunda deleta eſt. Omnis locus accommodatus ad Dei cultum eſt exiſtimatus & victimarum ratione carentium cædes (id eſt, ſuſpiriorum calidiorum fuſio,) immaculatus agnus (id eſt, Chriſti omnia acquirentis indutio) & tanquam ſignum, virtutis odoratum, (id eſt, vita Chriſtiana, profeſſioni conſonans) incenſum exiſtit, nimirum in novo Teſtamento. §.86. *Theodoretus quid de h.l. ſtatuat?*

2. Quidam *de prædicatione Evangelii illum locum intelligunt.* Tertullianus *adverſus Iudæos c.* 5. *p.* 95. Cur itaque poſtea per Prophetas prædicat ſpiritus futurum, ut in omni terra & in omni loco offerantur ſacrificia Deo, ſicut ipſe per Malachiam, angelum unum ex duodecim Prophetis dicit, non accipiam ſacrificium de manibus veſtris, quoniam ab oriente ſole, uſque ad occidentem nomen meum clarificatum eſt in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur ſacrificia munda nomini meo? Indubitatè, quod in omni terra exire habebat prædicatio Apoſtolorum.† Hieronymus *in Malach. c.* 1. Ad ſacerdotes Judæorum ſermo fit Domini, qui offerunt cæcum & claudum & languidum, ad immolandum, ut ſciant, carnalibus victimis ſpirituales victimas ſucceſſuras. Et nequaquam taurorum hircorumque ſanguinem, ſed thymiama, hoc eſt, ſanctorum orationes Domino offerendas, & non in una orbis provincia Iudæa, nec in una Judææ urbe Hieruſalem, ſed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam ut à populo Iſrael, ſed mundã, ut in ceremoniis Chriſtianorũ hæc ille. Quod autẽ per ceremonias Chriſtianorum, prædicationem Evangelii propriè intellexerit, ex ſequen- §.87. *Tertullianus.* §.88. *Hieronymus.*

seqnentibus claret. *Ab ortu enim solis, usq; ad occasum magnum est nomen Domini in gentibus*, dicente Salvatore, *Pater manifestavi nomen tuum hominibus. Et in Esaiæ c.52. In omnem enim terram exivit sonus eorum & in terminos orbis verba eorum, & in omni loco Deo offertur incensum & hostia munda*, quando propheticus sermo impletus est. *Recordabuntur & redibunt ad Dominum omnes fines terræ & adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium. confer Rom.* 10.
§. 89. *Chrysostomus.* *v.*18.† Chrysostomus *Hom.16.ex variis in Matth.locis ex vaticinio hoc prophetico per orbem terrarum* futuram prædicationem Evangelii & vocationem gentium elicit. Idem in serm.95.super Psal. Malachiæ quidem verba interpretatur de mensa mystica & incruenta hostia: loqui verò illum de hostia corporis Christi, aut certè illam propriè sacrificium dici, ex illo Chrysostomi sermone minimè probari potest. Quin ipse statim subjicit spiritualem thymiamatis interpretationem. *Thymiama verò purum appellat, sacras preces, quæ post hostiam offeruntur: hic enim suffitus Deum refocillat, non is, qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur.* Dirigatur igitur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo. Cum igitur Malachias non de proprio incenso, Chrysostomo interprete, locutus sit, quomodo probabitur, de propriè dicta hostia Sacræ mensæ Prophetam à Chrysostomo exponi? Ex isto ipso verò sermone non difficulter ostenditur, à Chrysostomo solum crucis sacrificium verum ac propriè dictum, mensæ autem Dominicæ mysterium, non propriè, sed sola quadam similitudine veri sacrificij in cruce semel peracti sacrificium censeri. Primum itaque in sermone citato habentur ista verba, quæ adversariis favere specietenus videri possunt: *Est igitur hostia pura prima quidem mystica mensa, cœleste summeq; venerandum sacrificium.* Mox subjungitur. *Erit autem in nobis varia sacrificiorum differentia.* Hinc cum dixisset, legem in V. Testamento multas habuisse hostias & omnino magnum ac modo carentem numerum sacrificiorum, subdit: *Quæ omnia* (sacrificia scil.) *nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam.* Quodnam verò istud unũ sacrificium, una & vera hostia? Certè crucis, non cœnæ. Nam aliàs aut crucis hostia vera hostia non esset, aut non una vera hostia sive sacrificium, sed duo vera sacrificia, duæ veræ hostiæ forent, quod Chrysostomi dicto repugnat. Et præterea verba ista de crucis sacrificio protulisse, hostiam verò mensæ mysticæ inter spiritualia sacrificia retulisse, ex seqnentibus his illius verbis liquet.

Habemus

Habemus autem, inquit, & nos in nobis ipsis varias immolationes, non quæ juxta legem incedunt, sed quæ decent Evangelicam gratiam. Visne has cognoscere victimas, quas habet Ecclesia, cum sine sanguine, sine fumo, sine altari, cæterisque ceremoniis munus Evangelicum sursum adscendit ad Deum, quodque sit sacrificium mundum & immaculatum. Audito sanctam scripturam, tibi palã exponentẽ hanc differentiam ac varietatem. Hæc ille. Loqui his verbis Chrysost. de victimis impropriè dictis & spiritualibus, inde apertum est, quod cum dixisset, unam veram hostiam in nova lege esse, subjunxerit statim, *habemus autem & nos in nobis varias immolationes*, profectò non verè ac propriè dictas; aliàs falsò prius dixisset, unam esse veram hostiam. Inter illas porrò spirituales Ecclesiæ victimas, quas decem omninò enumerat, testimoniisque sacris confirmat, primo loco illam, quam ante primam hostiam puram dixerat, collocat. *Est igitur*, inquit, *primum sacrificium, quod ante dixi, spirituale illud ac mysticum donum, de quo Paulus ait: Imitatores estote Dei, tanquam filij dilecti & ambulate in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, tradiditq; seipsum pro nobis Deo sacrificium & oblationem in odorem suavitatis.* Conferantur prima verba illa; Est igitur hostia pura prima quidem, mystica mensa: cum istis hîc, *Est igitur primum sacrificium, spirituale ac mysticum donum*, atque cum hac adjectione, *quod ante dixi*: & quis neget clarissimè Chrysostomum inter varias immolationes spirituales impropriè dictas primo loco mysticam mensam recensere? Ex ipsa quoq; Pauli sententia, quam Chrysostomus ad hoc primum sacrificium ex Ep. ad Ephesios accommodat, liquidissimè colligitur, non nisi improprio quodam & mystico modo sacrã mensam ab illo sacrificium existimari. Nam cum verba illa Apost. tradidit semetipsum &c. omnium interpp. consensu propriè & secundum literam de vero crucis sacrificio loquantur, & verò hic ea Chrysostomus ad s. mensæ mysterium referat, planum profectò est, à Chrysostomo tantum sensu quodam mystico & spirituali, s. cœnam ob memoriam & repræsentationem mortis Christi, sacrificium dici. Hoc autem hic quoq; non indignum notatu est, Chrysostomum mundum sacrificium etiam de aliis impropriè dictis spiritualibus sacrificiis, ut martyrij, orationis, laudis, compunctionis, eleemosynæ, prædicationis interpretari: cũ tamen illi velint per mundam oblationem nihil, nisi mensam sacram, denotari posse. Cæterum sacrificium sive oblationem non univocè de

crucis ſacrificio & cœnæ oblatione, ſed analogicè tãtùm de cœna, propter relationẽ ſigni aut recordationis, propriè verò de ſacrificio in cruce facto juxta Chryſoſt. dici. clariſſimũ eſt ex hom. 17. ad Heb: quo loco, cum prolixè oſtendiſſet ex Apoſtoli doctrina, unicum à Chriſto ſacrificium, idque ſemel tantum, oblatum eſſe, hanc objectionem denique proponit: Quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus? Reſpondet verò, nos non abſolutè, ſed relativè offerre: Offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis ejus facientes. Explicat verò eſſe unam hoſtiam, quia ſemel, in cruce ſc. oblata eſt: hoc verò ſacrificium tantum exemplar illius eſſe: *& una eſt hoſtia*, inquit, *non multæ. Quomodo una eſt & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, oblata eſt in ſancta ſanctorum: hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, id ipſum ſemper offerimus.* Perſpicuè denique mẽtem ſuam aperit, cum ad extremum ita loquitur: *Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex, ſed id ipſum ſemper facimus: magis autem recordationem ſacrificij operamur.* Unde ita fas eſt argumentari. Qui magis ſacrificii recordationem quam ſacrificium operatur, is non propriè ſacrificium operatur: ſed ex mente Chryſoſtomi in ſ. cœna magis ſacrificij recordationem quam ſacrificium operamur. Ergò ſecundum Chryſoſtomum non propriè ſacrificium tum facimus. Non mirum igitur eſt, Jac. Kellerum Lojolitam Papat. Cathol. Tom. 2. art. 10. §. 2. de ſacrificio propitiatorio, cum locum hunc Chryſoſtomi prolixè recitaſſet, extrema iſta verba, *Magis autem ſacrificij recordationem operamur*, quia in rem ſuam illa non facere ſatis notaverat, vulpino prorſus aſtu omiſiſſe. Chryſoſtomo conjungunt Pontificij Auguſtinum, ut locum Malach. ad Euchariſticã miſſam torqueant. Recitant de C. D. l. XIIX, 35. *Hoc ſacrificiũ per ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cum à ſolis ortu uſq; ad occaſum Deo jam videamus offerre &c.* Rectè verò Euchariſtiam ſacrificium vocat Auguſtinus, an propriè ſit ſacrificium, nõ determinat. Imò in ſeqq. per doctrinam Evangelicam & converſionem multorum, impletam eſſe Malachiæ prophetiam ſatis indicat. Cum enim dixiſſet, non potuiſſe impleri, niſi per Chriſtum, ſubjicit hæc de Chriſto Malachiæ verba, eod. cap. paulò poſt poſita. Lex veritatis erat in anima ipſius, in pace dirigens ambulabit mecum, & multos convertet ab iniquitate, quoniam labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legẽ requirent in ore ejus, quoniam angelus Domini omnipotentis eſt. Sed audiamus Auguſtinum ſui ipſius interpretem, *l. 1. contra adverſarium leg. & Proph. c. 20. Ec-*

Auguſtinus explicatur.

cleſia

clesia immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locum vocavit terram à solis ortu usq; ad occasum. Hæc quippe Ecclesia est Israel secundum spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui serviebat in umbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum. De hujus enim domo non accipit vitulos, neq; de gregibus ejus hædos. Iste immolat Deo sacrificium laudis, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Et quanquam Augustinus paulo post dicat; *Norunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham. Etiam, qui sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum:* quæ verba valde jactitare solent pro suo sacrificio sacrificuli; tamen paulò infra rursus clarè se, adductis etiam in medium verbis his Malachiæ, explicat, quod non de propriè dicto sacrificio, sed tantum de sacrificio laudis & orationis loquatur, ut clarius pro nobis nil dici possit: *Alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel; Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit & dicit; quia ab ortu solis usq; ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Ecce quod est secundum ordinem Melchisedech. Incensum enim, quod est græcè thymiama, sicut exponit Iohannes in Apocal. sunt orationes sanctorum. Deus quippe, sicut canitur in Psalm. qui vocavit terram à solis ortu usq; ad occasum, cui terræ, id est, cui populo diffuso à solis ortu usq; ad occasum diceret, non accipiam de domo tua vitulos, immola Deo sacrificium laudis: ipse per hũc prophetam, quod certissimè futurum erat, jam velut factum prædicans ait, Ab ortu solis &c.* Nonne in istis verbis Augustinus totus à nobis contra Pontificios stat? Nam dicit in Eucharistia corpus Christi immolari? Nonne sæpissimè repetit, ab Ecclesia Dei immolari sacrificium laudis? Addit sacrificium laudis & glorificationem nominis Domini esse secundum ordinem Melchisedeci: redditque hanc rationem ex textu Malach. juxta LXX. & ex Apocal. de orationibus sanctorum. E. Augustinus Malach. de laudis sacrificio & incenso orationis interpretatur. Imo ordinem Melchisedech per illud explicat. Velut enim Melchisedech proferens panem & vinum glorificavit & laudavit Deum Gen. 14. v. 20. *Benedictus Deus &c.* quia non opus habebat propitiatorio & liberatorio aliquo sacrificio, & victoria impetrata sola Eucharistica vota & monumenta erant necessaria: ita in celebratione S. cœnæ

ſub ſymbolis panis & vini laus & gratiarum actio (quæ etiam pertinent ad commemorationem mortis dominicæ) pro victoriâ Satanæ & redemtione humani generis per Christi mortem obtenta Deo patri perſolvitur. Clarisſimum denique eſt ex collatione Pſ. 50. ab Auguſtino cum h. l. Malach. inſtituta, Auguſtinum eodem ſenſu verſ. 1. 2. 9. 14. ejuſdem Pſ. & vaticinium Malach. de ſpirituali ſacrificio laudis & gratiarum actionis (quod pro morte filij Dei in celebratione Euchariſtiæ Eccleſia maxime ſolenniter facere conſuevit) intelligere & interpretari. At in Pſ. v. 14. indueitur poſt reprobata Judaica ſacrificia, ſpirituale & impropriè dictum ſacrificium laudis ſcilicet & precum. E. etiam in Malach. quem Auguſtinus ex Pſ. illo illuſtrat: Hæc de Auguſtino. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 18. p. 313. ex eodem loco* rejectionem Judaiſmi & multiplicationem Eccleſiarum Chriſti per univerſum orbem, adeoque unius Catholicæ conſtitutionem prædicationem Evangelij factam arguit.

Cyrillus. Hieroſolymitanus.

§. 90. 3. Quidam *de gloriæ relatione, laudibus, hymnis vaticiniū explicant.* Tertullianus *lib. 3. adverſus Marcionem, c. 22. p. 399.* Chriſtus ad Patrem ait. *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ tibi hymnum dicam.* Quod enim in nomine & ſpiritu ipſius fieri hodie debebat, meritò à ſe futurum prædicabat. *& poſt,* ut pariter concurreret & Malachiæ prophetia. *Non eſt voluntas mea, dicit Dominus, & ſacrificia veſtra non accipiam, quoniam ab ortu ſolis uſq; in occaſum nomen meum glorificatum eſt in nationibus & in omni loco ſacrificium nomini meo offertur & ſacrificium mundum.* Gloriæ ſcilicet relatio & benedictio & laus & hymni. *Conſentit* Irenæus *lib. 4. adverſus Marcion. c. 33. 34.* Juſtinus Martyr *in dialogo cum Triphone Iudæo p. 190.* Si quis Scytha ſit aut Perſa, teneat autem Dei & Chriſti ejus rationem & ſempiterna juſta ſervet, circumciſus pulchra & utili (non manibus facta) circumciſione, & gratus amicuſque Deo fuerit, & donis ejus atque oblationibus ille gaudeat: proferam vobis, ô viri amici, quæ ipſe ſuo protulit ore, verba Dei, cum ad populum locutus eſt per Malachiam unum duodecim prophetarum. *& poſt adductū locum noſtrū, ait;* Glorificemus Deum unà congregatæ gentes, quod & nos viſitavit. Glorificemus eum, per regem gloriæ, per Dominum virtutum. Propenſa eſt bona voluntas ejus in ipſas quoque gentes, & libentiùs à nobis victimas accipit, quam à vobis. Hæc ille. Nec aliud ſentit, cū in eod. dial. ad Euchariſtiam hunc locum applicat. Hoc ipſo namq; non aliud, quā laudis

laudis & gratiarum actionis sacrificium vel agnoscit, vel docet. Nam cum dicit, de sacrificio, quod offertur in omni loco à vobis gentibus. 1. Eucharistiæ tum pane tum poculo, ibidem prædicit, dicens, nos clarificare nomen ejus, quod vos profanetis; satis per vocabulum Eucharistiæ explicat, de quo sacrificii genere loquatur, de Eucharistico sc. sive laudis & gratiarum actionis, non hilastico sive propitiationis. Nam & in antecedentibus soli passioni propitiationem, pani verò Eucharistico tantùm memoriam passionis & gratiarum actionis tribuit, dum ait, similam pro mundatis à lepra offerri solitam, figuratè significasse panem Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ purgâtis ab omni peccato animas hominum Jesus Christus Dominus noster tradidit posteris, ut interim gratias agamus Deo tum pro mundo propter hominē creato cum cæteris, quæ hoc continentur: tum pro redemtione, qua liberati sumus à peccatis, principatibus & potestatibus in universum debellatis juxta divinum consilium. † Athenagoras Athen. Christianus Philosophus, Cæterum, (*inquit in legatione pro Christianis p.10. in ed Steph. p.95.*) quoniam multi sunt, qui nos cū impietatis numen tollentis crimine arcessant, ne minimam quidem ipsi cognitionem Dei habent, homines planè rudes, neque vel de natura vel de Deo doctrina ulla imbuti, pietatem verò ex sacrificiorum ritibus metiuntur, & nos incusant, quod non eosdem, quos pleræque civitates, Deos colamus. rem ita considerate Imperatores, & primum cur sacra non faciamus. Opifex ille & pater universorum non sanguine eget, non nidore, non floribus aut suffimentis fragrantibus, cum ipse sit odor longè suavissimus, cum nulla re indigeat, nihil extra se desideret. Imò maximum hoc sacrificium ducit, si cognoscamus quis ille sit, tâtus, qui cœlos extendit & conglobavit, qui terram centri instar constabilivit, qui aquas in mare derivatas congessit, lucem à tenebris discrevit, ætherem stellis ornavit, & omne genus fruticis è terra produxit, qui animalia creavit & hominem finxit. Hoc cum cogitamus & animo complectimur, Deum opificem, conservantem, & gubernantem arte ac scientia res universas, manusque ad eum puras (hoc est sacrificium mundum) attollimus, quanam amplius hecatombe, quo magnificentiore sacrificio indiget? Quid ego sacrificia & holocausta curem, quibus non opus habet Deus? Deposcit ille sibi victimam incruentam & animum rationis compotem offerri ac ministrari. *Basilius M. ad c.1. Esa.* Non jam illud juge, aut victimæ

§.91. *Athenagoras.*

Basilius.

victimæ continuò repetitæ. Una enim hostia Christus & quæ pro ejus confessione celebratur, sanctorum mortificatio. Una adspersio, nempe lavacrum regenerationis. Una expiatio peccati, nimirum sanguis ille pro salute mundi effusus. Quo mihi, *ait Dominus*, multitudinem victimarum vestrarum? repudiata tali multitudine unam requirit hostiam, nimirum, ut quisque se conciliet & offerat Deo, seipsum sistens Deo in hostiam viventem, Deo placentem, per rationale obsequinm, immolans Deo sacrificium laudationis, &c. *hoc nimirum Basilio est sacrificium inter gentes omni*

§.92. *Eusebius Cæsareensis.* *loco frequens.* † Eusebius Cæsareensis Episcopus *lib.*1. *demonstrat. Evangel.c.*10.*p.*302. Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum & odorem afferens, & sacrosanctum sacrificium, sacrificamus novo more, secundum Novum Testamentum, hostiam mundam. At sacrificium Deo spiritus contritus dictus est. Cor igitur contritum & humiliatum Deus non despiciet, jamque etiam incendimus propheticum illum odorem in omni loco & offerimus ei benè olentem fructum omni virtute abundantis Theologiæ, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes. Quod sanè alius quoq; docet Propheta, qui ait: *fiat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*: Igitur & sacrificamus & incendimus, aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, secundum ea, quæ ab ipso tradita sunt, mysteria, celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososque hymnos & orationes sanctas illi offerentes: aliàs nos ipsos totos ei consecrantes, ejusq; Pontifici, ipsi utique verbo, corpore animoque dicantes. *hæc ille.*

Theodoretus. † Theodoretus *Sermone* 10. *de Curat Græcar. affect. p.*149. Quia, *inquit*, Judæis præcipit, ut templum, quod est Hierosolymis, frequẽtarent, necessariò addidit, fore, ut mendacibus Diis de medio sublatis unusquisque Deum verum adoret, ita ut non cogatur quidem templum accurrere, cum in suis urbibus, agris, pagis, cultum Deo exhibiturus sit. Unam enim Apostolorum linguam in cunctarum gentium linguas divisit, omnibusque detulit salutarem vocationem. Et post aliquot vaticinia, inter quæ & Malachianum nostrum, tandem colligit: comparate quæso, amici homines, verba hæc rebus ipsis, ac videte tum Judæorum contumaciam, tum gentium confessionem: videte, inquam, ubique terra ac mari spirituale sacrificium Domino Deo offerri, atque hymnis concinite eum, qui hæc tam manifestè prædixit. *Quo sensu* & Oecumenius *in Epist. ad Hebr.c.*13. Quoniam, *inquit*, Apostolus dixit hostias, ne existimarent

rent eum dicere de animalibus, seipsum iuterpretatus est; Θυσίας inquit, dico ἀναιμάκτους incruentas hostias, τὰς διὰ χειλέων quæ labiis offeruntur, consistentes in votis, hymnis, ac precibus confitentium ejus. † Petrus Galatinus à Christoph. Castrio *allegatur: sed noster est quoq; capite enim nono lib. 11. de Arcan. Cath. veritat. p. 587. citat* Rabbi Jehosua, *filium Levi, qui in lib.* Succa, *cap. Sota hamegale isto, sacrificia in locum V. T. à Novo Testamento surrogandaa it esse, conscientiam humilem, orationem devotam, pœnitentiam, mortificationem, virtutes, vitiorumq; destructionem, simplicitatem, mansuetudinem, castitatem, charitatem, &c. & pergit Galatinus: quod à gentibus, qui Messiam recepturi erant, & non à Iudæis, supra dicta spiritualia sacrificia sibi offerri vellet, ipsis Iudæis perfidis reprobatis, ex eo apertè ostenditur, quod Malach. c. 1. dicitur. quod etiam confirmat* Rabbi Abenezra *& Rabbi* Selomoh *& Rabbi* Jonathan *in expositione.* † *Licet & hi & patres quidam per sacrificium mundũ Eucharistiam iintelligant, apparet tamen ex supra deductis, non velle illos, Eucharistiam esse sacrificium propriè dictum, nec respicere ad substantiam corporis & sanguinis Christi cœlestem, vel ejus oblationem quandam externam: sed partim ad elementa externa, quod illa à mundano usu separata segregataq; ad divinum consecrentur, & gloriosæ corporis & sanguinis Christi distributioni adhibeantur: partim ad fidem Eucharistico epulo fruentium, quá internè pro ablatione oneris peccatorum & remissione in continuo illo & sanctissimo justificationis actu Christi satisfactionem Deo exhibent; partim ad orationes & hymnos, circa administrationem sanctissimi mysterij usitatos. Atq; hæc quidem de patrum testimoniis.*

Petrus Galatinus.

§. 93.

Percurramus nunc, quæ Jesuitæ Herberus & Simon Felix in Muscis morientibus p. 198. ut & Th. Henrici Luxemburgensis, Prof. in vicinia Friburg. An. 1625. anno post promulgatam Mysariam nostram in disp. de SS. Eucharistiæ qua sacramento quà sacrificio, itemque Cornel. à Lapid. Comm. h. l. opposuerunt. Dicunt *I. De fide esse, Hanc oblationem mundam esse sacrificium corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.* Resp. Si est de fide, ubi est definitum? quibus circumstantiis textus est designatum? quibus locis parallelis est confirmatum? qua traditione est corroboratum? quo concilio expositum? quà Patrum orthodoxorum autoritate est stabilitum? cur tot Patres aliter explicant? Imò cur nullus sic explicat, si penitius in ejus sententiam introspiciamus? Si est de fide, cur Arias Montanus à fide recessit, Regis Catholici Theologus, Consiliarius, Doctor, Operis Regij Biblici præfectus? cur non est ab Indice expur- §. 93.

expurgatorio iste locus notatus? Cur Franc. Vatablus, cur Isidorus Clarius Episcopus recedunt ab hoc sensu? si putat, in Concil. Trid. esse definitam hanc ejus loci expositionem sess. 22. c. 1. ubi hic locus pro missa allegatur. ℞. nos non obligari Concilio Trid. 2. Illa quæ in definitionis fidei probationem & confirmationem dicuntur, non cadere sub definitionem juxta Pontificios. Vide Tanner. T. 4. Th. sch. p. 869. & Tom. 3. p. 241. & Pentad. nostram disp. 4. θ. 43. & seqq. Dicunt 2. *Quia pro* oblatio *Hebr. est* Mincha, *quæ vox licet ex sui origine significet quodvis* munus, donum, oblationem, sacrificium, *tamen a Mose & Deo appropriata est uni sacrificio, ut sc. propriè significet* sacrificium farreum, *quod fiebat ex farina vel pane, quodq; describitur Lev. 2. Hoc autem* Mincha *sive sacrificium farreum, quod fiebat ex farina vel pane, erat sacrificium propriè dictum eratq; typus sacrificij Eucharistici, utrobiq; enim offertur farina & panis, sed in Eucharistiam transmutatus & transsubstantiatus in corpus Christi. Cum ergo Mincha typicum &* Judaicum *fuerit propriè dictum sacrificium, sequitur multò magis mincha verum & Christianum, puta Eucharisticum esse verum & propriè dictum sacrificium. Vnde LXX.* in omni loco incensum offertur mihi & sacrificium mundum. *Arabicus*, ab ortibus solis ad occasus ejus nomen meum glorificatum in gentibus, & afferunt ad hoc victimas & incensa nomini meo omni in loco. *Syrus*. In omni loco faciunt mihi incensa, & offerunt nomini meo oblationes mundas. *Tigurina*. In omni loco nomini meo incensum & mola pura offertur. *Mola enim pura sacrificium farreum, vel farina, qua victimæ immolandæ caput adspergebant: unde ab hac mola dictum est verbum* immolo. *Alludit Malachias ad sacrificium* juge, *quod quotidie tam mane, quam vespere offerebant, in quo victima erat agnus cum decima parte similæ conspersæ oleo, Ex. 29, 38. Agnus enim repræsentabat Christum, simila speciem panis, sub qua ipse in Eucharistia immolabatur.* Resp. multa sumi in hoc discursu, quæ nondum probata sunt: I. Mincha apud Malachiam in sensu appropriato & non generali & metaphorico sumi. Mincha, ut rectè dictum, interdum in genere significat omne donum etiam quod hominibus offertur; *Gen. 32, 13. 18. 20. c. 33, 10. & aliàs sæpissime.* etiam 2. notat cibum hospitibus appositum. *Iud. 6, 18.* sed & 3. quamvis oblationem Deo factam, *Gen. 4, 4. Lev. 23, 17. Num. 5, 15. 1. Sam. 2, 17. 29. 2. Reg. 8, 9. 10. 2. Paral.* 32, 23. Rursus 4. materiam sacrificij cibarii, *Neh.* 13, 5. Adhæc 5. singulare sacrificium, quod ab aliis sacrificiis distinguitur, fiebatque olim ex farre, oleo & thure,

thure, ut incenderetur coram Domino in odorem suavitatis, & sic nunquam ex carne factum. Denique 6. impropriè & metaphoricè dictum sacrificium *Ps.141,2. Es.66,20.* Unde jam probatur, Malachiam prætermissis omnibus sensibus aliis illum appropriatum sumsisse aut intendisse? Præsumtiones sunt in contrarium; 1. quia res novi Testamenti describit verbis ex operationibus V. T. productis; nihil autem frequentius est, quam in hoc casu à significatione appropriata recedere. 2. quia propheticus stylus est maximopere figuratus. 3. quia incensum metaphoricè intelligitur. 4. quia & mincha in sensu à Deo & Mose appropriato non sumitur. 5. quia de mincha aliquo in N.T. singulari præcisè non est Spiritus S. intentio, quod ab incenso & reliquis sacrificiis distingueretur. Loquitur enim Propheta & conqueritur in universum de inquinatione omnium sacrificiorum à depravatis Sacerdotibus in templo Hierosolymitano adornatorum. *Conf. v. 7. & 8.* His omnibus dicit in V. T. esse opponenda munda sacrificia. Itaque non fundat vaticinij emphasin præcisè in mincha aliquo peculiari, cujus scopus & vigor æquè fuisset substiturus, si etiam holocausti cæterarumque specierum juxta mincha & thymiama meminisset. 6. quia non sequitur; Deus conqueritur ob immunditiê mincha impuri propriè dicti, E. vaticinatus de mincha puro sibi præparando intelligit mincha propriè sic dictum, nisi prius constet, Deum in illa restauratione depravati cultus sui nolle duntaxat spiritualibus sacrificiis esse contentum, sed præter illud Catholicum & Pantocraticum crucis sacrificium etiam substantiale, visibile & externũ requisiturũ. Sumitur 2. quod Mincha farreum sit typus sacrificij Eucharistici. At hoc est κειμόμενον! Sumitur 3. Malachiam alludere ad sacrificium juge, quod quotidie offerebatur cum decima parte similæ oleo conspersæ, quod Christum repræsentabat in agno, in simila speciem panis eucharistiæ. Nam partim Mincha non est pars sacrificii jugis, sed peculiaris oblatio, Lev.2. descripta, uti supra etiam concessum est: partim sacrificium juge, quod potissimum in agno consistebat, cruentum erat sacrificium. At sacrificium missæ, ut fertur, non est partim cruentum, partim incruentum, sed totum incruentum. Dicunt 3. *Eucharisticum sacrificium innui voce munda, q.d. Propheta, Hoc Mincha in se erit munda & sancta victima, ita ut semper maneat munda, etiamsi offerentes eam sint immũdi. Talis est sola Eucharistia, in qua victima est ipse Christus mundissimus & sanctus sanctorum.* Resp. rursus sumi

nondum probata; sumitur 1. accipi h. l. mincha pro sacrificio immutabiliter & summè mundo. At hoc non est necessarium ad oppositionem Propheticam, non ad scopum, non ad reprehensionis evidentiam & efficaciam. Sumitur 2. Missam non posse contaminari ab immundo sacerdote. Id sanè nondum in schola Papali liquidum est. Missa enim puri devotique sacerdotis longè efficacior est & gratior Deo, quam sacerdotis concubinarii. Huc pertinet commonefactio Thomæ à Kempis l. 4. de Imit. Chr. c. 12. O quam magnum, inquit, & honorabile est sacerdotum officium, quibus datum est Dominum Majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare! O quam mundæ debent esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur autor puritatis. Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum & utile procedere debet verbum, qui tam sæpe suscipit Christi sacramentum. Oculi ejus simplices & pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ & in cœlum elevatæ, quæ creatorem cœli & terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur, sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Dicunt 4. *quia Malachias solis hic loquitur sacerdotibus Aaronicis, eorumq; mensis & victimis pollutis opponit sacerdotes, altare & victimam mundam legis novæ, E. loquitur de sacrificio non metaphorico & mystico, sed genuino & propriè dicto. Hæc enim tria sacerdos, altare & sacrificium sunt correlativa, ut ubi unum est, etiam cætera adesse necesse sit. Sacerdos enim est sacrificij, quod in altari offertur, sacerdos, & vicißim sacrificium in altari oblatum est sacerdotis in altari sacrificantis sacrificium Cum ergo hæc tria verè fuerint in veteri lege, quæ fuit typus legis novæ, sequitur in lege nova quoq; veros & proprios sacerdotes, altaria & sacrificia esse, præsertim, quia nulla unquam Ecclesia, aut religio, nulla unquam gens Deum vel idolum colens, fuit sine sacerdote & sacrificio. Natura enim dictat, Deum colendum esse latria & sacrificio.* Resp. non valet consequentia; Malachias loquitur de sacerdotibus propriè sic dictis: E. etiam in N. T. futurum cultum sacerdotibus propriè sic dictis constiturum affirmat. Est enim etiam spiritualis cultus, qui metaphoricè dicitur sacrificium, sacrificiis & sacerdotibus V. T. oppositus. *Os. 6, 6. Matth. 9, 13. 1. Pet. 2. Rom. 15.* Non sequitur, sacerdos, sacrificium & Altare sunt correlativa. E. si in uno oppositorum propriè sumantur, & de visibili altari, visibilique sacrificio sermo sit, etiam

etiam in altero oppoſitorum ita ſumi neceſſe eſt. Uti in Aaronico ſacerdotio tria iſta erant corporaliter relativa, ut ita N.T. ſpiritualiter correlata ſunt ſacerdos, altare, ſacrificium. Nec ſequitur, lex vetus habuit continuata ſacrificia, & ſibi mutuò ſucceſſores Sacerdotes, E. & lege nova iſta continentur. Quia iſtud ad legis veteris imperfectionem pertinet, quod copioſè epiſtola ad Hebr. docet. In nova lege unicus Sacerdos, non habens ſucceſſores aut vicarios, unico ſacrificio in diebus carnis oblato conſummavit omnia. Falſum eſt, naturam dictare latriam Dei per ſacrificia. *Vide ſupra cap.* 1. Revelatio in V.T. id docuit. Gentes habuerunt ex imitatione cultus Patriarchalis, aut ex informatione, ſed poſtea dilatatis & in ἐθελοθρησκείας prolapſis nationibus depravata. Ad lumen naturæ, ut ſic, examinata per ſacrificia latria videtur. *Vid. l. c.* Dicunt 5. *Idem convincit vox ſacrificatur, pro qua hebr. eſt* מקטר, *id eſt, adoletur, incenditur, ſuffumigatur, crematur. Oratio autem non incenditur, nec crematur, ſed victima propriè dicta. Vnde Müctar* [illegible] *em eſt, quod ſacrificatur, quia olim omne ſacrificium Deo cremabatur. Iam autem in eucharistia non crematur, ſed alio modo digniore Deo ſacrificatur.* Reſp. 1. Cur confunditur *incenſum* & *mincha*, ſi omninò propriè h. l. omnia ſunt accipienda? Multi Pontificii diſtinguunt. Notetur quod ſcribit Chriſtoph. à Caſtro h. l. Hebræa dictio כקטר Muktar poteſt eſſe Paul Hiphil, hoc eſt, participium præteriti, à verbo קטר, quod eſt *ſuffire, ſuffumigare*, aut *adolere*. & ita dicitur hic; in omni loco ſuffitur, vel adoletur. Et hoc modo vertit vulgatus, cum dixit, *ſacrificatur*; & David Kimchi & Abraham Magiſtri Hebræorum aſſerunt ita poſſe accipi. Unde vulgati verbum illud *ſacrificatur*, pro *thurificatur*, aut *ſuffitur & adoletur* ſumi debet. Verum iidem ipſi, ut nomen quoque accipiunt & omnes alii Interpretes, LXX. Hieronymus in Commentario, & Theodoretus, Pagninus, Tigurina, Vatablus, Robertus, Montanus, & recentiores alii interpretes. Nam vertunt, *in omni loco ſuffitus, ſuffimentum, thymiama, aut incenſum offertur nomini meo*: & hanc lectionem omnes antiqui Patres ſunt amplexati. Et videtur commodior lectio, ne duo verba idem ferè ſignificantia conjungantur ſine ulla conjunctione & dicatur, ut habeăt Hebræa, in omni loco ſacrificatur, offertur nomini meo: apertius dicitur, ſacrificium vel ſuffitus offertur. Hæc Caſtro, Cornelio & aliis cornua obvertens. Omninò autem מקטר hic nomen eſt. Exod. 30, 1. 2. Cur oratio non incen-

ditur? Nonne vocatur incensum sanctorum? Ap. 8, 3. nonne multi S. Patres, per incensum Malachiæ intelligunt preces sanctorũ? & nominatim allegant huc locum Apocalypticum dictum? Si corpus Christi potest incensum dici, quia adducitur, ut in præf. p. 1. diximus, cur non oratio magis, quia assurgit? Nonne preces sanctorum sunt accensæ igne potentissimo Spiritus Sancti, ut in eis etiam excitentur gemitus inenarrabiles? Rom. 8. Quam inepta est conclusio: Mucktar incensum non potest esse oratio sanctorum, quia hæc non crematur: sed potest bene esse Missa, quia etiam in hac non crematur. Dicis; *sed modo digniore offertur*; At, quid si & orationis oblatio esset dignior offerendi modus, quam quævis oblationis Aaronis ratio, aut cujusvis incensi apparatur? Dicunt 5. *sacrificium proprie dictum & eucharisticum ostendit τὸ omni in loco & in Gentibus. Nullum enim est sacrificium, quod ubivis gentium offeratur, nisi Eucharisticum sacrificium* Resp. tùm, nondum certum esse, intelligendum esse propriè dictum sacrificium, quod omni loco & in Gentibus offerendum sit, quia supra præsumtiones ostendimus, ob quas non liqueat, animum Prophetæ fuisse vaticinandi de propriè futuris sacrificiis: tum falsum esse, Missæ sacrificium omni loco & in Gentibus omnibus offerri: tum certum esse, preces & cætera ad interiorem cultum pertinentia longè amplius sese extendere, quam quidvis aliud. Interim supponitur, de quo κειμένον est, eucharisticum sacrificium. Quod quamvis, ut dixi, falsum sit, tamen non seqnitur, oblatio munda ubique futura est: E. quæcunque oblatio ubique futura est, est oblatio illa munda. Nam juxta Pontificios Antichristus sacrificium Missæ ablaturus & suum Deum Maozim culturus, habebit ubique expositam oblationē. Nec tamē illa est oblatio munda. Dicunt 6. *loqui Prophetam de novo quodam sacrificio, quod apud Iudæos non fuerit: prædicationem Meßiæ cæteraq; impropriè dicta sacrificia, ut orationem, eleemosynam &c. etiam apud Iudæos fuisse.* Resp. Non nova, sed munda oblatio promittitur. Sed & si novæ fieret mentio, non sequeretur, illam prorsus antea non fuisse. Nam etiam præceptum dilectionis à Christo Joh. 13, 34. novum dicitur, nec tamen inde consequens, nullum dilectionis mandatum in veteri lege fuisse. Novum sæpe non absolute sed comparatè dicitur. Fuit sanè prædicatio Messiæ inter Iudæos, sed umbris involuta & intra Judææ fines conclusa; nunc explicatior & clarior in omni loco, inter omnes gentes fulget. Iudæi maximam partem externo cultui, & illi negligenter, adhærebant,

hærebant, interiorem parvi pendebant: Ecclesia spiritualia illis externis Deo gratiora sacrificia sincerissimè passim offert, ut ex Irenæo & Chrysostomo supra intelleximus. Hoc novum est. Dicunt 7. *Cum oblatio Iudæorum dicatur polluta ob defectum rei oblatæ; ferebant enim cæcum, & claudum, & languidum; oblationem gentium consequenter ex opposito vocari mundam & debere vocari mundam ex parte rei oblatæ, ita ut ejus mundities non poßit malitia humana inquinari: adeoq; intelligi non posse impropria sacrificia bonorum operum, quorum mundities pendeat à voluntate imperantis.* Resp. Irenæus supra adductus, dixit ista spiritualia exercitia reputari pura ex misericordia Dei, quia è conscientia sincera, non hypocritica, ut Judæorum, processerunt. Dicis; *Cum ex Luth. sententia omnia bona opera immunda sint, adeoq; etiam ipsa Evangelij prædicatio; quomodo ergò eadem oblatio munda & immunda, atra & alba, calida & frigida est?* Resp. Opera bona nostra in sensu legis rigido, qua summam illam perfectionem & munditiem, quam lex requirit, non attingunt, aliquid imperfectionis & immunditiæ habere: in sensu tamen Evangelico, quà ex corde sincero, per Spiritus Sancti vim, ab homine per fidem justificato, atque per Christi sanguinem (quo reliquiæ adhærescentis peccati teguntur & non imputantur) mundato proficiscuntur munda esse ac dici. Hinc Es. *66, 20.* dicit, fideles de cunctis gentibus adducendos donum Domino. Quomodo? si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. In quem locum Casp. Sanctius ita scribit: Mundos sibique pretiosos & gratos fore dicit gentiles, quos Apostoli, Doctores & fideles Evangelicæ prædicationis ministri ad Ecclesiam adducent. Et Paulus appellat oblationem gentium acceptam & sanctificatam in Spiritu S. Rom. 15, 16. Dicit 8. *Bona opera & virtutes Christianæ, inter quas inprimis cognitio majestatis divinæ eminet, distinguuntur apud Malachiam à munda oblatione, tanquam causa ejus. Non igitur ipsa possunt esse sacrificia.* Resp. Virtus virtutem trudit, & operatio sancta operationem sanctam. Agnitio ergo divinæ majestatis & ipsa sacrificium est, quatenus in meditatione, exaltatione, veneratione optimi maximi Dei sese diffundit & est tamen aliorũ sacrificiorum matrix & excitatrix. Sed & Propheta non reddit causam sacrificiorum gentium impulsivam, sed indicat rationem, propter quam oblatio munda sit, quæ nomini divino in omni loco offertur. Per fidem enim, quæ est agnitio Dei fiducialis, purificantur corda Act. 15, 9. & dum accendit lucem fidei Spiritus San-

ctus, in cordibus Electorum, fiunt ipsi oblatio sanctificata, sive munda in Spiritu S. Dicunt 9. si Malachias maximè nomine sacrificii prædicationem Evangelii intellexisset, jam nos causa cecidisse. Non enim nostrum sed ipsorum Evangelium ab ortu solis usque ad occasum, h. e. in omni loco prædicari. Rx. de eo actum supra. Non enim necessarium est, ut omni tempore in omni loco prædicetur vera doctrina, satis est Apostolico & aliquot purioris Ecclesiæ proximis seculis eam omnia loca pervasisse; etsi deinde hæresum, qualis & Papistica secta est, vitio è multis locis exulaverit & etiamnum exulet. Certè etiam de sua doctrina Papistæ verè affirmare non possunt, illam nunc quoque in omni loco prædicari: nam in multis locis, unde Papismus proscriptus est, non prædicatur. Unde nec Missa Papistica intelligi à Malachia potest, quæ in omni loco non conficitur, ut diximus. Negant 10. Malachiæ vaticinium Apostolo Rom. 15, 16. ob oculos fuisse versatum, cum diceret, se esse λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, λειτουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Rx. nulla ratio negandi solida in promtu est, ob quam non debeat dici, esse parallelismũ inter locum Paulinum & Malachianum. Disputavit longa serie Paulus de rejectione Judæorum. Etiam Malachias eos gravissimis verbis objurgaverat. Paulus dicit, ad solis usque ortum & occasum dilatandam esse majestatis divinæ cognitionem. Idem etiam Malachias vult. Malachias dicit non defuturã in illa majestatis divinæ agnitione λειτουργίαν, sed mundam perfectamque futuram, sc. munditie, quæ antitypum decet. Paulus dicit, se & præcones Euangelii esse λειτουργοὺς λατυργοῦντας Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, adeoque effecisse prædicando Evangelium, ut oblatio gentium sancta, & à Spiritu S. sanctificata Deoque grata fieret. Quæ nam oblatio gentium? Ea, de qua toties in V. T. & etiam apud S. Malachiam dictũ est. Ipse etiam Chrysostomus in Ps. 95. locum Malachiæ quidem primum de mensa mystica eo, quem diximus, modo exponit, deinde per varias scripturas de aliis spiritualibus sacrificiis expositum, nono loco prædicationis meminit & locum Rom. 15, 16. adducit. Est & aliud, inquit, nonum sacrificium, quod peragitur per prædicationem Evangelii. Is est sermo doctrinæ, de quo Paulus Ap. ait; Administrantes Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritum S. Vides, quam declaravit etiam Evangelii prædicationem offerre Deo. Hæc ille; qui post. In

omni

omni loco altaria, in omni loco doctrina: Hæc prædicit Dominus per prophetam. Nam & Ecclesiasticam exponens sinceritatem & alterius populi ingratitudinem traducens ad illos loquitur; Non est mea voluntas in vobis. Itaque disertè Malachiæ locum Paulino παρ᾽ ἄλληλον Chrysostomus judicat.

Herberus corollarii loco addit: Calumniam esse Herbrandi contra Missam, cum ore impuro ait, impurissimum esse genus hominum illorum, qui Malachiæ testimonium cum Hieronymo ad sacerdotes propriè dictos referunt. Facere verò etiam ignoranter vel malitiosè adversarios, nominatim Chytræum & Chemnitium, qui oraculum Prophetæ, quod ipse Malachias & SS. Interpretes de utroque sacrificio tam spirituali per incensum, quam visibili per oblationem mundam significato acceperunt, ad sola spiritualia sacrificia coarctant. ℞. 1. quid Hieronymus de loco Malach. sentiat, supra indicatũ est. 2. Qui sacerdotes propriè dictos in N.T. introducunt, evertunt N.T. Sacerdotium unicæ Dn. Jesu personæ competens dividunt, infinitatem sacrificii Christi tollunt, ordinem divinum pervertunt &c. merito ergo impuritatis accusantur. 3. Aut oraculum Malachiæ ad sola sacr. spiritualia pertinet, aut ad solum visibile. Si incensum metaphoricè sumitur, cur non & oblatio munda. Omnia argumenta contra metaphoram in oblatione producta, pugnant etiam contra metaphoram in incenso. Nonne etiam incensum novum erit? nonne & mundum? nonne est antithesis typi & antitypi? Nonne incensa sacerdotum Iudaicorum propriè dicta incensa? &c. Sed satis in hoc loco laboratum est. §. 94.

CAPUT VI.

VERBA INSTITUTIONIS SS. COENÆ PONderantur: sedes missæ Papisticæ in iis vestigatur: nihil in illis pro Missa fundamenti præhenditur.

ASSERTIO. *Quicquid in universo vitæ mortisq; Christi decursu salutare est, & ad animarum restaurandum cœleste decus faciens, id sanctißima cœna Iesu Christi homini confert: Sacrificium verò externum & visibile, quod propitiando Deo offeratur, nullibi invenire poterunt, etiamsi per omnia*

divina

divinæ institutionis iverint verba, ij, quibus certißima mensurandæ fidei norma carior est, quam vel tumor præjudicij, vel variæ antiquitatis splendor.

EXEGESIS. *Vidit Herberus, parùm omnino esse autoritatis, ad stabiliendum missæ figmentum, in iis V. Testamenti typis vaticiniisq; quæ ex procerum suorum monumentis collegit, nisi exhibitam veritatem è N.T. asserat. Itaq; ad Institutionis verba sese confert, ex quibus hoc probaturus est:* quod missæ sacrificium non modò instituerit Christus, verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Deo primus hostiam sine sanguine offerens, *ut Oecumenius loquitur c. 5. ad Hebr.* sed etiam Apostolis, eorundemque successoribus sacerdotibus offerendum in cœna ultima præceperit, ubi simul sacerdotes initiaverit, simul offerre docuerit, & cum sacrificium commutaret, pro brutorum cæde seipsum, ut ait Chrysostomus 1. Cor. 10. offerri voluerit. *Hoc autem, ut probet, has adhibet rationes*: 1. quia verbum faciendi sacrificiale est, tum sacris literis, in Hebraico, Græco, Latino idiomate, tum scriptoribus profanis: & proinde præceptum sacrificandi Apostolis & sacerdotibus datum illis Christi verbis continetur. Hoc facite in meam commemorationem, ut Apostolica semper & orthodoxa intellexit antiquitas: cum magna sit verbi facere, cum sacrificare analogia, tum, quod actio sacrificandi sit omnium humanarum, quæ Deo placent, nobilissima, tùm, quod sacrificium conjunctam habeat operosam sacerdotis actionem, cui ob numinis reverentiam maximè intendere oporteat, ne quid erretur. 2. quia Christus reipsa corpus & sanguinem suum consecrando sacrificavit, ut Ecclesiæ opus & Concilii Tridentini autoritas docet: 3. quia verba, datur, frangitur, effunditur, ad sacrificium denotandum pertinent: id enim, quod datur, frangitur, effunditur, datum, fractum, effusum est in remissionem peccatorum, uni Deo, non Apostolis, diciturque calix fundi, quia calix seorsim in sanguine sub liquida vini specie Deo offertur, corpus
§. 2. frangi, quia sub arida panis specie Deo consecratur. † *Hæc scilicet sunt illa argumentorum fulmina, quæ à nostrarum Ecclesiarum conjunctione decusserunt Herberum. Quis non, nisi mitißimi animi, in Herberum quoq; transferat, quæ à Luthero in Papæ adulatores translata idem gravis hallucinationis nomine perstrinxit? Sed videamus, quomodo planetarum instar sub verborum Institutionis firmamento adspectibus varijs errent!*

Proponimus

Proponimus autem I. *Adversariorum ingenuam confeßionem*. FRANCISCUS SUAREZ *in Complutensi, Salmanticensi, Romana & Conimbricensi Academia Professor Iesuiticus, Tom. 3. Comment. in 3. Thom. disputat. 74. sect. 1. ait*: Potest suaderi hæc veritas, scil. de sacrificio Missæ, ex Novo Testamento, in quo, LICET NON SINT TESTIMONIA, QVÆ PER SE SUMTA CONVINCANT, sunt tamen nonnulla, quæ aliis adjuncta plurimum suadent. sect. 2. Principaliter colligenda est hæc veritas, (scil. quod Christus in Eucharistia sese in sacrificium obtulerit) ex facto & verbis Christi, quæ ab Evangelistis referuntur, adjuncta Ecclesiæ traditione & expositione; sine qua SOLA EVANGELICA HISTORIA NON POTEST CONVINCERE. nulla namque fit expressa mentio sacrificii vel oblationis, factum item Christi, quod narratur, potuisset certè de potentia absoluta ab illo fieri sine sacrificio, consecrando scilicet panem & vinum, eaque discipulis dando, absque ulla intentione offerendi immediatum cultum Deo. Nam ratio sacrificii pendet ex intentione, quæ non est necessariò conjuncta cum tali exteriori actione, sed est voluntaria: potuisset ergò Christus totam illam actionem sine tali intentione atque adeò sine oblatione vel sacrificatione efficere; necessaria ergò est Ecclesiæ autoritas & traditio, quæ de Christi intentione certam nobis faciat fidem. Ex historia tamen Evangelica conjectare possumus, hoc esse verbis & factis Christi valdè consentaneum. † *Consentit* Bellarminus Card. *lib. 1. Missa, c. 12.* §. Restat una. *& docet*, actionem offerendi, in verbis institutionis non facile posse distingui & separari ab aliis actionibus, quæ simul fiunt. *E. concedit Bellarm. se non facilè è verbis institutionis ostendere posse actionem offerendi. Et c. 24. lib. cit.* §. Respondeo: Christi. *affirmat*, quod Evangelistæ non expresè dixerint & indicaverint, Christum sese in prima cœna patri obtulisse.

§. 3. *Suarezij confeßio.*

§. 4. *Card. Bellarmini confeßio.*

2. *Sacrificationis Christi in prima cœna incertitudinem. Nondum certum est apud Pontificios*, utrum Christus in prima cœna sacrificarit. *Fecit autem Christus in prima cœna, quod exemplaris loco reliquis cœnæ dominicæ exhibitionibus esse debet tantùm. Quod igitur non est in exemplari, illud nec in eo esse debet, quod ad exemplar componitur. Si Christus in prima cœna non sacrificavit, nec in reliquis cœnæ dominicæ iterationibus sacrificandum est. In* Concilio Tridentino viginti tres Episcopi *fuerunt, qui negarunt*, Christum in prima cœna sacrificasse, *ut refert Petrus Suavis Polanus in histor.* Concil. *Trident. lib. 6. p. 645. Fatetur idem de quibusdam* Catholicis Salmeron *Tom. 9.*

§. 5.

Episcopi Conc. Tridentini.

Tract.27.p.198. Albert. Pigghius *in Hierarch. Eccles. lib.2. cap.5. p.58. ait:* posse concedi absque imminutione argumentorum de missa, non significatam offerendi actionem ab ullo Evangelistarum, posse concedi, Christum sese in prima cœna non obtulisse Deo Patri, nondum videlicet oblatum Deo in cruce: imò concedit, Evangelistas satis clarè non indicare, quibus verbis consecraverit. † *Ita*
§. 6. *de viro quodam erudito Catholico audivisse se refert* Salmeron, *quod* etsi Christus Eucharistiam in ratione sacrificii non instituisset, Ecclesia potuisset illud constituere *T.9. p.219. tract. 28. (quod tamen falsum esse inquit.) Et quamvis omnis in hoc sacrificio virtus, si omninò aliqua illi inest, à Christi in prima cœna operatione dependeat, ut Sanctorum Patrum judicio, omnia, quæ in sanctißimo cœnæ dominicæ sacramento sunt, ex celebratione exemplari vim suam trahunt, non tamen magni facit aut curiosè investigat, an Christus in prima cœna sacrificarit* Gregor. Valentia. *l.1. de Miß. c.4. p.685. Ait enim, posse ex aliis circumstantiis illud elici: Christum non illud solum jußisse fieri, quod ipse fecit: jußisse enim Eucharistiam celebrari in memoriam suæ paßionis, nec tamen ipsum eam celebrasse, quæ gesta non erat, &c. Eadem planè ratione ex rationis suæ dictamine instituunt Missam, qua Ethnicis etiam quibusdam nulla Christi cognitione decedentibus salutem tamen æternam lumine rationis naturali consecutā tribuunt.* Diegus Payva Andrad. *Orthod. Explic. lib 3.* Andreas Vega, Dominicus à Soto, Caspar Casalius, *de quadripart. hom. justit. lib. 1. c.xv. qui in adstipulatorum agmine producit* Thomam Aquinat. Lyranum, Abulensem, Brunonem Carthusiensem, Arboreum, Durandum, Paludanum; *potuisset addere* Zvvinglium: *contra* Baronium, Fr. Fevardentium, Eribertum Rosvveydum, *& alios: de quorum pugnâ eruditè disserit* Richard. Montacutius *in Analect. Exercit. Ecclesiast. exerc. 1. sect. 4. p.21. Ait verò de eiusmodi Philosophicis extra vel citra divinarum scripturarum paginam speculationibus* Vincent. Ferrariensis *Valentinus Theolog. sermone 1. in fest. corp. Chr. reg. 3.* Gubernando vos per regulas Philosophiæ in sacramento oportet errare & deficere.

§. 7. 3. *Inconstantem voculæ HOC relationem. Herberus & innumeri alii è turba Pontificia particulam HOC ad corpus Christi referūt, ut illud sacrificandum mandasse Christum probent. Nisi enim ad corpus Christi particulam HOC referant, corpus Christi sigillatim sacrificandum esse ægrè probabunt. At verò* Thomas de Vio Cajetanus *Card. Tom.3. Opuscul. tract. 10. c.3. p. 286. ait,* pronomine hoc denotari universitatem præmissorum, *Verba sunt.* Ad intelligendum demonstra-

monstratum per pronomen hoc, inspicienda sunt, quæ præmittuntur. Præmittitur autem, quod Jesus accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit, accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, vel secundum Lucam, datur; statimque subjunxit, hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaque hoc, cum non arctetur, ad demonstrandum aliquod præmissorum & ad aliquod præmissorum non demonstrandum, consequens est, ut demonstret universitatem præmissorum. *Idem habet* Guilielmus Estius *in Comm. ad c.*11. *Ep.*1. *ad Corinth. p.*409. Benedict. Justinianus Jes. *consentit Comm.* 1. *Corinth. c.* 11. *p.* 568. *n.* 8. Pronomen HOC, ad universam Christi actionem referendum videtur: præcipit enim fieri, quod ipse fecit, non quidem ab omnibus, sed à sacerdotibus, quales voluit esse Apostolos, quos præsentes alloquebatur, quosque tum sacerdotio initiavit. Tribuit enim illis vim atque autoritatem consecrandi, & panem & vinum in suum corpus ac sanguinem transmutandi, modo consecrationis verba adhiberent. *& post. Quod si hæc Christi verba ad solam Eucharistiæ perceptionem referantur, ad omnes fideles pertinent, ad quos dubio procul spectant illa, quæ sequuntur: sin autem respiciant consecrationem, ad solos sacerdotes. Videtur autem Apostolus in iis, quæ consequuntur, priorem sequi sententiam, ut hinc occasionem arripiat monendi Corinthios, qui in usu Eucharistiæ paulò videbantur liberiores. Licet enim in principio Iustinianus asserat, ad solam Christi actionem eamq; universam referendum pronomen hoc, tamen postea ex circumstantiis loci & scopo Paulino concedit, ad omnem in Eucharistiæ usu necessariam actionem illud referendum esse. Quæ est contradictio.*

Contradictio.

§. 8.

4. *Legitimam verbi, facite, interpretationem.* Innumeri *sunt è Pōtificiis, qui unicum missæ in verbo* FACITE *patrocinium quærunt. Autores recensere superfluum est. At vel hic ingenua extat nonnullorum de infirmitate hujus argumenti confessio.* Guil. Estius Regius in Duacensi Academia Professor *in Comment. Ep.*1. *ad Corinth. c.*11. *p.*410. *inquit.* Unde & N. T. sacerdotes hoc verbo constituti sunt, Non quod verbum facite sit idem quod sacrificate. quomodo nonnulli illud interpretati sunt, planè præter mentem scripturæ. Namque & in eo, quod in Canone dicitur, hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis, facere nequaquam nisi coactè pro sacrificare potest exponi sed quod eo, &c. † *Ad eum ferè modum partē istam, hoc facite, explicat: & adductis patrum testimoniis illustrat* Joan. Hesselius *de comm.*

Estij ingenuum de verbo facite judicium.

Contradictio.

§. 9.

sub unâ tract.1.respons.ad pr. Cujus sententiam laudat & sequitur Bellarm.*lib.4.de Euchar.c.25.verba sunt.* Quæritur à Doctoribus, quid propriè demonstret illud hoc, cum Dominus ait, hoc facite, an demonstret id, quod Dominus egit, id est, consecrationem & distributionem, an quod egerunt discipuli, id est, manducationem & bibitionem, an utrumque simul? Videtur sententia Johannis à Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam, ad omnia referri, id est, ad id quod Christus fecit & id, quod egerunt Apostoli, ut sensus sit, id quod nunc agimus, ego dum consecro & porrigo & vos dum accipitis & comedit, isfrequentate deinceps usque ad mundi consummationem. *Producit enim prædictus autor veteres Patres, qui illa verba referunt modo ad Christi actionem, ut* Cyprian.*lib. 2.Ep.3.* Damasc.*lib.4.de fide c.14.modo ad actionem discipulorum, ut* Basil. *Regul. moral.lib. reg 21.* Cyrillum Alexand.*lib.12.in Ioh.c.58.* Paulum autem *idem auctor docet* referre potissimum illa verba ad actionem discipulorum, id quod ex verbis sequentibus colligitur. Quotiescunque enim, inquit, manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, & præterea idem planum fieri potest ex proposito & instituto B.Pauli. Nam Apostolus eo loco emendabat errorem Corinthiorum. Corinthii autem non errabant in consecratione, sed in sumtione, quia non debita cum reverentia sumebant: quare accommodat ea verba ad suum usum, ac docet, Christum præcepisse, ut actio cœnæ celebretur in memoriam passionis & ideò attentè & reverenter sumenda esse tanta mysteria. *Unde si verbo facite universitas actionum præcedentium comprehenditur, tum non licet verbum facite interpretari per sacrificate: aut docendum erat in actionibus Christi, discipulorúmve fuisse aliquam sacrificationem propriè dictam: aut concedendum, omnes actiones verbo facite comprehensas esse sacrificationes: Ex verbo igitur* FACITE, *nihil præsidij est missatici.* †

§.10. *Francis. Suarez de verbo facite: Contradictio.*

Testis est etiam Franc.Suarez *in part.3.T.3.d.74. s. 2. qui*, facere, *inquit*, in scriptura idem solet significare, quod sacrificare, præsertim quando juxta materiam subjectam talis significatio convenienter aptatur, ut Lev.18. Luc.2. quod argumenti genus, quanquam PER SE NON CONVINCAT, tamen rectè explicat, veritatem hanc cum verbis Christi aptè convenire. *Ubi duo largitur SVAREZ, verbum, FACITE, tum demum significare, sacrificate, quando juxta materiam subjectam talis significatio convenienter aptatur. Est itaq; ex verbis Institutionis tanquam legitima sede articuli hujus Eu-*

charistici

charistici prius probandum, verbo FACITE, *ejusmodi significationem convenienter aptari, antequam verbum* FACITE, *pro* sacrificate, *interpreteris. Secundum quod* SVAREZ *largitus est, quod per se non convincat hoc genus argumentationis. Frustranea est igitur Ben. Justiniani jactatio, qui loc. supra cit. tam infallibilem verbi* FACERE *pro* sacrificare *interpretationem ait*, ut ridendi, vel potius miserandi videantur hæretici, qui Catholicos rident, quod faciendi verbum ad sacrificia doceant pertinere. *Certè multi Pontificiorum deserunt hoc argumentum ex verbo facite*, Cajetan. *in Opusc. loc. cit.* Becan. *lib. 3. de tripl. sacrif.* Huntlæus *Contr. de Miss. c. l.* Alfons. Castrensis *Verbo Missa & alij.*

5. *Verbi facite in dominica institutione collocationem.* §. 11. Contradictio ex hypoth. Pont.
Omnium Pontificiorum constans hæc est sententia, primariam & principalem, non ultimam actionem in legitima Eucharistiæ celebratione esse sacrificationem, seu sacrificii Eucharistici oblationé. *Huic suæ assertioni contradicunt, quando urgent, verbum* FACITE *pro* sacrificate *positum esse. Actio enim faciendi ultimo loco inter actiones à Christo imperatas posita est. Si itaq; actio faciendi nihil aliud est, quã actio sacrificandi, sequitur actionem sacrificandi ultimo loco in Eucharistiæ celebratione habendam & perficiendam. Primo enim ponitur loco panis acceptio, secundo, gratiarum actio, tertio, fractio, quarto, datio, quinto, vocum* hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *pronunciatio, sexto, faciendi imperium. Hunc ordinem intervertere esset sapientiæ Christi ex arcano Patris prodeuntis & mirando inscrutabiliq; consilio singula disponentis intervertere legem.*

6. *Bellarmini de verbo facite testimonium. Is lib. 1. de Missa, c. 12. ait*; Calvin. *in antid. art. Paris.* fingit, Catholicos ita probare propositionem argumenti nostri: *Christus dixit*, HOC FACITE, *sed facere est sacrificare. juxta illud.* Cum faciam vitula: *ergò Dominus jussit sacrificare.* Sed errat; quod non bona fide referat argumenta Catholicorum; non enim Catholici tam ineptè argumentantur. *Ergò Bellarmino judice, inepta est argumentatio, ex verbo* FACITE, *sacrificationem in verbis Institutionis extruere, etiamsi verbum* FACITE *pro subjecta materia sacrificium notet. Ergò* Bellarmino *judice inepta est argumentatio* Alfonsi Salmeronis *Tom. 9. tract. 27. p. 205. qui* per verbum FACITE idem quod sacrificare in verbis Institut. intelligendum ex scriptura, ex Virgilio, Ovidio, Cicerone, Juvenale, Nonno, Marcello, Athenæo, Homero ostendere conatur. *Ergò Bellarmino judice inepta est* Benedicti Justiniani *Iesuitæ eadem de voce* §. 12. Contradictio.

argutia, 1. Cor. 11. Comment. p. 566. Ergò Bellarmino judice ineptè argumentantur Barradius Tom. 4. Comment. in Concord. Evang. lib. 3. c. 6. p. 62. & alij plures.

§. 13. *Salmeron sibi contradicit. Contradictio.*

7. *Alfonsi Salmeronis in loco modo citato apertam contradictionem. Verba sunt.* Septimò, Dominus, inquit, Hoc FACITE in meam commemorationem. Ubi inprimis verbum faciendi non est arctandum ad oblationem tantum, quia sic nihil diceretur de consecratione, vel de sumtione, dispensatione que sacramenti: quæ tamen annuntiat mortem Domini: sed est extendendum ad illa omnia, quæ Christus fecerat in cœna. At Christus aliquid ptofanum aut seculare non fecerat, sed rem sanctam & sacram. ergò Dominus sacrificaverat. Nam verbum FACIENDI quod alter fecit, restringendum est ad illud idem, quod alter fecerit; qui si pingat, aut saltet, aut cantet, aut scribat & dicat alteri, fac hoc quod ego feci, restringitur ad picturam, saltationem, cantationē, scriptionem. Ita hoc loco ad sacrificium referendum est. Nam Christus rem sacram fecit consecrando, & oculis elevatis patri offerendo Hostiam, quam in manibus tenebat. Proinde illa verba, Hoc FACITE, non pertinēt ad singulos fideles, nisi quatenus pronomen Hoc refertur ad sumtionem ab Apostolis factam, aut quatenus sunt Ecclesiæ membra, quæ in Apostolis accepit, & in sacerdotibus obtinent potestatem faciendi, quod Christus fecit. Quare si probari posset, ejusmodi verba ad omnes fideles spectare, sensus esset, quod deberent offerre Eucharistiam per eos tantum,

§. 14. qui potestate offerendi fungerentur. † *Ubi variæ ineptiæ & contradictiones annotandæ. Illud certum est, Salmeronem loqui hîc in principio de ea oblatione, quæ sacrificialis est. ad quam verbum, FACITE, arctandum negat. Loquitur enim de ea oblatione, quæ opposita est sumtioni & dispensationi. Ad hanc oblationem sacrificialem ait verbum FACITE arctandum & non arctandum.* Non arctandum *ait in principio horum verborum.* Arctandum *verò demonstrat, quando ipse sacrificasse Christum ex eo concludit, quando ad sacrificium referendum esse, denotare Christi oblationem elevatis oculis Patri factam, innuit, illudq; à reliqua fidelium turba removendū esse omninò, nisi ut in sacerdotum persona considerantur, docet.* Deinde *ait, verba illa non esse arctanda ad oblationem, alias nihil diceretur de consecratione. Cum tamen essentia oblationis sacrificialis secundum* Salmeronem *consistat in consecratione.* Tertiò *ex verbis* HOC FACITE *conatur probare, Christum rem sacram faciendo Patri obtulisse in cœna. In ipso verò susceptæ probationis*

bationis decursu probat, ideò verbum facite sacrificium notare, quia Christus rem sacram faciendo Patri elevatis oculis obtulit in cœna. Ita conclusio fit medius terminus seu ratio: & consequens redditur antecedens. Quartò *negat alibi* Salmeron, *Christum in baptismo sacrificasse, etiamsi rem sacram ibidem operatus fuerit. hîc verò ex eo, quod Christus in sacra cœna rem sacram & sanctam fecerit, Dominum sacrificasse concludit.* Contradictio.

8. *Alfonsi Salmeronis in verbo FACITE explicando iteratam confusionem. Ille tract. eod. Tom. eod. p. 206. hæc habet verba.* Nec obstat glossa Buceri & aliorum hæreticorum exponentium hoc facite, id est, manducate & bibite in mei memoriam. Falsa enim invenitur, si ad hoc solum restringatur. Qui enim possemus edere & bibere, nisi prius fieret Eucharistia, alioqui panem purũ & communem edissemus. Adhæc comedere & bibere non est propriè facere, sed potius est pati: nec enim propriè, id quod manducamus & bibimus, facimus. *Observa hîc iterum sibi repugnantem* Salmeronem *magnum illum ex decem primis Iesuitismi fundatoribus.* Ait falsam esse Buceri glossam, si ad solam manducationem & bibitionem, verbum FACITE adstringatur. *Ergò non est falsa, si verbum facite non ad solam manducationem & bibitionem adstringatur. Ergò tamen quadantenus verbum FACITE ad manducationem & bibitionem adstringi potest. Cur igitur comedere & bibere non est facere, sed pati, si verbum facite etiam quatantenus ad edere & bibere pertinet? Cur non propriè aliquid facimus, dum manducamus & bibimus, si facere hoc loco ex parte etiam est manducare & bibere. Aut ex qua Philosophia comestio & bibitio est solum & propriè passio, non actio. Ex ea, puto, ubi quidvis potius balbutiendum, quam clarissimæ lucis admittendi radij & apertissima exosculanda veritas. Adde, si ideo non potest referri ad manducationem & bibitionem verbum FACITE, quia id quod manducamus & bibimus non propriè facimus, id est, producimus, sequitur nec FACITE propriè posse referri ad oblationem, quia id quod offerunt Pontificij non propriè faciunt, sed jam ante factum & natum adducunt sub hostiã, seu potius sub panis & vini species consecratorio murmure: nisi factores factoris sui malint salutari luculento frequentis apud ipsos blasphemiæ specimine. Vnde missæ fabricam suis positionibus evertit* Salmeron. §. 15. Contradictio.

9. *Institutionis sacerdotij à Pontificiis in verbo FACITE confictæ nullitatem. Quam ex duabus Pontificiorum hypothesibus colligo.* §. 16.

ligo. 1. Mirabili Dei providentia factum, ut Lucas verbum, hoc facite, post datum sacramentum sub specie panis poneret, omitteret autem post datum calicem, ut intelligeremus, jußisse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribueretur sacramentum, sub specie autem vini non item. 2. Non sine causa Spiritum Sanctum modum loquendi mutasse, & cum conditione repetivisse, hoc facite, quotiescunq; bibetis, ut significaret calicem non sumendum necessario. Prior est Bellarmini lib. 4. de Eucharistia c. 25. Posterior Bellarmini, Castrensis, Salmeronis, Estii, Justiniani, Becani, Huntlæi, &c. in controversia de commun. sub una. Ex prima ita infero. 1. Si singulari consilio & mirabili Dei providentia factum, ut Lucas verbum facite in ordinatione panis poneret, omitteret in ordinatione calicis, ad demonstrandam non necessariam ordinanem vini, sequitur eadem mirabili providentia in ordinatione panis positum, in ordinatione vini omissum HOC FACITE, ut vinum non sacrificandum, panis autem offerendi potestatem collatam esse, intelli-
§. 17. geremus. Quod absurdum! † Hoc autem necessario sequitur. Verbo enim FACITE ex Pontificiorum mente potestas sacerdotalis offerendi collata. Vbi ergò est verbum FACITE in Eucharistica institutionis sede, ibi illa potestas collata esse intelligitur. Nec enim existimandum, unius speciei oblatione imperata etiam necessariò alterius imperari; quia, non repugnantibus Pontificiis, in libera id Christi voluntate constitit. Vbi ergo omissum est singulari Dei providentia verbum FACITE in Eucharistiæ sede, ibi eadem singulari providentia non modo sumptionem ejus partis, ubi omissum est, liberam esse, sed & oblationem indifferentem, imò nullam existere, patet: ex hypoth. Pontif. tùm, quia verbum FACITE uni speciei appositum ad alteram nequaquam traducendum: tùm quia verbum FACITE positum non tantum sumtionem, sed sacrificationem ponit & involvit. At absurdum est apud. Pontificios, quod calicis oblatio non pertinet ad essentiam sacrificij. Ergò concluditur, si omißio verbi FACITE nec omißionem calicis offerendi notet, nec liberam & indifferentem vel bibendi è calice, vel offerendi in calice potestatem conferat, positione verbi facite talem etiam, qualem Pontificij fingunt, potestatem
§. 18. non esse collatam offerendi DEO Eucharistiam. † 2. Obiter ita sibi contradicere Pontificios demonstro. Si singulari Dei providentia eâq; mirabili in ordinatione calicis verbum HOC FACITE omissum est, ut nēpe Laicis non esse necesitate mandati divini calicem sumendum intelligeremus; sequitur, ubi ponitur in ordinatione panis verbum facite, mirabili Dei providentia Laicis mandato divino competere id, quod verbo facite comprehenditur: hoc est, sacrificandi & sumendi panis potestatem.

tem. Ratio hujus consequentiæ est: quia mirabilis Dei providentia, quæ in omittendo verbo FACITE in ordinatione calicis eluxit, aut ad solam sacrificationem calicis respexit, aut ad solam sumtionem, aut utrumq; Laicis imperatum noluit. Postremum concedent Pontificij. Ergò eadem mirabilis providentia, quæ verbum FACITE in ordinatione calicis omisit, ut nec sacrificationem, nec sumtionem ejusdem imperatam Laicis doceret, juxta Pontificios, posuit verbum facite in ordinatione panis, ut sacrificationem & sumtionem ejusdem Laicis imperatã innueret. Quod quia contrarium est ipsis Pontificijs, sequitur, nullam esse potestatem sacrificulorum, quam in verbo facite quærunt. † Adde cur mirabilem providentiam in omißione verbi FACITE rimantur, cum apud Lucam ordinatio calicis describitur, & non admirabiliorem intelligunt, cum apud Paulum ponitur in ordinatione calicis? Anne admirabilior est Dei providentia in omittendo aliquo, quam ponendo in scriptura monumentis? Anne, quæ secunda hypothesis, ideò talis providentia non est, vel alia est, quia conditione quadam verbum facite adstringitur in ordinatione calicis apud Paulum? Quæro igitur, an in ordinatione panis & vini apud Paulum per verbum FACITE, æquè absoluta & necessaria posita sit utriusque ad sacrificandum destinatio, an verò alterius absoluta, alterius conditionata, an tandem neutrius vel absoluta vel conditionata? Si primum affirmatur, cur non utriusque absoluta & æquè necessaria ad sumendum destinatio facta etiam dicitur? num unum absolutè, alterum conditionatè destinatum ad sumendum erit, eo tamen verbo, quo utrumque absolutè ad sacrificandum destinatum est? Si secundum, sequitur panis oblationem absolutè, vini conditionatè destinatam esse ad Missam, cum verbo facite absolutè posito absoluta oblatio & sumtio, conditionatè verò posito conditionata & oblatio & sumtio intelligenda etiam sit: Cum nulla sit ratio, cur in eodem unum absolutè, alterum conditionatè imperatum dicam? Hoc verò iterum impingit in postulata Pontificia. Tandem igitur postremum infertur, nec panem nec vinum ad sacrificandum destinatum verbo FACITE esse. Si hoc, ergò nec panis nec vini verbo FACITE offerendi potestas concessa est sacrificulis Pontificiis. † Nemo igitur, quem sacrarum literarum movet inæstimabilis autoritas, vel leviter afficitur jactante Salmeronis voce, quæ est Tom. 9. p. 205. Concors est patrum veterum sententia (nullum tamen ipse allegare est ausus, quem tam gloriosæ assertioni adjungeret) Dominum illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Apostolos ad sacerdotium promovisse, ac potestatem sacerdotalem illis tribuisse; quod etiam nuper Synodus Tridentina

§. 19.

Contradictio hypoth. Pôt.

§. 20. Salmeronis jactãtia.

dentina aliter opinantes anathemate percutiens definivit.

§. 21. 10. *Missæ in benedictione quæsitæ incertitudinem.* Alfonsus Salmeron *Tom.* 10. *tract.* 12. *p.* 76. ait. Quæro, unde ex toto Evangelio habere possimus, quod Christus hostiam consecraverit? *(hoc est transsubstantiaverit & sacrificaverit)* nisi ex isto benedictionis verbo scilicet? Nam textus ait, *quod accepit panem, quod benedixit, quod dedit discipulis.* Sicut ergo *accipere* refertur ad panem, *& fregit & dedit* ad eundem est referendum, ita verbum illud, quod in medio verborum illorum jacet, de pane est interpretandum nimirum benedixit, id est, benedictum fecit. Nam cum dominus à principio cœnæ & mensæ pro suo more benedixerit, & post cœnam dicatur gratias egisse & hymnum dixisse, sequitur, quod hæc inter cœnam tùm benedictio panis nova & ab illa priori distincta extiterit, nempe non tantum laudis, sed efficax & operatoria consecrationis & sanctificationis, *in quam sententiam allegat Latinas & Græcas Ecclesias.*

§. 22. † *Hinc apparet,* ex mente Salmeronis *non posse primam Missam à Christo celebratam defendi, nisi statuatur, benedictionem, quæ in frontispicio verb. Instit. habetur, consecratoriam, sacrificatoriam, & missificam esse. At verò* Albertus *doctissimus Episcopus & antiquior multò ipso Salmerone, atq;* Cajetanus Cardinalis, *acerrimus sub primordio refulgescentis* Evangelij *Romanæ sedis defensor nihil hîc agnoscunt pro Missæ subsidij. Vnde rejicit eos* Salmeron *loc. cit. & qui fulcire* Cajetanum Cardinalem & Albertum Episcopum *debuisset*, ait, Cadit proinde opinio Cajetani & Alberti Magni, qui in Matth. c. 26. interpretantur benedixisse de benedictione laudis & gratiarum actionis, qua Deum confessus est & laudavit, sed quæ in pane nihil efficeret.

Contradictio de verbo benedixit.

§. 23. † Unde alia etiam ex hac contradictio enascitur. *Namq; Salmeron l. c. ait.* Ediscimus ergò, quod benedictio & gratiarum actio non sine consecratione & benedictione mystica vim sanctificandi habente peracta fuerit. Et quia dicere Dei, est facere, meritò benedicere Dei est benefacere, hoc est, transsubstantiando sacrificare, at hæc consecratio insignis Dei beneficentiæ & liberaliatis est nobis argumentum. *Contra it verò* Estius Regius Theologus *Duacensis in Com.* 1. *Cor.* 10. *p.* 376. *col.* 2. *ait enim,* Ex dictis intelligitur, Christi benedicere, juxta definitionem à Jansenio datam, & à nobis probatam, non esse idem, quod benefacere, sicut ajunt quidam, nisi sensu consecutivo, quod omnis ejus precatio sit efficax, seu potius efficaciter imperatoria ejus, quod petitur: ipso videlicet cum Patre & Spiritu S. hoc ipsum

An Dei benedicere sit benefacere? Contradictio.

quod

quod petit præstante, non quidem semper statim cum ipsa petitione sed cum voluerit.† *Vnde tertia est pugna. Salmeron loc. cit. pugnat, vocabulum* εὐχαριστεῖν *in ipsis sacris literis usurpari pro consecrare, seu transsubstantiare & sacrificare. Estius loc. cit. cum dubius sit, utrum ab antiquitate vocabulum illud ita usitetur, in sacris literis tamen hoc pacto adhiberi negat.* §. 24. *Contradictio de verbo* εὐχαριστεῖν.

II. *Dubiam vocabuli benedictionis interpretationem. Vident emunctiores Pontificij & quibus victoria potior est, quam veritas, ægrè se posse structuram Missæ tueri, nisi ante verba,* hoc est corpus meum, *alicubi sacrificationem & consecrationem posuerint. Id quidem jam in* Salmerone, vocabulum benedictionis sollicitius excutiente *& vellicante severius conspeximus. Sunt verò adhuc alij, qui benedictionem, gratiarum actionem & consecrationem in unum conflare gestiunt, ut* Thomas, *p.3.q.78.art.1.ad 1.* Durand. 4. *s.d.8.p.2. ad 3.* Marsil. *q.6.art.1.* Gabriel *lect.36.in Can.* Bessarion Card. *in verbo consecr.* Justinian. 1. *Cor.11.p.565. Varietatem hanc &, ut sic dicam, dubietatem recenset* Estius *in Comm. 1. Cor.10.p* 374. *& seq. ait enim.* † Benedictionem alii CONSECRATIONEM, alii GRATIARUM ACTIONEM interpretantur. Quorum neutrum dici posse nobis videtur. Et enim haud dubiè de eadem benedictione Paulus & Evangelistæ loquuntur. Atqui illa benedictio neque consecratio fuit, neque gratiarum actio. Consecrationem non fuisse, quamvis ita multi sentiant Latini posteriores, ex eo patet, quia prolationem verborum quibus fit consecratio præcessit, ut ex Græco textu apud utrumque Evangelistam, ubi de pane loquuntur, perspicuum est. *& post.* his accedunt pro confirmatione verba Concilii Trident. sess. 13. c. 1. quibus ut equidem arbitror exponere voluerunt illius Concilii Patres id, quod à Matthæo & Marco scriptum est, Verba sunt. *Hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna redemtorem nostrum instituisse: cum post panis viniq; benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere & suum sanguinem disertis & perspicuis verbis testatus est.* † Quod si post benedictionem panis & vini testatus est se suis discipulis præbere corpus suum & sanguinem, testatus, inquam, iis verbis, quibus fit consecratio, quæque à tribus Evangel. & Paulo referuntur, (*constat enim non de alijs verbis Synodum loqui*) palam certè consequens est, consecrationem fuisse benedictione posteriorem: & proinde benedictionem per consecrationem, tanquam eadem sit, non rectè exponi. Nec videò post tam aperta Concilii verba, quis locus esse possit tergiversationi. † *Consentit*

§. 25. *An benedictio sit consecratio vel gratiarū actio.* §. 26. *Contradictio.* §. 27. §. 28.

Contradictio à Barradio ostensa.

Estio *post contrariam* Lyrani, Hugonis Cardinalis, Innocentii III. Pontificis, Odonis Cameracensis *Episcopi enumeratam opinionem* Sebast. Barradas Ulissipon. *Jes. Tom.* 4. *Comment. in Concord. lib.* 3. *c.* 2. *dist.* 15. Jam, *pergit* Estius *l. c.* nec dici potest, illam benedictionem fuisse eandem cum gratiarum actione. Nam benedictio ad symbola proposita refertur, gratiarum actio ad Deum. *Et post.* Itaque mihi videtur optimè reverendissimus Jansenius, præceptor meus, benedictionem panis & calicis definivisse Precationem super illa effusam & invocationem divinæ beneficentiæ super illa. *Comment. in Concord. Evang. c.* 131. *Nec recedit ab Estio in hoc puncto etiam Sebast. Barradas loc. cit. sect.* 9. 10. 11. *Videt igitur Herberus etiam in hoc puncto à verborum Institutionis fulcimento dejici ex proprio conflictu Pontificios, nec firmum aliquod missæ suæ munimentum exinde struere posse.*

§. 29. 12. *Ritûs etiam faciendæ super oblata crucis novitatem. Crucis equidem signum ejus censetur efficaciæ, ut illud verbis junctum consecrationis operis sacrificialis peractioni suam communicet vim. Unde ex verbis etiam & factis Christi illius usum exsculpere satagunt. Rem omnem explicat* Barradas *T.* 4. *lib.* 3. *c.* 2. *sect.* 13. *&* 14. Quæritur, *inquit*, an Dominus externo aliquo manuum signo pani benedixerit? Nam Apostolis elevatis manibus in adscensione benedixit: parvulis etiam Marc. 10. benedixit, imponens manus super eos. Nonnulli dixerunt signo manus externo benedixisse, ut ait Albert. Magnus in tractatu de offic. Missæ, quod autem fuerit signũ, non explicat. & Innocentius III. *l.* 4. *de myster. missæ, c.* 6. Quidam, *inquit*, intellexerunt benedictionem fuisse vel aliquod signum, quod super panem impressit, vel aliquod verbum, quod super panem expressit. *Salmeron* existimat signo crucis benedixisse *Tom.* 9. *tract.* 12. Ex usu, *inquit*, Ecclesiæ habetur crucis signatio super hostiam, quam ex traditione Apostolicâ provenisse credimus, quam viderunt Apostoli primum à CHRISTO observatam & in lege veteri indicatam. Nam in lege veteri sacrificium, dictum Tenupha, ad quatuor orbis partes motum, signum crucis edebat, hoc ergò signo crucis, quo cætera omnia sacramenta perficiebantur, benedixit sacrificium suum Dominus. *hæc ille.* Si tamen quis volet solis verbis, Christum, dum gratias egit, simul etiam pani benedixisse, non repugnabo.

Contradictio circa crucis signum.

§. 30. 13. *Pontificiorum in vetustissimo fractionis panis modo discrimen. Cautissimè obstruunt omnes rimas non candidiores quidem*

Pontifi-

Pontificij, qui non invident aliquam veritati apud se lucem, sed curiosiores, ne uspiam aliquid admittatur, quod Missaticum idolum evertere aut subruere queat. Baronius *equidem* Cardinalis *Tom. 1. Annal. Eccesiast. p. 177. sect. 43. ad Ann. Christi 34. ita disserit.* Cæterùm, *inquit,* ut quæ scripta sunt ab Evangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione facilius intelligantur, operæ pretium existimavi, hîc intexere, quæ in antiquo Hebræorum libro rituali habentur. In Canone enim eorum hæc continentur. *In paschali convivio, posterior quæ esset mensa, non ut in aliis dierum festorum secundis cœnarum mensis bellaria apponebantur, sed tantùm à lege statutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, aliisq; rebus conditum: in eumq; primùm paterfamiliâs intingebat offam azymam, mox cæteri, sicq; consumebatur. Deinde idem paterfamiliâs tortam azymam, seu ut alij textus habent, dimidiam, sub mappa hactenus servatam in frusta frangebat, in tot particulas illam dividens, quot essent in cœna discumbentes, sicq; divisam singulis porrigebat, quo facto ipse poculum degustatum tradebat proximo, ille secundo donec poculum per totum convivium porrigeretur.* Insuper, quoniam secundæ illæ mensæ Judæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimum comparata: cum in cæteris secundis mensis esset communis quædam usitata benedictionis formula, in paschali secunda mensa post illam benedictam, cum distribueretur tota azyma, hæc verba idem paterfamiliâs dicebat. *Iste est panis ærumnæ, quem comederunt patres nostri in Ægypto: quisquis esurit, accedat & peragat pascha. Posthac idem accepto poculo benedicebat his verbis, Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti, &c. Sicq; delibatum, ut dictum est, poculum tradebat proximo, ille secundo & sic deinceps.* Hæc ex libro rituali Hebræorum. Cæterùm, quod est notatu dignissimum, non tantum apud Judæos vetus erat illa consuetudo, ut in secundis mensis sic libantes gratias Deo agerent, sed & gentiles ipsi in iisdem secundis mensis merum libarent diis & alia sacra facerent. *Athen. lib. 1. c. 9.* Hæc igitur ex Rituali veteri Hebræorum accepta, quantum conferant ad ipsam Evangelicam historiam de cœna Domini intelligendam, facilè percipi potest. Dominus enim, servato eo ipso antiquo Judæorum ritu, illud effecit, ut novis benedictionibus additis, novum institueret sacramentum: & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerunt instituta, in commemorationem omnium præstantissimi noviter accepti beneficii mutarentur. *Hæc* Baronius. *Cui*

Circa ritum fractionis cõtradictio.

consentit Benedictus Justinian. *Jesuit. Comment. in* 1. *Cor.* 11. *p.* 564.
§. 31. *& alij.*† *Contradicit tamen* Salmeron *tanquam ex professo Cardinalem castigans Tom.* 9. *tract.* 12. *p.* 75. Scribunt, *inquit*, quidam ex hæreticis, solenne fuisse Iudæis, ut, cum ad mensam accumberent, paterfamiliâs aut alius dignior, qui ad mensam consedebat, pané sumeret in manus ageretque Deo gratias, ac deinde fractum per partes distribueret convivis sumendum, velut de manu domini, priusquam alium cibum degustarunt. Ad finem verò eodem ritu circumferebant & poculum in festis diebus, ut hac ceremonia velut testarentur atque prædicarent se à Deo ali & in ejus gratia vivere, sed quicquid sit de hac consuetudine, certè hoc loco non est ad rem, quia jam mensa agni paschalis finita erat & communis cœna vergebat in finem. Neque servit hæc consuetudo religionis benedicendi panem, nisi ut locos scripturæ nobis eripiant, in quibus de benedictione Eucharistiæ est sermo & non de benedictione laudis, quæ illam excludat: propterea illam libenter deserimus, cum illa ex officina Martini Buceri prodierit. *Hæc Salmeron, ab hæreticis scriptum, ad eludenda scripturæ dicta natum, deserendum, Bucerianæ officinæ figmentum illum ritum tantopere à Baronio laudatum asserens.*

Salmeron Baroniũ castigat.

§. 32. 14. *Verborum à Christo in consecratione usitatorum obscuritatem. Obscurum & incertum etiamnum apud Pontificios est, quibusnam verbis Christus consecrarit & obtulerit in sacrificio apud ipsos jactato, etsi Concilij Tridentini obstet terror. Non igitur id certum est certitudine divina & revelatâ, sed certitudine humana & Ecclesiastica, si Concilium Tridentinum ad Ecclesiam & non potius ad Antichristi Synagogam transtuleris. Si autem antiquitatis decreto stãdum, quod aliàs crebrò intonant Pontificij, illi qui Concil. Tridentinum antecesserunt è Schola Theologi non ausi sunt id explicare, quibus verbis Christus explicaverit Patri suum sacrificium & in conseerando usus*
§. 33. *fuerit.* † *Videas illos in aliquot agmina adversaria conglobatos apud Salmeronem Tom.* 9. *tract.* 13. *& Iustinianum* 1. *Cor.* 10. *p.* 564. Non defuerunt, *inquit hic*, qui existimarent I. Christum nullis adhibitis verbis consecrasse, solâ voluntate ac potestate excellentiæ, soloque contactu aut externo aliquo signo. verba namq; Evangelistarum & Pauli, non obscurè indicant, cum Christus pronunciavit ea verba, *Accipite & manducate hoc est corpus meum*, præcessisse consecrationem: *idq; ex Marci narratione maximè confirmatur, qui cum de calice ageret, prius ait Apostolos bibisse, quam Christus consecratio-*

Circa verba consecrationis contradictio.

crationis verba proferret. Innocentius *Papa, l. 4. de offic. Miß. c. 6. idem in c. qui scelerate, de consecr. ubi* Archidiac. Armacan. *lib. 9. de q. Armen. c. 5. & 17.* Durand. *in ration. lib. 4. c. 44. n. 15.* Oddo Camerar. *in Can. dist. 3.* Francisc. Titelm. *ibid.* Mairon. *lib. 8. q. vn. art. 5.* Ambros. Cathar. *opusc. sing. Romæ excuso: in quo de sua, inquit, opinione:* Aufert prædicta opinio multas & veras difficultates, ob quas ridentibus hæreticis ita laborant nostri, sit fas vera loqui, ut vix unus cum altero conveniat. Hæc ut verè dixit Innocentius, solvit laqueum, à quo sese illi expedire non valent, Gabriel *lect. in Can.* 48. Petrus Aliacens. *lib. 4. q. 5.* Alex. Alens. *part. 4.* Rubionus *d. 8 q. 2. art. 3.* ALII II. PUTANT, adhibuisse quidem Christum in consecratione verba, sed longè alia diversa ab iis, quæ nunc usurpantur à sacerdotibus, nobis tamen prorsus ignota, *quæ indicantur, cum dicitur Christus benedixisse & gratias egisse, ut benedictio & gratiarum actio idem planè sint cum consecratione: ut* Justini, Irenæi, Cypriani, Ambrosii & Juvenci testimoniis *id probare conantur, in primis* Catharinus Compsensis *Episcop. loc. cit.* † *Communis tamen Theologorum sententia contendit, verba, quæ nunc ad consecrationem adhibentur, eadem prorsus ratione fuisse à Christo usurpata, quæ tamen non eodem modo ab omnibus explicatur. Nonnulli enim III. putarunt:* Christum secretò protulisse verba consecrationis, eademque postea audientibus discipulis iterasse, *dum eis sacramentum præberet; tùm ut intelligerent, quid sumerent, tùm ut cognoscerent, quam deinceps consecrationis formam secuturi essent. Alij IV. negant* semper in Evangelistarum narratioone rei gestæ ordinem retineri, *quamobrem consecrationis & communionis ordinem ita fuisse exprimendum. Accipiens panem benedixit dicens, hoc est corpus meum, accipite & manducate. At alij V.* admisso ordine verborum, dum Christus benediceret, gratias ageret, frangeret, ac distribueret, consecrationis verba pronuntiasse arbitrantur: *quod tamen VI. alijs, ut* Soto *in 4. sent. dist. 89. art. 2.* & Cornel. Jansenio *Concord. Evang. c. 171. non probatur, qui volunt,* Christum usum quadam benedictione gratiarumque actione illi aliàs consuetâ, *deinde fregisse, tum porrigendo dixisse, hoc est corpus meum, & consecrasse.* † *Has suorum opiniones enumerat & in primam se inclinatißimum monstrat* Justinianus, *dū illam à nonnullis frigido non solum, sed prorsus inani argumento temeritatis damnari asserit & quæ contra eam mota sunt dubia diluit & ita aliorum quorundam censuræ severitati, ut ait, occurrit; quintam autem* (propter metum Judæorum) *amplecti se profitetur.* † Salmeron etiam

§. 34.

§. 35.

§. 36.

etiam loco cit. latißimè disputat pro utraq; opinione, licet fusißimè pro ea militet, quæ negat Christum eâ forma consecrasse, qua sacrificuli hodie consecrant. Primò enim *fundamenta ejus sententiæ, quæ iisdem verbis Christum sacrificasse, quibus hodie sacrificant sacrificuli, asserit, proponit*, 1. autoritatem Ambrosii *Tom. 4. lib. 4. de Sacram. c.* 4. Eusebii Emisseni *homil. 5. de pasch.* Gregorii Nisseni, *de bapt.* Chrysost. *Tom. 5. de prod. Iud.* Tertulliani *lib. 4. advers. Marcion.* Cócil. Florent. *Tom, 2. Concil.* Eugenii IV. Innocentii III. Pontificum. 2. rationes, tùm *à Christi imitatione nobis necessariâ in mysteriis*, tùm *à nostri sacramenti cum cœna prima identitate specificâ, de promtas.* Postea alterius sententiæ *(non iisdem verbis Christum consecrasse, quibus consecratur hodie,) innuentis, profert fundamenta. PRIMO, autoritatem etiam* Innocentii III. Innocentii IV. Oddonis Cameracensis Episcopi, Michaelis Maguntinensis Archiepiscopi: *DEINDE rationes* è sacris, tùm *ab antegressa efficaci benedictione ante verborum (hoc est corpus meum) pronunciationem*: tùm *à verborum horum, ad significandam aliquam conversionem (in consecrationis forma necessariam) ineptitudine*: tùm *à notatione actualis (& perfectæ jam) existentiæ corporis sub pane his verbis factâ, quum tamen forma consecrationis rem in fieri notare debeat. TERTIO rationes* ab analogia fidei: tùm *quia Christus nullis verbis adstrictus ob excellentiæ potestatem*: tùm *quia hæc opinio minores patitur difficultates*, tùm *ex pronomine hoc*, tùm *ex substantivo est*, tùm *ex tota oratione ebullientes.*

§. 37. *An verba hoc est corpus meum, enunciativa, an recitativa? Contradictio.*

Movet etiam quæstionem, An verba, hoc est corpus meum, enunciativè, an verò recitativè tantum intelligenda? Quod enunciativè *intelligenda sint, ait quosdam ita probare: 1. quia si non enunciativè, sed tantùm recitativè intelligenda sunt ea verba, sequetur non esse necessariam intentionem peculiarem sacerdotis: 2. nihil efficeretur illis verbis, sed ab aliis factum solùm narraretur. 3. Falsa esset regula Theologica, Sacramenta id efficiunt, quod significant. 4. nō fieret consecratio. 5. sacerdos non ageret in persona Christi. Quod autem* recitativè *non* enunciativè *sint intelligenda, probat, ex modo proponendi verba in Canone, qui recitativus est: ex Concilio Florentino &* Catholicis *viris id asseverantibus: ex facilitate, quâ secundum hanc sententiam ad omnes prioris sententiæ rationes responderi potest.*

§. 38. † *Tandem concludit.* Jam prudens lector suo fruatur judicio, nulli præscribimus, & quam velit magis amplectatur sententiam, donec Ecclesia aliud statuat atque decernat: cujus judicio per omnia est acquiescendum. Non dissimulabo, quod in Concilio Tridentino, cum quidam Theologi id

gi id peterent, ut explicaretur forma, qua Christus confecit hoc sacramentum, auditis hinc inde rationibus, nihil hîc esse definiendum, prudenter patres censuerunt. *Hactenus Salmeron, incertissimum esse docens, an eadem Christus sacrificarit formâ, qua sacrificatur hodie. Vnde certè illud emergit, cujus forma aut non clarè aut nequaquam in verbis Institutionis extat, id non facilè imò nunquam ex iisdem elici potest. Cum à formæ institutione res ipsa pendeat. Huc faciunt illa duo Catholicorum argumenta à Salmerone recensita.* † *Primum est. Nos Christum imitari debemus conficientem. Sed Pontificij nos utimur his formis: igitur Christus illis consecravit. Adde: aut si Christus illis non consecravit, nec nostrum erit illis consecrare. Consecratio igitur nulla est, in qua tamen missæ consistit essentia Bellarmino, Salmerone, Conincio, Valentia, &c. judicibus: Itaq; missæ essentia nulla est. Alterum est. Si non ista forma confecit Christus, sequitur quod nostrum sacrificium sit alterius speciei ab illo sacrificio Christi: quia quæ diversas habent formas, diversa sunt seipsis. Addo. Aut ita; Christus non obtulit, quod hodie offertur, aut planè non obtulit. Vnde nec nobis offerendum hodie. Vide Bellarminum lib. 4. de Sacram. Euchar. c. 13. §. Ex eodem. & §. Quod attinet. Cadit igitur Missa. Certè, si aliquis esset proprius & externus actus sacrificatorius in sacramento Eucharistiæ, qui sacrificatorius actus, iactant ut Pontificij, vinculum & Palladium religionis Christianæ esset: meritò expressus esse debuisset clarioribus literis in sanctissima Institutione, cum alij actus minus principales & separabiles secundum aliquas circumstantias sint lucidissimè positi. Indignum est in eo ita digladiari, nec id voluisse explicare Concilium illud sumtuosissimum, in quo cor & anima missæ est. Certè à forma primæ oblationis missaticæ, si aliqua à Christo fuit facta, & regulatur & vegetatur omnis actio sacrificialis sequens. Magnam itaq; Pontificij malè de Missa suspicandi occasionem hic subministrant.* §. 39.

15. *Objecti, ad quod verba Christi diriguntur, considerationem. Iteratum est aliquoties, sacrificij essentiam consistere in consecratione, juxta mentem adversariorum. Ita ait* Alfonsus Salmeron *Tom. 9. tract. 29. p. 224. Ita* Bellarminus *lib. 1. de Missa, c. 27. p. 341.* In consecratione, *inquit,* res illa sacra ex profana effecta Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Nam victimam in altari ponere est re ipsa illam Deo offerre. & quia vi consecrationis fit, ut corpus Christi & sanguis incipiat reipsa esse super latare, mediante manu sacerdotis, ideoque verbis consecrationis vera & solennis oblatio celebratur. *Et illud deinde,* Salmeroni, Barradio, Bellarmi- §. 40.

no, Baronio, &c. *constat*, verbis Christi, *hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*; consecrari. *Unde ex objecto, ad quod verba illa diriguntur, cognoscitur, consecrationem hîc non esse oblationem sacrificialem. Si enim consecratio hîc esset sacrificij constitutio & oblatio, sequeretur missam habere pro objecto ipsos Apostolos ad Apostolos enim dictum* pro vobis. Aut *enim una oratione continuata verba*, hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, *ad Deum, cui offerendum, dixerat*, aut *verba dispescuit*, & hoc est corpus meum *ad patrem suum*, quod pro vobis traditur *ad discipulos dixerit. Posterius miram saltitationem & catastrophen incommodam in sanctissimum* Christi *mysterium introduceret. Prius constare nequit. Quomodo enim Deum attinet, quod pro vobis traditur? Si autem Apostolos respicit, Quomodo in oblatione ad Deum simul ad Apostolos transiliret? Nulla itaq; hîc oblatio.* † *Exinde alterum quoq; fluit. Dicitur hîc, corpus pro Apostolis tradi & sanguis pro ijsdem fundi, non exclusivè, sed simul etiam pro multis: hoc est pro humani generis expiatione universali & generali, quæ neminem excludat, ut ex ipsis Pontificijs quidam interpretantur. De ea igitur traditione corporis & fusione sanguinis hic sermo est, quæ non est applicatio particularis, sed acquisitio universalis: quæ non paucos, sed universitatem generis humani respiciat. Talis est sola cruenta; non missatica. Non est hîc ergò consecratio aliqua sacrificialis.* † *Fatetur id Barrad.* Tom. 4 Conc. Evang. lib. 3. c. 5. sect. 22. *Urges*: in passione sanguis Christi effusus est pro omnibus hominibus, at apud Matthæum & Marcum dicitur fundendus pro multis, apud Lucam pro vobis, id est, Apostolis. Respondetur, in passione effusum esse sanguinem pro Apostolis & pro omnibus hominibus sufficienter, ut ajunt Theologi. Omnes autem homines multi sunt. Cum ergo Dominus ait, qui pro vobis & pro multis effundetur, idem est ac si diceret, qui pro vobis & pro omnium hominum multitudine. *Euthymius Zygabenus* h. l. *dicit*. Multos hic Christus innuit omnes. *Theophylactus* h. l. Pro multis *dicit Christus* effundi sanguinem, *id est*, pro omnibus, sunt enim & omnes multi. *Explodendus est igitur Bellarminus, qui* c. 12. lib. 1. de Missa statuit, *etiam in Eucharistiæ prima celebratione pro multis factam esse oblationem incruentam, non pro Apostolis tantùm. Quo enim non dicam argumento, sed levissima conjecturæ indiculo hoc vel ex verbis Institutionis, vel ex antiquitate purâ deducet? Nos ex duplici hac consideratione sacrificij introductionem intercludimus.*

[Margin notes: *Contradictio hypoth. Pōt.* (beside "pro vobis. Aut enim…"); §. 41. (beside "Deum simul ad Apostolos…"); §. 42. (beside "est hîc ergò consecratio…")]

16. *Transſubſtantiationis, ſummi Miſſæ fulcri, in verbis Inſtitut. ignorationem. Stante tranſſubſtantiatione ſtat miſſæ ſacrificium. Cadente eâ cadit hoc. Fatetr hoc Alfonſ. Salmeron* Tom. 9. tract. 16. p. 109. *Ubi rationes pro tranſſubſtantiatione adducit, riſum teneatis amici, tales.* Secunda ratio ſit ex adoratione, quia cum adoremus id, quod delitéſcit ſub ſpeciebus, ſubſtantiam panis, ſi ibi eſſet, adoraremus. Tertio ratio ex ſacrificio deſumitur: id enim ſacrificatur, quod latet ſub ſpeciebus panis & vini. Et ſi lateret panis, ille etiam ſacrificaretur. Quod valdè derogaret nobilitati & dignitati Novi Teſtamenti. Majora enim & nobiliora Patres olim, quam nos Deo obtuliſſent. Quarta: quia in Novo Teſtamento non eſſet unica hoſtia, contra Paulum, ſed eſſent tot hoſtiæ, quot ſunt ſubſtantiæ panum diverſorum. Quinta: quia videtur, quod ſubſtantia panis debeat cedere Deo, advenienti in ejus reverentiam, *quemadmodum idolum* Dagon ceſſit arcæ Domini. Sexta, quoniam ſi eſſet ſubſtantia panis in Euchariſtia, panis eſſet communis, & ſic non eſſet purè ſpiritualis refectio, ſed corporea & non diceretur panis ſuperſubſtantialis. Septima: ſpecies non deducerent immediatè ad Chriſtum, ſed ad ſubſtantiam panis. Octava, quod non eſſet myſterium fidei Euchariſtia, ſicut eſt ablata ſubſtantia: ſicut ea poſita multa miracula de medio tollerentur, in qubus credendis viva exercetur fides. † *Hæc* Salmeron Jeſuita, *docens in tranſſubſtantiatione* adorationis, conſtitutionis, unitatis, reverentiæ, puritatis, immediationis, myſterii in ſacrificio miſſæ requiſitorum *rectitudinem fundatam eſſe. Si itaq; tranſſubſtantiationis, tanquam maximi Miſſæ fundamenti, autoritas è ſcriptura probari non poteſt, nec ſacrificium miſſaticum ex eadem probari poterit. Et ſi tranſſubſtantiationis è verbis Inſtitutionis ſanctiſsimæ ratio depoſci nulla poteſt: nec Miſſæ ſufficiens ratio exinde deduci poterit.* † *Non poſſe autem tranſſubſtantiationem ex Inſtitutionis verbis probari, tùm experientia probatur, tùm fatentur Pontificij. Salmeron certè loco allegato ita loquitur.* Quibuſdam tamen viris (Catholicis) & ſcriptoribus viſum eſt, hunc articulum ex ſola ſcriptnra vel ex ſolis rationibus non poſſe contra hæreticum convinci, ſed tantùm ex Conciliorum definitione & Patrum traditione. Nam facile eſſet ſolvere locos ſcripturæ citatos & rationes. Ideò in Patrum traditione magis ſtandum illis videtur, quæ abſque dubio, ut annotavit Scotus in quarto, poſteros ad credendam rem tam difficilem non obligaſſet, nec ipſi eam tam conſtanter aſſeveraſſent, niſi res

[Right margin: §. 43. — *Salmeronis pro tranſſubſtantiatione rationes ridiculæ.* — *Salmeron panē Euchar. Dagoni, corpus Christi arcæ Domini cōparat.* — §. 44. — §. 45. — *Contradictio Pontif.*]

hæc accepta esset ab ipso Christo per Ecclesiæ columnas tradita; præsertim cum posita substantia panis commodè salvari possit Christi præsentia ibi & effectus suæ gratiæ, & miracula multa excusarentur, quæ nisi fide suadente multiplicare non debemus. *Hæc* Salmeron *ex mente* Johannis Pici Mirandulani, Langii Max.II. consistorialis, Cassandri, Johannis Roffensis Episcopi, Bened. Ariæ Montani, Tanneri Jesuitæ.

§. 46. *Verba datur, funditur, cōsiderantur.*

17. *Verborum, datur vel dabitur, funditur, vel fundetur in verbis Instit. excussionem. Plurimi è Pontificijs, cum in reliquis verbis parum inveniant subsidij, aut potius nihil, ad verba* τὸ διδόμενον τὸ ἐκχυνόμενον *confugiunt: quæ quia præsentis sunt temporis, actionem seu dationem & effusionem notant, quæ tum temporis in ipsius sacræ cœnæ celebratione esse potuit. At nulla nisi incruenta datio & effusio in sacra cœna locum habuit. E. illa intelligitur. Ita* Salmeron, Alfonsus, Castrius, Bellarminus, Huntlæus. *Nos observamus.* 1. *In verbis datur & effunditur esse enallagen, qua præsens ponitur pro instanti jam jam & immediatè eventuro. Hæc* Gregorius de Valentia *lib.* 1. *de Missa, c.* 4. *p.* 686. §. *Respondeo, quod, ait.* Alfonsus Salmeron *Tom.* 1. *proleg.* 15. 15. *p.* 282. *& Tom.* 9. *p.* 203. Johann de la Haye *Iesuit. In Triumpho Verit. c.* 170. *ex* Euthym. Zygab. *in* 26. *Matth. p.* 259. Alfonsus Castrius *lib.* 1. 0. *p.* 209. Estius *in Epist.* 1. *Cor. p.* 408. Sebast. Barradius *Tom.* 1. *lib.* 3. *d. c.* 4. *p.* 59. *Negat hanc enallagen in his verbis contra tantæ autoritatis Socios suos* Jesuita Huntlæus *p.* 258. *& vocat eam detorsionem, depravationem, pugnantem cum verbis Euangelistarum, novatoriam, contra proprietatem & perspicuitatem, deceptoriam, lusoriam. Conveniat igitur ille tam rigorosus disputator cum suis & Herberus, pro ea, qua societati adhæsitat, fide de seriâ conciliatione cogitet.*

Contradictio circa ἐναλλαγήν.

§. 47. † *Notamus deinde, frustraneum esse Pontificiorum* χρυσοφύγετον, *qua dicunt excepto Huntlæo superiores omnes, posse utrumq; sensum in illis verbis admitti & non solum intelligi posse oblationem in cruce, sed & oblationem missaticam. Nam primus sensus excludit sensum alterum. Imò primus sensus exhaurit verba & est sufficiens intentioni sanctißimæ Salvatoris, tum sensus secundus nequaquam potest probari ex sensu primo. Repugnat enim ei. Id satis supra evicimus. Porro etiamsi non pugnet, demonstretur tamen prius aliunde ejus veritas, antequam inferatur his verbis. Quis me coget, aut quo argumento adigar ego, ut hunc sensum cum primo admittam. Nullus, nullus, è SS. PP. classe hunc sensum verbis illis infudit, aut è verbis elicuit. Videatur* Johann. de la Haye *in Triumpho veritatis, in quo Evangeliorum* 4. *habet è Patribus exegesin.*

exegesin. Quando unus sensus ex altero elici debet, tum sensus illi subordinati sunt & aliquo necessariæ connexionis vinculo cohærent, secus non ausit id Interpres bonus. Neuter verò sensuum horum necessitate aliqua sibi cohæret. Fatentur id è Pontificijs plurimi. Non igitur vel cointelligi, vel unus primò, alter secundò in verba admitti debet. † *Animadvertimus tertiò Tridentinum anathema incurrere Pontificios, quando à Latina versione recedunt, cujus sacrosancta & sub anathematis fulmine non violanda non deserenda est autoritas. Illa habet,* dabitur, effundetur. *Non ergò loquitur de datione & effusiione præsenti. Si de futura, quæ ratio est, cur non summam illam, admirabilem, consummatißimã, prædicatißimam in cruce vel solam vel potißimam intelligam, quam aliam aliquam ex nescio quo antro proreptantem.* Huntlæus, *ut audivimus, illis titulis exornat hanc versionem, quibus enallagen* Castrius: *ait, Non poßum non mirari, quare interpres antiquæ translationis in omnibus tribus Evangelistis verterit verbo futuris temporis, cum in omnibus tribus Evangelistis habeatur Græcè participium præsens. Fortè ille transtulit in præsenti, & postea idiotæ scriptores rem non intelligentes putarunt se emendare literam, & illam corruperunt. Ergo* Castrio *divinatore corruptus est* Latinus vulgatus. *Consensus unanimis Evangelistarum cum Paulo movet* Castrium, *ut hoc cogitet. Fuissent* Tridentini Areopagitæ (*namq; & illi judicarunt in tenebris*) *monendi de restitutione textus in suam integritatem. Aut forsan corrrupta est mens Papistæ, quæ, febrientium instar, similia sibi judicat etiam rectissima. Puto, si ad gustum* Castrii *fecisset Latinus, reclamante Græco textu, Græcum corruptum clamitasset.* Estius *ingenuus est hic: Ita habet.* Quod pro vobis tradetur. Scilicet in mortem. Hunc quidem sensum palàm exigit lectio nostra, quæ est in omnibus codicibus Latinis, ut traditionem intelligas, non qua Judas, aut Judæi, aut Pilatus tradiderunt Dominum, sed qua Dominus à seipso traditus est in mortem juxta Scripturas *Esa.53.Gal.4.Eph.3.* 1.*Pet.2.* ut his verbis immensa charitas erga genus humanum insinuetur. *Ita* Adrianus Hofstadius minorita *Sermon.33.p.322. ait,* Christum dum inquit, se dare corpus & fundere sanguinem suum, voto & desiderio, non actu tum temporis id fecisse. Id autem censeri quoque apud Deum fieri, quod voto solo & desiderio fit.

§. 48. *De vulgata Latina edit.*

Contradictio.

Bellarminus & Huntlæus alium prætextum contra textum quærunt. Ajunt, verbis futuri temporis in Institutione notari incruentam dationem corporis & effusionem sanguinis usq; ad mundi consummationem continuandam in sacrificio missæ. Sequitur verò hinc, pro Apo- §. 49.

 stolis

stolis usq; ad mundi consummationem, incruentè in remißionem peccatorum sacrificandum in missa, quod ἄθεον καὶ ἀθεόλογον &, quibus præstigiis glossam hanc in veritatis lu... m producunt? Papisticis, hoc est, emendicatis vel ementitis. † *Tum effusionē sanguinis, in sacrificio missæ explicaturi miris sese somniis implicant. Fides Pontificia est*, inquit Hofstad. p. 323. *Christum seipsum obtulisse oblatione incruenta, hoc est, absq; effusione sanguinis, in sua clara naturâ. At contra aliam triplicem excogitant Pontificij alij effusionem sanguinis, quæ in ipsa etiam fiat cœna. Explicat illam præter* Jansenium, Bellarminum, & alios Huntlæus *p.* 271. Primò, *inquit*, sicut in V. T. sanguis separatur à corpore gladio materiali, quem deinceps sacerdotes vase excipiebant, ita in cœna novissima gladio spirituali, nempe verbo suo sanguinem, ut erat sub forma vini, reipsa separavit à corpore suo, (Pro nobis, hæc faciunt qui non naturaliter, sed sacramentaliter per verbum institutionis separari corpus à sanguine dicimus) quod erat sub forma panis, suumque sanguinem calice, quem manu tenebat, excepit. Deinde, quando Christus sumpsit suum sanguinem, sanguis Christi effusus fuit super altare nostrum mysticū, quod est Christus. Denique in cœna sanguinem suum fudit seu sparsit super populum. † Hanc Huntlæam *effusionis explicationē* Hofstadius subtiliorem Philosophiam *nominavit. Sed quid nobis cum illa? Improprietatem quandam in se continet inq; clarißimam verborum lucem fundit tenebras. Non enim speramus eò dementiæ prolapsurum Herberum, ut propriam dicat. Nec est sacrificialis. Nec enim separatio illa, quæ gladio spirituali facta, nec fusio Christi in se tanquam altare mysticum, nec sparsio super populum sacrificium est. Non enim separatio oblatio est. Fusio verò bibitio erat. Sparsio tandem populum tetigit. Concedamus, impropriè dici fundi sanguinem, quando à Christo quasi in calicem statuitur, ut nos bibamus. At hoc impropriè dictum est. Ipsum verò factum non sacrificationem attinuit, sed potationem nostri. Non igitur sacrificans in cœna sanguinem effudit, sed sacrificaturus in cruce. Tandem igitur vis veritatis extorsit Castrio hæc verba*, Christus dicit, se corpus suum tradere & sanguinem suum fundere, quod verè dici non posset, nisi quia tunc corpus suum ad passionem postea tolerandam, & sanguinem ad effusionem postea faciendam obtulit. † *Huntlæus* p. 289. *ait, colligi ex eo, quod corpus Christi pro nobis datur, sanguis pro nobis funditur, non esse dationem & fusionem sacramentalem ad participandum, sed sacrificialem: aliàs dixisset Christus, hoc est corpus meum, quod vobis, non pro vobis datur. Estius verò*

§. 50. *De fusione sanguinis somnia Papistica.*

§. 51.

§. 52.

verò pag.469.Comm. cit. illis verbis, hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur, notatam intelligit effusionem calicis in ora discipulorum. En ἀντίφασιν?

Repetimus quartò. Pontificij in controversia de præsentia corporis & sanguinis in Eucharistia contra Calvinianos ajunt, verba illa, quod pro vobis datur, funditur, traditur, frangitur, hoc agere, ut realitatem & substantiam corporis Christi. quæ actiones has propriè recipit, denotari. Ita Bellarminus lib.1.c.10. p.169. & in primis Gregor. de Valent. lib.1.de præsent. Christi in Euchar. c.3. p.483. Hujusmodi additiones certè determinant proprietatem antecedentium affirmationum. Atque ideo Apostolus, quoniam metaphoricè intelligi voluit illud, Petra autem erat Christus, simpliciter id dixit, neque addidit, ille ipse, qui crucifixus est pro nobis. Jam verò verba illa, quod pro vobis tradetur, quæ Christus adjunxit, minimè quidem significant, virtutem illam reficiendi è cœlo nostris animos, quam caro Christi unita cum divinitate habet: sed significant Christi corpus seu sanguinem fuisse pretium nostræ redemtionis. Quod neq; est illa reficiendi virtus, neque propria & proxima causa ejus, licet id quidem accedere quoque debuerit, ut ea Christi virtus in nostros animos sese exereret. Quare reliquum est, ut determinaverint illa Christi verba proprietatem antecedentis affirmationis. *Iudice igitur Valentiniano insignes illa in corpore Christi, cum in ara crucis sacrificaretur, commissæ actiones insigniter determinant veritatem præsentiæ realis. Actiones illæ non sunt actiones in missâ. Nec actiones in missa sufficiunt ad προσδιορισμὸν illum constituendum. Sunt enim obscuræ & impropriæ. Nec immediatè attingunt corpus Christi. Cur igitur dationem & effusionem missaticam illis notatam verbis in controversia de missa volunt. vide Bellarmin. lib.1. de miss. cap.12. §. ad quintum.* §. 53. *Contradictio.*

18. *Fractionis in dominica Institutione naturam. Pontificij in vocabulo fractionis porrò suam missam quærunt. Sed non inveniunt. Ita argumentatur post* Bellarminum, Salmeronium, alios, Huntlæus *p. 270.* Est, *inquit,* Phrasis ista incruentorum sacrificiorum propria, desumta ex ritu, quo Sacerdotes legis ex mandato Dei utebantur in immolatione sacrificiorum incruentorum. Ita enim quæ incruentè offerabantur Deo, cum essent ex rebus inanimatis, quæ occidi non poterant, solebant frangi & contineri. Sensus igitur literalis & proprius horum verborum, quod pro vobis frangitur, est iste, quod pro vobis incruento modo sacrificatur: &c. §. 54. *De fractione.*

tur:&c. At 1. Quæ est ratio, corpus Christi in Eucharistia frãgitur. E. sa-
crificatur. Significatne frangitur tantum sacrificatur? Si non, cur hîc?
Sit fractio in sacrificijs incruentis usitatus ritus. Non tamen in solis in-
cruentis sacrificiis est usitata. Actio communis est, modo ad hanc, modo
ad aliam materiam accommoda. Frangere autem impropriè sacrificare
significat. Actio præparatoria in sacrificiis V.T. quibusdam fuit. Non igi-
tur, quæ ipsum sacrificium ingressa esset. 2. Si actionem missaticam hîc
instituere Christus voluisset, certè clarioribus verbis usus esset: inprimis
§. 55. in principali hoc mysterio, quod jactant Pontificij. † 3. Cajetanus in Ep.
Contra- 1. Cor. c. 10. c. 59. ed. Ven. ait. Non est cur Latinis horrori sit hæc par-
dictio. ticula, cum verissimum fuerit, verum Christi corpus multipliciter
fractum fuisse. Nam & fractum fuit quantum ad cutem, cum fla-
gellatum fuit à Pilati militibus, fractum quoque fuit quantum ad
carnem & in manibus & in pedibus clavis, quibus fixus est in cru-
ce: & fractum demum est in latere, cum unus militum lancea la-
tus ejus pupugit, &c. ubi omnia ad sacrificium in ara crucis accommo-
dat. Favet August tr. de 4. fer. Beda Com. Luc. 22. Probat hanc expli-
cationem Barrad. T. 4. l. 3. c. 4. n. 13. Vtcunq; tolerandam nominat Bel-
larm. in l. 1. de miss. c. 12. Non omninò solidam vocat Estius Com. cit.
Admittit eam Justinian. Com. cit. p. 566. Huntlæus verò adversariam
§. 56. & manifestè absurdum appellat p. 262. † 4. Estius l. c. verba hæc
ad divisionem & fractionem ad species panis transmutati, quæ frangun-
tur refert, eò quod fractio corporis in sacramento mystica quædam re-
præsentatio sit passionis in cruce, ut panis fractus intelligatur, qui in
cruce attritus est ob scelera nostra. Es. 53. At ubi hîc sacrificium, si vel
maximè hæc concesserimus. Sacrificium fit in consecratione, fractio hæc
Contra- specierum post eam. Vidit hoc Huntlæus p. 270. Itaq; Estio contradicit
dictio. audacter. Non negamus, inquit, istam fractionem Eucharistiæ & mysticè
repræsentare Christi fractionem in cruce factam, quando anima ejus se-
parata est à corpore, sed hic non agitur de mystica significatione huius
§. 57. fractionis, sed literali propriâ & germana: &c. Concilia! † 5. Estius sta-
tuit non factam esse duplicem fractionem in sacramento cœnæ,
sed unam & eandem esse, quam Paulus post, Evangelistæ ante cõ-
Contra- secrationis verba memorant. p. 409. Vnde Iustinian. loco cit. proba-
dictio. bilissimũ statuit, fractionem quæ fit in sacrificii celebratione con-
secratione priorem fuisse. Nihil iterum pro cruento sacrificio. Si enim
est actio consecratione prior, non necessariò sacrificium aliquod innuit.
Illud enim in ipsa consecratione consistit essentialiter. Vidit hoc Hunt-
læus p. 268. & proinde rursus Estio & Iustiniano contradicit & dupli-
cem

cem fractionem, unam sacramentalem, sacrificialem alteram statuit. † 6. *Fractio, quam Pontificij hic urgent,* SINE DUBIO non habet Dominum autorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit vel ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim à consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem, multis aliis actionibus interjectis, & non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum, *ait Bellarm. lib. 1. de Mißa, c. 27. §. Porrò.* † 7. *Calvinismo servit hæc ipsa fractio: qui ob repræsentationem suam fictitiam ejusdem necesßitatem urgent.* Piscatorem, Bezam, *Marpurgenses & Cassellanos vide. Si enim necesßitatem ejus defendunt, ut faciunt, Papicolæ, struunt Calvinismo argumentum. Si liberam eam judicant, missa cadit.* † 8. *Photinismo favet. Sic enim* Ostorrodus *Socini discipulus, celebris Arianismi novi defensor, Instit. Germ. p. 34. c. 38. ait: Dicimus, quod Christus propter nullam aliam causam panem corpus suum & vinum sanguinem suum appellaverit, quam quod, quatenus panis frangitur & comeditur, vinum autem in calicem effunditur & bibitur, corporis sui pro nobis fracti & sanguinis sui pro nobis fusi figura & expressa imago sit, qua mortis Domini recordamur.*

§. 58. *Contradictio.*

§. 59. *Pontificij Calvinizant.*

§. 60. *Pontificij Photinizant.*

19. *Novi Testamenti in Instit. memorati evolutionem. Nam & ex illis verbis missam suam exsculpere tentant. Ita Huntlæus post alios p. 275.* Constitutio & dedicatio Novi Testamenti necessariò postulabat sacrificium propitiatorium. Sed in cœna constituit Christus & dedicavit Novum Testamentum: *quod probat* 1. quia id Lucas & Paulus affirmant: 2. quia id suadet similitudo inter Vetus & Novum Testamentum: 3. quia adfuerũt omnes proprietates: libertas testantis; voluntatis motus & significatio: testes fide digni: Legatũ: hæredes: tabulæ: vita & post illam mors: QUÆ IN CRUCE NON FUERUNT. *E.* In cœna quoque sacrificatum est. *Idem habet* Alfonsus Salmeron *Tom. 9. tr. 21. rat. 4. p. 144.* Bellarm. *lib. 1. de Sacram. Euchar. c. 11. p. 174.* Huntlæo *opponimus* Alfons. Castrium *lib. 10. p. 295.* †. Falsum est, *inquit,* quod missa sit testamentum: *rationes habet: quia* testamentum est promissio morte confirmata: *Eucharistia* autem est donum ante mortem: *quia* remissio peccatorum non est hæreditas, *ut vult Huntlæus,* hîc legata: *quia* non est promissio morituri: *quia* ferè nihil, quod ad rationem testamenti pertinet, illi convenire potest: *quia* in Eucharistia non est sententia voluntatis Christi: *quia* in Eucharistia deest testator: & si Christus statueretur testator, toties moreretur, quoties ea cele-

§ 61. *Contradictiones Pontif. de Testamẽto in cœna constituto.*

§. 62. *Huntlæo Castrius contradicit.*

celebratur. *quia* defuerunt teſtes. nam Apoſtoli ſolum præſentes aut certè hæredes fuerunt: *quia* deeſt hæreditas. illa enim non eſt remiſſio peccatorum: alias peccatores eſſent hæredes Dei, *quod,*
§.63. *Rom.9. juſtis ſolis competit. Hæc ex* Caſtrio *emblemata.* † Salmeroni
Salmeroni Salmeron contradicit. *opponimus* Salmeronem, *qui Tom. cit. tract. 31. p. 241. idem negat, nimirum* in Euchariſtia ſtabilitum eſſe & dedicatum N. Teſtamentum, & illud in cruce confectum conſtitutumque Bellarmino *opponimus lib. 4. de Euchar. c. 28.* † *Nos autē Chriſtum cōdidiſſe in Eucha-*
§.64. *riſtiæ Inſtit. teſtamentū cōcedimus. Anne verò propterea in ipſa Euchariſtia ſacrificiū aliquod externum habitum? Nō ita. Teſtamētum ſacrum requirit realem & cruentam ſanguinis effuſionē, ex natura V. Teſtamenti. Illa eſt facta in ara crucis. Nec eſt aliqua & tanta diſtantia, ut fuſio ſanguinis in ara crucis non poſſit dedicationi N. T. commodare. Nec funditur ſanguis in teſtamentorum conditione neceſſariò, ſed in confirmatione. Sanguis in ſacro V. T. fuſus fuit, ut ſequeretur mors, repræſentans mortem Chriſti vivificam. Et ſequeretur, ſemel inq; prima miſſa tantùm fuiſſe incruentè fundendum ſanguinem: Ibi enim dedicabatur N. T. Cur ergò hodiè offertur & ſacrificatur? Semel confirmatum cur toties confirmandum?*

§.65. 20. *Remiſſionis peccatorum, de qua verba Inſt. ponderationem.* *Quærit* Huntlæus *etiam hoc in loco ſacrificium: vide p. 284. At vide* contra dictionum *& hic farraginem.* Nonnulli, *inquit,* Salmeron *T. 9. p. 186.* fuerunt, quos inter dicendum ſententias ſuas ipſe audivi Tridenti, qui Euchariſtiæ inſtitutionem ob id factam docuerunt, ut paſſio quidem Chriſti pro peccatis præteritis neceſſaria fuerit, pro remiſſione verò futurorum neceſſariò fuit aliquod ſacramentum condendum. Nec enim videtur æquitati aut rationi conſonum, quod pater punierit filium pro peccatis futuris nondom actu perpetratis: atque hoc ſacramentum fuiſſe Euchariſtiam. † *Contradicit HIS CATHOLICIS* Salmeron, *eorumq;*

Contradictio de Remiſſione peccatorum. Chriſtus nō eſt paſſus pro peccatis poſt paſſionē.

§. 66. *rationem prorſus falſam eſſe ait. Quanquam ipſe ſui immemor infra p. 241. idem cum illis ſentiat.* ſicut ſanguis, *inquit,* in cruce fuſus cōfirmavit remiſſionem peccatorum veteris Teſtamenti, id eſt, eorum, quæ ante primam gratiam adeptam perpetrata fuerunt, ita ſanguis, qui myſticè funditur in Euchariſtia, ſtabilem & firmam reddit remiſſionem peccatorum Novi Teſtamenti, id eſt, eorum,
§. 67. quæ poſt primam gratiam adeptam committuntur. † Huntlæus *ſtatuit, p. 257.* corpus dari & ſanguinem effundi in remiſſionem peccatorum. *Negat id* Bellarm. *lib. 4. de Euchar. c. 19. p. 284. Atqui*

Verò

verò, vel diversa est virtus & essentialiter distans à sacramento Eucharistiæ in sacrificio missæ, aut sacramentum Euchar. æquè est in remissionem peccatorum, quam sacrificium missæ, aut neutrum est in remissionem peccatorum, & ita verus & maximus finis hujus mysterij, quoad omnem partem, non est expressus in Instit. verbis clarißimis.

Ajunt porrò, *sacrificium missæ applicare indeterminatum & omnibus commune Christi sacrificium in cruce, certis & definitis hominibus.* Et tamen asseverāt, *sacrificium missæ non tantū pro fidelibus, & pœnitentibus, sed etiam pro infidelibus, Iudæis, Hæreticis, Schismaticis & impœnitentibus, imò & pro totius mundi salute offerri. Huntlæus p. 287. Ergò infinitate sua in ipso oblationis actu & indeterminato perpetuoq; respectu æquat sacrificium in cruce, nec tantum applicat, imò non plus applicat, quam sacrificium crucis.* † Adde: *Dum applicativam vim tribuunt sacrificio Missæ, eandem illi subtrahunt. Si enim applicat Missa & sacrificium crucis ejusq; merita certo & determinato objecto confert, similis est sigillo confirmanti ac obsignanti. Sigilli enim impreßione arctißime & specialißimè alicui aliquid confirmatur, applicatur, confertur. Atqui non habet obsignativam & confirmativam ejusmodi vim missa. Loquatur Bellarminus. Ille lib. 1. de sacram c. 14. p. 24. in genere sacramentis denegat vim, per signatoriam quandam rationem promißiones Evangelicas, de virtute sacrificij crucis Christi, applicandi. Si igitur missa, qua sacramentum, hoc non præstat, quì id faciet, quà sacrificium? Missatica sacrificialis applicatio est intentione tantum & voce, quam nec audit, nec percipit fruiturus. Ita praxis testatur sacramentalis. Eucharistia fit quodam quasi contactu & suavißima in participatione approximatione.* §. 68. §. 69.

Concludat deinceps Bellarminus. Quod, *inquit*, promissiones ex parte nostra egeant confirmatione, vel fit, quia nescimus, quæ sint Dei promissiones & ex sacramentis discimus, vel, quia, cum sciamus, & illas promissiones Dei & hæc sacramenta Dei, tamen magis credimus sacramentis, quam promissionibus. Posterius falsum, quia scimus Dei veracissimi promissionibus nil esse certius. Prius falsum: nam sacramenta è promissionibus, non contra, discuntur. † *Cur non exterminat igitur Bellarminus omnia sacramenta & suum inprimis sacrificium? Stante profectò hac ejus ratione ibunt in exilium. Statuimus nos, sacramenta confirmare in nobis promißiones verbi, quia, universales cum sint, sacramentali virtute nobis applicantur & specialißimè conferuntur. Hoc Bellarminus memorato ictu petit. Dirigamus eum contra missam. Si missa applicat & ita con-* §. 70. §. 71.

firmat nobis virtutem crucis Christi promissionibus Evangelij decantatam, id fit, vel quia nescimus, quæ & quorum sit illa promissionibus comprehensa virtus, quodq; nos etiam involvat, idq; ex missa addiscimus: quod falsum: cum missæ virtus potius ex inde discatur: &c. vel fit, quia tam missæ, quam promissionum Evangel. virtutem nos involvere constat, magis tamen credimus missæ, quam his. Id verò Bell. judice iterum falsum. En contra Missam ex Bellarmino jaculum! Tandem igitur, quomodò remissio peccatorum applicetur in missa, explicare Bellarminus nescit. Certè multis suis hypothesibus ita reluctatur, ut eluctari nunquã possit. Herberus consulat, quomodo medendum Bellarmino. Desperatum ego censeo morbum.

§. 72. 21. *Commemorationis Christi in Euchar. faciendæ qualitatem. Quærunt & in his verbis pro missa sua argumentum ejus jurati Patroni. Inprimis operosus est* Salmeron, *quem* Huntlæus *& alij sequuntur. Nihil autem inveniunt. Imaginantur sibi, repræsentationem quandam quasi theatricam & similitudinem actionum hîc introducendam esse, ut Christus quasi in tragœdia ceremoniis certis & sacrificio traduceretur. Id putant indigitatum verbo memoriæ sive commemorationis. At* 1. *nullum vestigium mimicæ hujus repræsentationis in institutionis verbis deprehenditur.* 2. *Non ad repræsentandum, sed ad reficiendum hoc corporis & sanguinis Christi mysterium institutum est.* 3. *Commemoratio alibi per annunciationem mortis Dominicæ explicatur. Annunciatio autem non est ocularis quædam & typica introductio.* 4. *Memoria mortis Christi est repetitio beneficiorum sublimium, quæ mors Christi generi humano attulit & hoc mysterio ita transscripsit, ut in fidei gremium effusa ea singula acceptentur. Non igitur nuda est repetitio, quæ sola notitiâ & assensione terminaretur, sed fiducialis simul apprehensio & certissima appropriatio, Ps. 20. v. 8.* Hi in curru & hi in equis: nos in nomine Domini Dei nostri memorabimus. נזכיר cõfidemus, fiduciã omnem collocaturi sumus: nos Dominum nostrũ

§. 73. animo confidenti cõplectimur. 5. † *Sunt Põtificij, qui unam eandẽq; hostiam in cruce & Missa offerri dicunt, & ita quidem, ut sacrificium Missæ vim virtutemq; suam ex sacrificio crucis trahat, ab eoq; dependeat. Idque, quia applicat thesaurum meritorum & beneficiorum sacrificio crucis partorum. Ita Bellarminus, Salmeron, Alfons. Castrius, Pigghius, Estius, Barradius, Huntlæus aliquoties. Dignitatem igitur & virtutem expiandi, quam habet incruentum sacrificium, totam sibi mutuavit à* Christi *passione: inquit Salmeronius p. 235. T. 9. Contra:* tripli-

Contradictio. ci ratione planum fit, Christi oblationem in cœna, NEQUAQUAM

AB OBLATIONE IN CRUCE FACTA VIM SUAM ET POTESTATEM MUTUARI, *inquit* Salmeron, *p.*247. *Tom. eod.* Quanquam enim omnes suas actiones Christus patri pro nobis obtulerit, & propterea dici possint oblationes, nō tamen omnes sunt sacrificia, sed duæ tantum, (*NB. potest aliquid esse oblatio, quod non sit sacrificium apud Deum. id axioma sæpè violant Pontif.*) nempe oblatio sui ipsius in cœna & cruce, quia illis duabus tantum accessit actio mystica. Quæ ut exemplo aliquo illustrentur, sit vitis viginti palmitibus prædita, producentibus uvas albas, quorum nullus accipiat virtutem productivam ab aliquo alio palmite, sed ab ipsa vite immediatè. Ponamus deinde, duos palmites supremos uvas tam nigras, quam albas proferre. Ad hunc modum omnes Christi actiones à persona verbi & charitate humanitatis Christi in infinitum promerendi vim habent: & ita sacrificium cœnæ non accipit ab illo crucis, 1. quia illud cœnæ infiniti valoris fuit, & unū infinitum non est majus alio. 2. utraque oblatio ex eadem radice vim atque efficaciam habet. 3. secus injuria fieret Christo. *Hæc ex Salmerone.* † *Quid igitur singularissimum illud de annunciatione mortis Dominicæ mandatum?* 6. *Nec mirum, quod Evangelicam mortis Christi annunciationem & beneficiorum ejusdem ex ss. ll. recensionē posthabeant theatrali suæ Missæ, cum non magnam eidem commemorationi vim tribuant. Licet enim Bellarminus lib.*1. *de sacr. in gen. c.*13. *dicat, nihil fingi posse majus atq; efficacius verbo Dei, & proinde falsum esse, sacramenta esse efficaciora verbo Dei: sui tamen immemor negat,* Verbum Dei prædicatum immediatè justificare, *negat* vim habere aliquid supernaturale efficiendi, *ait* solum significare, nihil efficere, pendere à Deo non in usu, sed in institutione, ita ut non possim dicere, Deus loquitur per os ministri, ut dico Deus baptizat: negat verbum Dei prædicatum dependere à Christi passione & morte aut indigere ad virtutis suæ efficaciam Christi meritis, negat verbum Dei lectum aut prædicatum nos certos reddere remissionis peccatorum. *Quæ quo agitatore spiritu profusa fuerint, nemo, nisi eodem fatigatus, ignorat, qui contulerit hæc cum divinissima vividarum è verbo concionato consolationum praxi. Certè cum evidentiam dicti Rom.*16. *religiosius observare debuisset Bellarminus, quomodo in id Comm. fecerunt Estius & Iustinianus, non ausus fuisset producere suam illam glossam, qua ait, cum Evangelium dicitur virtus Dei ad salutem omni credenti, per Evangelium posse intelligi mysteria in eo revelata. Quippe involvenda Evangelio, nequaquam verò ab eodem separanda*

Missa suā vim non trahit ex sacrif. crucis, sec. Salmeronem.

§.74.

Contradictio de verbo Dei.

Blasphemia Bellarm. de V. D.

De dicto Rō.1. sententias Iesuit. contrad.

§.75. randa sunt mysteria. † 7. Quemadmodum & in injuriam mortis Christi, cum Christus dicitur agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Bellarminus ait libr. 1. de Baptis. c.22. §.2. Johannem nihil docuisse expreßè de Christi paßione. Nam quod vocavit illum agnum, potuit referri ad innocentiam & mansuetudinem, etiamsi victima non fuisset. Pecus sit, qui demonstrationem Iohannæam non intendere victimas Vet. Test. deprehendit. Contra Salmeron verò pugnat Tom.9.p.229. & alij hunc locum ad missam traducentes. Fausti Socini in part. 1. Theol. p.168. positam sequitur Bellarm. glossam, adeoq; Photinismo favet † 8. Pariter sanctißimum crucis sacrificium violat Huntlæus, quando pag.287. ait: Si Christus Dominus noster nullum reliquisset sacrificium missæ, imperfectum fuisse sacrificium crucis, & multis nominibus mancum sacerdotium Christi, cum illud non omnes juvare posset, nec ulli prima salutis initia adferre. Contra Salmeronem & alios, qui magno conatu disputant, missam non facere ad remissionem mortalium & acquisitionem gratiæ primæ, in qua prima salutis initia.

Contradictio. Bellarm. Photinizat.

§.76.

§.77. 22. Baptismi & Eucharistiæ comparationem. Ex illa etenim quoq; extruere missam suam allaborant. Quia enim Eucharistia in hoc differt à Baptismo, quod illa sola repræsentet mortem Christi factam, illa sola igitur Pontificiorum judicio sacrificium etiam esse debuit. Huntlæus p.208. inquit, perspicuum est, SOLUM SACRIFICIUM REPRÆSENTARE MORTEM CHRISTI, non sacramentum. & p. 206. Nec enim est, quod aliqui ex adversariis dicunt, baptismũ, etiamsi sit sacramentum & non sacrificium, nihilominus repræsentare mortem Christi. Non enim repræsentat mortem & resurrectionem ejus, qui baptizatur. † In hunc finem allegat Paul. Rom. 6,v.3.4. & seq. At Bellarminus innumeris penè in locis fatetur, Baptismum & sacramenta, quà talia, repræsentare mortem Christi: lib.1. de sacram. in gen. c.9. requis.5. lib. cit. c.15. lib.2. c.4. lib. 2. de effect. sacram. c.22. lib.1. de Baptis. c.9. arg.15. lib.1. de Missa, c.15. & alibi. Ita igitur argumentor. Nullum unquam sacramentum potest repræsentare mortem Christi nisi simul sit verum sacrificium. Propositio est Huntlæi. Baptismus repræsentat mortem Christi. E. Baptismus non potest non esse simul sacrificium. Aut si baptismus non est sacrificium, nec cœna Dominica sacrificium hæc ex causa erit. Quod ait Bellarminus lib. 1. de Miss. c.15. p.333. † Sed quid est illud, quod defensurus suam missã, ait Salmeron Tom.9.p.240. Baptizatis non applicatur Christus, ut hostia cruenta, Anne Baptizati sanguinem Christi mortemq; Christi cruentam

§.78.

Huntlæus Bellarmino apertè intrad.

§.79.

Salmeronis mira locutio.

entam sibi applicare nequeunt? Impium hoc quidem satis! Sed quid nõ audent pro suo idolo.

23. *Mactationis ad cœnam necessariæ naturam.* *Et ex hac arguunt sacrificium missæ.* Ideò, *inquit*, Bellarm. *lib. 1. de Missa, c. 12.* in cœna seorsim consecratur corpus & seorsim sanguis, ut intelligamus præsentiam corporis & sanguinis in cœna esse ad modum occisi & mortui corporis. Deinde corpus & sanguis sunt in cœna, ut cibus & potus. At caro & sanguis non sunt apta ad cibum, nisi animal prius moriatur. Christus autem non moritur, nisi per immolationem & mactationem. Et hoc est argumentum Gregorii Nisseni *in pr. orat. de resurrect.* ubi colligit, Christũ in cœna immolari, alias non possemus carne ejus vesci. † *Salmeron re-* §. 81.
futavit hanc rationem Bellarmini, antequam ab eo prognata fuisset. *Contra-*
Ita enim Tom. 9. tract. 21. p. 243. Audivi, *inquit*, quosdam conatos *dictio.*
probare, Christum se in cœna mactasse, quia per consecrationem ex vi verborum separatur corpus à sanguine & sanguis à corpore: ob quam separationem mors sequitur, licet ob concomitantiam naturalem mors non sequatur. Sed neque mors semper est necessaria, neque consecratio aut separat, aut dividit ex vi verborum conjuncta. Maximè, si quod offertur sub aliena specie, mactationis & mortis minimè fit capax. Constat autem, Christum sub hostia delitescentem immortalem existere. Quare quod Gregor. Nissenus *Orat. 1. de resur. & Theophyl.* in *c. 26. Matth.* docét, mactationem esse in hac oblatione, benignè est interpretandum, nimirum, MACTATIONEM ANTIQUAM, qua Christus IN CRUCE sacrificatus est in hujus hostiæ sanctificatione, non novam inveniri & realem aliam ab illa distinctam. *Vide quam benè respondeat Bellarmino, Salmeron. Imò vide quam malè Bellarminus, nec ille solus, suum figmentum tueatur, in quo tamen tam operosus est.*

24. *Cœna Emmauntica cum Eucharistica collationem.* §. 82.
Plurimi ex Pontificiis negant, *in Cœna Emmauntica Eucharistiam* *Mißa re-*
fuisse celebratam, Lyranus, Carthusianus, Didacus Stella, Wide- *fellitur ex*
fortius, Cajetanus, Castrius, Jansenius, &c. *Plurimi vicißim affirmãt,* *cœna Em-*
fuisse ibi celebratum Eucharistiæ sacramentum, in eum finem, ut pluri- *maunti-*
mis exosam ποτηριοκλεψίαν *& consequenter* κυριακοῦ δείπνου κλεψίαν *câ.*
probent. Nos ita progredimur. Aut sacra fuit cœna ea, aut non. Si prius, aut integra fuit, aut mutila. Non hoc. Mutilum enim sacramentum non est sacramentum. Si integra fuit Eucharistia, aut sacrificium in ea oblatum fuit, aut non. Si nullum fuit in ea sacrificium oblatum, non

fuit

fuit consecratum. (Quia consecratio adductrix hostiæ est essentia sacrificij. Hac ergo deficiente, deficit consecratio.) Quod absurdum. Si fuit in ea sacrificium oblatum, aut sub utraq; fuit oblatum specie, aut sub unâ. Non sub utraq;, quia unius tantum speciei mentio fit: immediatè enim post fractionem evanuisse dicitur Christus: quo argumento utuntur Pontificij, ut communionem sub una stabiliant. Non sub una specie consecravit & obtulit: Quia essentia sacrificij Missæ juxta Pontificios non consistit in destructione panis & vini, ut Alanus & Casalius ex Pontificiis volunt: non in adductione sola corporis Christi sub speciem panis & sauguinis sub vini: ut alij Scholastici sentiunt: nec in sumtione sacerdotis, sed in mactatione, seu repræsentatione cruenti sacrificij crucis, ut plurimis probant Jesuitæ. Includit ergo consecrationem utriusque speciei essentialiter, quatenus habet rationem mysticæ mactationis, & expressæ repræsentationis corporis & sanguinis Christi. Becan. lib. 3. de tripl. sacrif. c. 8. n. 8. & seq. E. planè non consecravit & sacrificavit si sub altera tantùm specie id fecit. Si verò perfecta sacra cœna ea non fuit etiamsi nullum habuerit sacrificium, sequitur & hodiè cœnam carere sacrificio. Alterutrum hîc deserendum, aut locus Luc. 24. pro defensione sacrilegij calicis productus, aut Missa! Vtinam utrumq; desererent & irent ad saniorem mentem.

Contradictio.

§. 83. 25. *Omnium missarum respectu ministri incertitudinem.* Licet Pontificij in verbis Institutionis sacrificulos institutos & constitutos jactitent, qui corpus & sanguinem Christi conficerent, tamen, si vel maximè aliquam potestatem sacrificandi accepissent ibi, illam incertã & dubitationibus perpetuis obnoxiam reddunt. Namq; 1. potestas sacrificandi non confertur, secundum ipsos, personæ, quæ non sit baptizata. At Tannerus in Colloq. Ratisbon. edit. Monac. p. 140. inquit: Non modo non evidenter verum esse, sed etiam evidenter falsum, quod cuiquam certò, evidenter atque infallibiliter constare debeat, an rectè & verè sit baptizatus nec ne, cum de intentione ministri nemo quicquam certi statuere possit. Igitur evidenter falsum est, cuiquam certò atq; infallibiliter constare, an sacrificandi potestatem rectè & verè acceperit. Si de potestate dubitatur, quid de actu cogitabimus?

Tanneri Iesuitæ grãde absurdum.

§. 84. † 2. Vt missam esse sacrificium sciam & offeram, sciendum est, illam in se complecti corpus Christi, juxta Pontif. At, inquit, Bielius lect. 49. in Canon. Non potest esse evidens certitudo, neque celebranti neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi, propter defectum aliquem impedientem & contingere potentẽ, ut quod forte celebrans non est sacerdos; siquidem nullus celebrans

Bielius de summa missæ incertitudine.

brans potest evidenter scire, se fuisse baptizatum, aut legitimè ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessariò requisiti ad consecrationem, utpote debitæ intentionis, aut errorem commissum, vel in forma vel in materià: & multò minus circumstantes infallibiliter scire possunt sub hostia fore Christum. *Idem repetit* Thomas Sarisburiensis *de art. præd. c. 25.* Nullus, *inquit*, quan- *Thomas*
tumcumque sit simplex vel quantumcunque sit discretus, debet *Sarisbu-*
præcisè credere in missa esse corpus Domini. *Ergò nec præcisè offe-* *riensis.*
renda missa. Ita dubiæ sunt omnes Missæ, quotquot post natum Christi hostem Romanum in variis orbis angulis celebratæ fuerunt. Imò nullæ.

† *Irimus enim hactenus per verba Institutionis, in quibus, quicquid de* §. 85.
Eucharistia per se constituitur, continetur: nec uspiam aliquod Missæ deprehendimus vestigium. Vestigia potius & saltus acerrimè inter se confligentium & semet mutuis conatibus refellentium conspeximus.

† Percurramus nũc breviter, quæ pro assertione sua stabilienda §. 89.
Herberus producit ex institutionis dominicæ cœnæ verbis. Ait, *Christum Apostolis & eorum successoribus in Nova Lege potestatem fecisse, unicum, verum, visibile & proprij nominis sacrificium offerendi:* I. quia *Tertullianus de præscript. contra Marcion. risit Marcionitas, qui Laicis sacerdotalia munia committerent, cum afferre ad sacerdotum munus pertineat:* II. quia *Epiphanius hæresi 79. adeò offerre sacerdotibus proprium censuit, ut Christus ne matri suæ quidem permiserit sacrificare.* III. quia *præceptum sacrificandi illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *contineri, Apostolica semper & orthodoxa intellexit antiquitas. Facere enim ad sacrificia pertinere, ita, ut facere sacrificare sit, profanis juxta sacrisq; autoribus, imò & divinis literis contestatum est. Hinc & Patres, Ambrosius Tom. 3. ep. 33. Concil. Agath. c. 21. Toletan. V. 11. c. 3. Milevitan. c. 12. non dicunt Missas seu Liturgias dicere, vel edere, sed facere.* IV. quia *Christus ea facere præcepit, quæ ipse fecit, non solum accipiendo, distribuendo, sed vel maximè consecrando corpus & sanguinem suum. Hinc Cyprianus l. 2. ep. 3. ad Cæcilianum:* Si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri ipse primus obtulit, ex hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui, quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium plenum ac verum tum offert Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. V. quia *idem sacrificium indicatur verbis dationis, fractionis & effusionis pro nobis. Ista enim non de cruenta, sed incruenta datione & effu-*

sione dicta esse ex eo colligitur, quia in præsenti dicta sunt. V. quia *An. Christi 119. Alexander Papa & Martyr ep. I. decretali ad omnes orthodoxos ait;* ipsa nos veritas instruit, panem & calicē etiā in sacramentis offerre. † ℞. Ad I. Tertullianus nihil loquitur de sacrificio. Ita ait c. 41. *Nihil interest hæreticis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis impugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Catechumeni, quam edocti. Ipse mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaq; alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras Lector: hodie presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis sacerdotalia munera injungunt.* His sanè verbis nihil de sacrificio aliquo Ecclesiæ. Sacerdotalia munia in illis hæc recitantur, docere, religionis dogmata publicè propugnare, quod Tertullianus vocat, contendere, exorcismos agere, tinguere, verbum administrare. Forsitan & Eucharistiam hæretici promiscuè dispensari à quibusvis concesserunt, secus ac Orthodoxi, de quo Tertullian. de corona milit. cap. 3. *Ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam* (Baptisatis enim seculo Tertulliani dabatur lac & mel. Id. l. 1. adv. Marc. c. 14. sed iis demum, qui grandiores ætate baptisabantur, ut & in Eucharistia factum legitur Concilio Carth. III. c. 14.) *prægustamus. Exq; ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus* (h. e. cœnæ, seu vespernæ) *& omnibus mandatum, etiam ante lucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus.* † Ad II. Epiphanius nihil habet, in disputatione tota contra Collyridianos Mariæ offerentes, de sacrificio incruento missæ. Hoc potius agit. Erant in Arabia mulieres, quæ hanc invexerunt vanitatem, ut in nomen virginis Mariæ collyridem sacrificarint, & currum sive sellam quadratam ornantes, expasso super ipsam linteo in die quadam illustri anni per aliquot dies panem proposuerint & obtulerint in nomen Mariæ. Insania, inquit Epiphanius, hæc est & Evæ rursus deceptæ morbus, imò potius serpentis. Confutat eam duabus hypothesibus, primam depromit à subjecto; alterā à prædicato propositionis hæreticæ. A subjecto, quia

§. 90. Tertullianus vindicatur.

§. 91. Epiphanius vindicatur.

quia est mulier: Mulieri autem non est sacrificandum. Rationes; 1. quia nullæ mulieres sacrificarunt in T.V. 2. quia si mulieribus præceptum esset sacrificare, aut regulate quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere in N.T. at hoc non factum. 3. quia nec baptisma dare Mariæ concreditum est. 4. quia Apostoli sacrificaverunt Evangelium per mundum τὴν γῆν ἱερουργοῦντες τὸ εὐαγγέλιον, non mulier. 5. quia Filiæ Philippi prophetarunt, non sacrificarunt. 6. quia scripturas Mulieres diaconissas solas, nunquam presbyteras aut sacrificulos constituit, nec vult in Ecclesia loqui. Hoc modo ex subjecto dicit, in universum non tantum à sacrificii illius sui è collyride constantis oblatione, sed etiam à sacrorum administratione in Ecclesia submoveri mulieres. Nequaquã autem sacerdotium aliquod propriè dictum ordini sacro vendicat. Imò potius hæresi 42. ait: *Vt Deus de cætero per adventum Christi sui omnem sacrificiorum usum tolleret, uno sacrificio, omnia quæ antea fuerunt complente ac perficiente, quod est sacrificium & victima Christi. Nam pascha nostrum immolatus est Christus.* Et hæresi 55. *Sacerdotium,* inquit, *Patri offert, ex humana naturæ massa accepta, ut pro nobis sacerdos constitueretur secundum ordinem Melchisedec, qui non habet successionem. Manet enim pro nobis in perpetuum dona offerens. Et primò quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium V.T. cum perfectius & vivens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret & sacerdotij sui immutabile firmamentum in secula efficeret: non amplius secundum semen successiones dividens, sed secundum justitiam servari in Spiritu S. largiens.* Quod verò sacerdotium secundum ordinem Melchisedec etiamnum vigere in Ecclesia dicit, ad dispensationem referendum est, non ad sacrificationem, quæ semel facta est. † Ad III. §. 92.
Apostolicam antiquitatem præceptum sacrificandi illis verbis, *Locus Lu-*
hoc facite in mei commemorationem, contineri, intellexisse fal- *cæ 22, 19.*
sum est. Vide quæ supra disputata sunt. Gabr. Vasquez, quem Je- *explica-*
suitæ *Doctorem acutum* vocant, *Tom.3. in 3. part. Thomæ disp.213. c.2.* *tur.*
*n.*10. expendit hæc verba S. Lucæ manu consignata, & addit Cõc. Tridentini, quæ sunt, *Illius sacramenti sumtione colere nos sui memoriam Christus præcepit, suamq; annunciare mortem, donec ad judicandum veniat*: & ita argumentatur. *Præcepit igitur Christus illis verbis Luc.22. sicut interpretatur Concilium, ut ipsa sumtione commemore-*

mus paßionem ejus, & non tantum; ut quoties illud sumeremus: Nam *qui præcipit, ut opere aliquo fiat commemoratio alicujus beneficij accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Quis hoc non videat?* Et n. 15. *Paulus explicans mentem Christi contentam in illis verbis,* hoc facite in meam commemorationem, *eam refert ad eos, qui manducant & bibunt. Quare si verba illa sunt præcepti, ut jam contra Cajetanum probavimus, ex illis rectè colligitur, non tantum sacerdotes, sed etiam Laicos eo teneri: inquit enim Paulus;* hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *Idemq; dixerat de manducantibus corpus: subdit deinde rationem;* quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: *non quod eadē verba ad sacerdotes consecrantes non pertineant, sed quia, cum dixit, hoc facite &c. præcepit omnibus fidelibus commemorationem paßionis suæ in hoc sacramento, & quia sacerdotes commemorant illam, non solum sumendo sacramentum, sed etiam consecrando illud, etiam ipsis præcepit consecrationem. Hac verò ratione verba prædicta ad universos homines referre debemus, ut universis pro illa Christus præceperit unam actionem formaliter, ut cum schola loquar, quamvis diverso modo, nimirum ut paßionem suam memorarent in hoc sacramento, unusquisq; suo modo: cumque hæc commemoratio in perceptione fieri nequeat sine consecratione, præcepit etiam commemorationem per consecrationem.* Itaque juxta Vasquez per verba, hoc facite &c. non immediatè sacrificatio designatur, sed solummodo consequenter, quatenus ex aliis verbis constat, sacrificationem esse inter facienda ad commemorationē Christi. Adde quod Vasquez T. 3. in 3. part. disp. 222. c. 6. n. 51. & 52. nolit sacrificium in consecratione consistere. *Aliqui Theologi,* inquit, *existimant, ideò in consecratione consistere missæ sacrificium, quia per illam verè & reipsa panis in corpus & vinum in sanguinem Christi mutatur. Verum, ut alij rectè notarunt, si in hac immutatione ratio sacrificij constaret, non tam Christus, quam vinum ipsum, & panis in sacrificium offerri dicerentur, quod est absurdum. Sic enim sacrificium missæ & crucis, quod attinet ad rem oblatam, non esset idem, nec pauciora in Ecclesia essent sacrificia, quam in lege veteri, cum diversi panes & vina quotidie immolarentur. Tum etiam nec minus incruentum esset Christi sacrificium in Eucharistia, licet conversio panis in corpus & vini in sanguinem Christi non fieret, quam modo est: ipsa igitur conversio panis & vini ad rationem sacrificij incruenti non pertinet. Adhæc mutatio rei, quæ in sacrificium offertur & ad rationem sacrificij spectat,*

talis

talis esse debet, ut sit sensibilis, Sacrificium enim est sensibile signum potentiæ Dei, quatenus autoris vitæ & mortis: conversio autẽ, quæ est in Eucharistia non est sensibilis, ad rationem igitur sacrificij pertinere non potest. Quæ de verbo, facite, Herberus disputat ex autoribus, expẽsa sunt supra. Adde, 1. quod Matthæus & Marcus in institutione Eucharistiæ recitata omiserunt illa verba, hoc facite &c. At non debuerant sanctiss. Viri aliquam substantialem actionem in recitatione verborum dispositivorum omittere. Itaque sacrificare, quod juxta Pontif. est actio maximè substantialis Eucharistiæ, per illa verba non potest designari. 2. facere & sua natura est generale vocabulum & per nullas circumstantias contrahitur ad sacrificialem aliquam actionem. 3. Nuspiam *facere* est actio sacrificialis apud autores bonos, sacros aut profanos, ubi non ex antecedentibus aut consequentibus, aut additamentis determinantibus colligendum sit, eam notari. 4. Nuspiam in T. N. ποιεῖν sacrificare est. Ambrosius & veteres omnino ita loquuntur, ut dicant, *Missam facere*, sed hoc *facere* non est *sacrificare*. Aliàs missa sacrificaretur. *Missam facere* vocant adornare & perficere sanctam illam liturgias speciem, munus & officium sublime, quod consistebat in apparatu elementorum panis & vini ad usum mysticum, in receptione oblationum ecclesiasticarum, in recensione calamitatum ecclesiæ per status atque ordines, in periclitantium, agonisantiũ, & defunctorum commemoratione, in laudum divinarum decantatione, in communicantium provisione & salutaris epuli & poculi dispensatione. Ita Ambrosius. *Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atq; tractatum, dimißis Catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam basilicæ. Illic nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam basilicam de palatio Decanos misissent & vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere,* missam facere *cœpi. Dum offero, raptum cognovi à populo Castulum quendam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderent transeuntes. Amarißimè flere & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret, ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certè ut meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impijs effunderetur &c.* Clarum est, Ambrosium fuisse post concionem in S. communione occupatum. Quia autem in Missa non sunt facienda duntaxat, sed & dicenda, inde est Missam audire. Apud Gratianum ex Agathensi Concilio jubentur seculares *die Dominico missas totas audire*. In cujus Can. 21. etiam est *Missas*

Ambrosius explicatur.

facere, missas tenere. Ambrosius *serm.* 34. quo docet formam rectè agendi quadragesimam, *Moneo,* inquit, *ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam, & qui potest, omni nocte ad matutinum conveniat. In quadragesima verò monet, ut die omni, aut saltem, ut dixi, omni dominica offeratis & communicetis.* Sic & Græci Ambrosio coætanei dixerunt εὐχαριστίας ἀκούειν. Euseb. H. E. VII, 9. Cæsarei Arelatensis hom. 12. negotium bene explicat. *Si diligenter attenderitis, cognoscetis, quod non tunc fiunt missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera, offeruntur & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones sive Propheticas sive Apostolicas sive Evangelicas etiam in domibus vestris aut ipsi legere aut alios legentes audire potestis. Consecrationem verò corporis & sanguinis Christi non alibi, nisi in domo Dei, audire vel videre poteritis. Idcircò qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesia tenere.*

§. 93. † Ad IV. consecrationem inter facienda & nos recensemus. Ea verò non est sacrificatio propriè dicta, sed elementorum ab usu profano segregatio per invocationem nominis divini, quæ promissione infallibili nititur, & ad unionem admirabilem destinatu. Huc respicit omninò Cyprianus l. 2. ep. 3. ad Cæcilian. Christum sacrificium obtulisse per eucharistiam patri suo dicit, non corpus & sanguinem suum in S. cœna, sed panem & vinum; hinc dicitur εὐχαριστήσας & εὐλογήσας ἄρτον καὶ οἶνον. Cur? ad percipiendam vocationem Dei, ne jam communis panis sit, & commune vinum, ut Irenæus loquitur *adv. hær. IV,* 34. ad percipiendum verbum Dei, ut idem ait *l. V,* 4. ad capiendam εὐχὴν τοῦ λόγου, ut loquitur Justinus apol. 2. pro Christianis. ut sacra symbola reddantur σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθέντα, ut ait Cyrillus Herosf. *Catech. mystagog.* 4.

Cyprianus explicatur.

§. 94. † Ad V. De verbis *dationis, fractionis, effusionis* supra dictum est. Addimus nunc Vasquez *Tom* 3. *in* 3. *part. Thom. disp.* 299. *cap.* 1. *num.* 8. 9. Is ad crucem *ista verba* refert nixus autoritate Chrysostomi, Anselmi, Theophylacti, Euthymii, Cajetani, Pici Mirandulani, Titelmanni, Hosii, Dionysii Carthusiani, & ita porro disputat. *Quamvis tres Evangelistæ, cum loquuntur de effusione sanguinis, Græcè utantur participio illo præteriti, quod habet vim verbi præsentis, ac si dicerent, effunditur, & similiter, cum de corpore Græcè loquitur B. Lucas, utatur participio præteriti, quod eodem modo vim habet præsentis, ac si diceret,* datur, *tamen omnes usos fuisse præsenti pro futuro,*

Vasquez Herbero opponitur.

futuro, eò quòd jamjam instaret tempus mortis & passionis, in qua sanguis erat effundendus, & corpus in mortem tradendum, imò quodammodo iam incepta esset, duo maximè probant; unum est, quod in vulgata noster interpres semper utitur verbo futuri, cum de effusione sanguinis est sermo: & quamvis in Luca utatur verbo præsentis, cum de corpore inquit, quod pro vobis datur, tamen in Paulo utitur verbo futuri, cum ait, quod pro vobis tradetur: nempe quod putaret, præsens in loco pro futuro accipi: quare cum in Luca reliquit tempus præsentis, non abstulit facultatem interpretandi illud pro futuro. Quod si in illis locis tantum haberet vim præsentis, perperam convertisset per futurum. Accedit, quod neq; vera esset translatio, si de Eucharistia, quam Christus tunc porrigebat discipulis, intelligerentur prædicta verba & pro illis solum diceretur effundi vel frangi, ut autores prioris opinionis contendunt, quoniam verbum futuri in illam non posset convenire. Neq; enim frangenda tunc erat, sed jam frangebatur, neq; effundenda erat, sed jam effundebatur. Addo, quod Vulgatus interpres, intelligens etiam vim vocis Græcæ κλώμενον, latinè fractum, vel quod frangitur, non solum non transtulit frangitur de præsenti, sed neq; frangetur de futuro, sed tradetur, eò quod non intellexit de fractione in Eucharistia, sed de traditione in passionem. Alterum, quod prædictum sensum præsentis, pro futuro confirmat est usus Ecclesiæ latinæ, quæ semper verbo effundetur usa est in verbis cõsecrationis, quæ quidẽ cum proferat in nomine Christi & ut dici solet significativè, perperam ita fecisset, ut de vulgato interprete proximè dicebamus. Adde hunc acutum reliquis Doctoribus tuis, Herbere. † Tu verò, Simon Felix, quod in muscis tuis morientibus etiam adversus nos dicis p. 6. esse per nostram interpretationem quandam improprietatem in hujusmodi sermone, cum præsens pro futuro usurpatur. Hanc autem in s. literis absq; necessitate non esse admittendam: alioquin omnia per tropos & improprietates Calvinistico more eludẽda; annota, quod te lõgè doctior Vasquez tuus n. 10. scribit: Si per effundetur, Christus in forma consecrationis calicis significare voluisset sacrificium incruentum in Eucharistia, jam Christus non verbis proprijs, sed figura aliqua usus esset, & ita juxta hanc opinionem incideremus in idem absurdũ, quod in hæreticis nostri temporis jure optimo reprehendimus, nempe Christum in ultimo suo testamento & voluntate usum fuisse verbis non in propria significatione, sed figurata. Porrò autem id sequi manifestum est. nam in Eucharistia non est vera & realis effusio sanguinis per modum sacrificij, sed repræsentatio & figura illius: in calice enim Domini non separatur sanguis à corpore Domini

§. 95. Simon Felix refellitur.

mini

vini ac proinde reipsa non effunditur: repræsentatur tamen in eo mors Christi & separatio seu effusio sanguinis ejus, qui ex vi verborum per se consecratur, licet per concomitantiam etiam secum habeat corpus Christi. Quod si hoc modo liceret nobis interpretari verbum EFFVNDETVR, *cur non etiam liceret hæreticis vocem corpus eodem modo explicare, ut idem esset, quod figura corporis?* Obiicis, *Effundi nihilominus in cœna sanguinem, quia sub specie liquida in calice collectus Deo offertur, ac sub eadem specie in sumentium ora, ut quædam victimæ partipatio, funditur: Imperitè igitur, obliviosèq; si non malitiosè dici, nullum in cœna à Christo sanguinem effusum esse.* Quid? Anne tãtus Doctor imperitus, obliviosus aut etiam malitiosus est? Audi verò quomodo tuam objectiunculam diluat? *Neq; verò,* inquit, *dici potest, effundi sanguinem idem esse ibi, quod in calice collectum offerri Deo: hoc enim non est propriè effundi, sed figuratè, ex eo solum, quod quadam effusione ipsa reali consueverunt Deo in sacrificium offerri, quatenus consecratione ipsa & modo illius repræsentatur separatio ejus à corpore, ac proinde Effusio. E. non solum secundum repræsentationem acciperetur verbum effundetur, si de Eucharistica effusione intelligeretur. Neq; satis est, si dicant adversarij, sanguinem Christi in Eucharistia non solum effundi, secundum repræsentationem, sed etiam cum in ora sumentium infunditur sub specie vini; tum quia non solum non consistit sacrificium incruentum Eucharistiæ in ea effusione, sed etiam neq; per eam consummatur secundum rationem sacrificij. Et ita illa infusio pertinet ad usum Eucharistiæ, quatenus sacramentum est: tum etiam, quamvis ratione specierum consecratarum sanguis Christi dicatur infundi ori sumentis, tamen non absq; omni figura dicitur infundi: nam quamvis ea quæ solùm denotant simpliciter motum secundum locum, sine metaphora & figura de Christo in Eucharistia dicantur, tamen quia infusio aliquid aliud denotat, non sine figura de sanguine Christi in Eucharistia dicetur: denotat enim non tantum secundum locum, sed cum tali partium positione, quæ nimirum consistentiam in se nõ habent, sed fluunt: neq; n. quæcunq; dicuntur moveri, fluere aut effundi, seu infundi sine metaphora dicuntur.*

§. 96. † Addit Vasquez *cap. 2. n.* 18. aliud argumentum. *Cum dicitur in* remissionem peccatorum, *apertè denotatur sanguis Christi prout causa universalis nostræ redemtionis. Idem enim est* in remissionem peccatorum *&* in redemtionem peccatorum, *quæ propriè est* N.T. *confirmati effusione sanguinis Christi. Redemtio autem non est sanguinis Christi, prout incruentè in Eucharistia immolati, sed prout effusi in passione. Nam prout in Eucharistia,*

stiæ, solum est particularis causa remittendi in unoquoq; peccata venialia ex opere operato per modum sacramenti: per modum verò sacrificij solum est causa per modum impetrationis remittendi venialia & mortalia etiam. Quis autem credat, per illud IN REMISSIONEM PECCATORUM *hunc solum peculiarem effectum, non autem universalem redemtionem omnium peccatorum Christum significare voluisse?*

Objicit Simon Musc. Mor. p. *66.* Licet in cruce sanguis effusus sit, tamen calice tunc non continebatur. quomodo ergo calix tũc effusus? Itaque effusio potest sumi pro oblatione, quæ aliàs in liquidis effundendo fieri solet. ℞. Omninò effusio ad calicé refertur. Dicitur enim ποτήριον καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι χριστοῦ. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Non tamen dicitur, sanguinem fundi ut est in calice adeoque in cœna fundi. Itaque dicitur poculum ἐκ περιστάσεως μυστικῆς consideratum, esse aliquid fusum pro peccatorum salute, quia continebat sanguinem dominicum, qui in proximo instanti fundendus erat pro salute peccatorum. Calici sanè ἐξ ἀφαιρέσεως considerato non competit esse ἐκχυνόμενον ὑπὲρ ἡμῶν. Neque vinum in calice tale est. E. sanguis inibi contentus indigitatur, à quo ποτήριον ἐκχυνόμενον vocatur. Sunt igitur multum inter se diversæ propositiones: Sanguis, qui calice continebatur, est verè effusus. Et, sanguis, quatenus in calice continebatur, effusus est verè in cœna. Prius Apostilicum est. Posterius Simonianum. Dionysius Carthus. h. l. Hic calix est N. T. *supple confirmans ac signans*, in meo sanguine *dedicatum, confirmatum & consecratum. Ponitur autem continens pro contento, cum dicitur* calix in meo sanguine, *ut sit sensus, sanguis meus existens in calice. Itaq;* N. T. *in Christi sanguine confirmatur, quia in consecratione sanguinis ejus instituebatur, & in effusione sanguinis ejus roborabatur. Testamentum namq; morte confirmatur.* qui pro vobis fundetur. I. *pro vestra salvatione sanguinem hunc effundam, & effundi permittam. Et per discipulos intellexit Salvator omnes electos suo sanguine liberandos, &c.* hæc Dionys. Stella h. l. *Vocatur sanguis* N. T. *&c. quia sanguis Domini nostri Iesu Christi in cruce effusus est quasi arrhabo & sigillum novi fœderis, quod Christus nobiscum pepigit* &c. Corn. Jansen. *Concord. c.* 131. etiam ad effusionem crucis refert, ratione sanguinis in calice contenti. §. 97.

Objicit rursus Simon *Musc. Mor. p.* 65 fractionem 1. Cor. 11, 24. quæ juxta Joh. 19. non est facta in cruce. Ad id responsum supra. *Adde Consid. Antizwinger.* 2. *p.* 94. §. 2. & Vasquez, qui *loc. add. c.* 3. *n.* 22. ait: *Cajetanus in illum locum inquit, corpus Christi multis modis* §. 98.

 fractum

fractum fuisse in passione: primum quidē cum flagellis corpus ejus cæsum est, & cutis fracta: deinde cum clavis confixum est; tunc enim & ejus caro fracta fuit. & denique in latere, quando lancea transverberatum est. Neque verò oportet, ut corpus alicujus dicatur fractum, ossa etiam frangi. Johannis verò cap. 19. solum dixit crura Christi fracta non fuisse, ut adimpleretur illud Ex. 12. *Os non confringetis ex eo*, quia ut frangi dicerentur, oportebat & ossa eorū frangi. *Ego verò existimo Græcam vocem κλώμενον sicut Latinam* fractum, *accipi posse in eadem significatione, nempe ut de eo dicantur, qui licet nullum vulnus aut scissionem in se recipiat, ipsa tamen molestia & labore afflictus frangi dicatur, sicut Cicero pro Sylla inquit*, Calamitate fractus & affectus. *Et Horat. serm.* 1. Multo jam fractus membra labore. *Quæ sanè significatio neq; insolens, neq; infrequens est. Sic igitur cum corpus Christi magnis laboribus affligendum esset, rectè dixit Paulus κλώμενον, latinè*, qui pro vobis frangitur seu frangetur. *Vulgatus verò interpres, intelligens nihil peculiare sub ea voce contineri præter laborem passionis, rectè transtulit*, quod pro vobis tradetur, *nempe in passione. Quod si per illam significare vellet fractionem Eucharistiæ, non tam bene vocem græcam vertisset.*

§. 99. † Testimonium Alexandri I. Papæ I. *est suppositititium*: Nicolaus Cusanus Cardinalis *de Concord. Cathol. lib. 3. c. 2.* ait, suspectam hanc decretalem epistolam cum aliis esse propterea, quia nemo Doctorum Ecclesiæ earum mentionem facit, & ipsæ applicatæ ad tempus eorum sanctorum seipsas produnt. Ant. Contius JCtus *annot. in dist. 16. cap. Septuaginta*, censet, omnes Pontificum, qui Sylvestrum præcesserunt, decretales manifestè falsas esse. Baronius Cardinalis *Tom. X. Annal. anno 865. dist. 6. 7.* observat, Nicolaum I. Papam in materia de suprematu Papæ, in qua affectatè copiosæ sunt hæ epistolæ, cōsultò obstinuisse ab iis, ut dubiis: vocat eas adventitias & recens inventas: ait autoritatem earum haud adeò esse constantem, sed admodum nutare, ex multis suspectas esse. Aliquos errores in eas irrepsisse, nec indubitatas esse, cēset Bellarminus *de R. P. II, 14.* qui tamen non semel eas allegat. Hanc ipsam Alexandri I. adducit de *R. P. II, 14. de Euch. IV, 10. de Cult. Sanct. III, 7.* Ejus spuriam originem docet scripturarum detorsio & ineptissima applicatio. Item, quod fusè tractat quæstionem de Trinitate in unitate & Unitate in Trinitate, & in ea re ad Patres provocat, à quibus eam confessionem acceperit: cum articulus de Trinitate sub istis terminis & deductionibus ante Concil. Nic. non fuerit

traditur.

traditus. Alexander autem vixit Ann. 120. Nic. Dur. Pontificius tripl. converſ. Angl. *part. 1. c. 5. n. 17.* Ipſum nomen Trinitatis inventum fuit ad dilucidiorem rei explicationem in Concilio Niceno I. Item quod hæc epiſtola data ſcribitur *9.* Cal. Aug. Trajano & Heliano Conſ. tales autem Conſules nunquam ſimul fuerunt. II. *Locus non adverſatur nobis.* Ita habet. *In ſacramentorum oblationibus, quæ inter miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcendæ eſt, ut ejus, cujus corpus & ſanguis conficitur, paſſio celebretur, ita, ut repulſis opinionibus ſuperſtitioſis, panis tantum & vinum aqua permixtum in ſacrificio offerantur. Non debet enim, ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in ipſo calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrũq; permixtũ, quia utrumq; ex latere ejus in paſſione ſua profluxiſſe legitur. Ipſe verò veritas nos inſtruit, calicem & panem in ſacramento offerre. Crimina verò & peccata oblatis his Domino ſacrificiis delentur. Idcirco & paſſio ejus in his commemoranda eſt, qua redemti ſumus & ſæpius recitanda, atq; hic Domino offerenda. Talibus hoſtiis delectabitur & placabitur dominus & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificiis majus eſſe poteſt, quam corpus & ſanguis Chriſti: nec ulla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt & pura mente ſumenda, atq; ab omnibus veneranda. Et ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli & venerari debet.* Loquitur enim ὑποβολεὺς Alexander *1.* de ſacramentorum oblationibus, h. e. de iis, quæ antiquitas à fidelibus collata poſtea in uſum ſ. ſynaxeos Deo commendabantur. 2. vult paſſionem admiſcendam. At illa non eſt aliquid ſacrificandum propriè, 3. vult panem & vinum aqua mixtum in ſacrificio offerendum. At hæc nõ conſtituunt actum ſacrificialẽ propriè ſic dictum. 4. ait calicem & panem in ſacramento offerendum. 5. Crimina & delicta his ſacrificiis, h. e. ſacramentalibus ex unico ſacrificio, quod eſt paſſione Domini celebratum, diſpenſationibus deleri, non negatur. *6.* Paſſio in S. Cœna celebrata vocatur hoſtia. At illa non eſt propriè dicta hoſtia. Unde conſtat, non de propriè dicto ſacrificio ſermocinari Alexandrum hypoboleá. 7. Quod ait, talibus hoſtiis delectari Deum, Apoſtolus dixit de ſacrificiis ſpiritualibus. 8. Corpus & ſanguinem Deo poſſe offerri fide, quæ ſatisfactionis loco in homine nil habens, offert coram tribunali Dei ſatisfactionem & portationem peccatorum noſtrorum in ligno in corpore Dominico, nemo dubitat. At hæc omnibus fidelibus competit. Ergò non eſt ſacrificialis actio propriè ſic dicta. 9. Quod dicitur, nil majus

esse posse sacrificiis corporis & sanguinis Christi, nemo negat. Sermo verò est, non de sacrificiis recenti sacerdotali actu Deo oblatis, sed de sacrificiis ex magno illo ἱλαστικῷ & καθολικῷ sumtis & participatis. 10. Hæc sacrificia dicuntur offerri etiam à participantibus & sumentibus non sacerdotali actu propriè sic dicto, sed devotione recipientium. Confer Pseudoisidorum D. Blondelli pag. 164.

§. 100. † Porisma, quod Herberus ex dictis contra Lutherum elicit, de Missalis sacrificii veritate & sacrificandi mandato in verbis dispositivis existente, ex iis, quæ à nobis dicta sunt, concidit.

CAPUT VII.

QUID LITURGIA APOSTOLORUM ANTIOchena fuerit? An missæ tuendæ prosit? quid porrò de Liturgia Petri, Jacobi, Johannis, Andreæ, Thomæ, Marci, &c. sentiendum expenditur.

ASSERTIO. *Officiis divinis Antiochiæ congregatos Apostolos fuisse occupatos, Actuum Apostolicorum historia testatur, ubi* λειτουργούντων αὐτῶν καὶ νηστευόντων *jussit Spir. S. Paulū & Barnabam ad Apostolicum opus segregare, inter illa verò missæ sacrificium fuisse, neq; historia docet, nec antiquitas & reclamat divina veritas.*

Act. 13. ℣. 2.

§. I. *Contradictio inter Salmeronem & Herberū.* Exegesis. Herberus, *quamvis* λειτουργοῦ appellationem cuivis publico ministero ex primæva sua origine competere non diffiteatur, *ut ipse loquitur, contra* Salmeronem unum ex decem primis patribus Soc. Jes. *qui Tom. 12. p. 238.* per metaphoram ad quævis ministeria publica non sacra, *ait*, hanc vocem accommodari) tamen multa esse *refert*, quæ loci & temporis circumstantiis expensis diligenter in præsenti contextu, liturgiam pro missæ sacrificio acceptandam esse, apud non obstinatos convincant. Nam, *inquit Herberus*, de illis ministrantibus sermo est, de quibus majori quadam dignitate cæteros antecellentibus, mox subnectitur, jejunantesque & orantes imponentesq; eis manus dimiserunt eos, sed imponere manus Episcoporum erat & presbyterorum. Ergo de illis accipiendum est. adhæc Paulus & Barnabas impositione manuum segregandi erant in opus, ad quod à Sp. S. assumebantur. Atqui illud opus non fuit prædicationis Evangelij, quia ad hoc D. Paulus

Paulus assumtus erat non ab homine neq; per hominem, utique
nec per impositionem manuum. Denique expectandum, imò ex-
petendum erat à Dn. responsum de ordinatione Pauli & Barnabæ,
at hoc non per Evangelij prædicationem, sed per orationem, jeju-
nium, sacrificium expetitur, prout in hancdiem sub tempora or-
dinationis sacræ presbyterorum & Dei ministrorum, quas vulgus
angarias vocat, fieri in Ecclesia Christiana videmus, ubi non nisi
triduano jejunio prævio sub ipsis sanctæ liturgiæ mysteriis sacri
ordines conferuntur. † *Tandem demonstrat hoc ex praxi Apostolo-* §. 2.
rum, liturgias instituentium, ut PETRI, *teste* Clemente Rom. Abdia
Babylon. Eusebio, Damaso, Hieronymo, Nicephoro: JACOBI, *teste*
Synodo Constant. 2. in Trullo, Eusebio, Nicolao Methon. Marco
Ephesino, Bessarione Tuscul. JOANNIS *testibus* Abdia, Eusebio,
Polycrate, Beda, MATTHÆI, PHILIPPI, BARTHOLOMÆI, THO-
MÆ, Simonis Judæ, Pauli, Barnabæ, Romana Petrina, Jacobi Hie-
rosolymitana, Byzantina Andreæ, Ephesina Johannis, Indica Tho-
mæ, Alexandrina Marci, Mediolanensis Barnabæ, Atheniensis
Dionysij, Arabica Isidori, Cappadociana Basilij, Chrysostomiana,
Syriaca. † *His fundamentis defensurus suam interpretationem Her-* §. 3.
berus sibi videtur: quæ qualia sint videamus. Usi sunt equidem hoc argu-
mento multi, ut Rob. Bellarm. *lib. 1. de Missa, c. 13.* Heinriquez *cap. 10.*
Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 47 sect. 1.* Ajala *de div. trad. part. 3. conf.*
5. Bozius *lib. 13. de not. Ecclesiæ, c. 3.* Steph. Durantus *de ritib. Eccl. c. 1.*
Baron. *Tom. 1. Annal. ult. Ann. Chr. 44. sect. 83. p. 371.* Bisciola *in Epit.*
Annal. p. 29. Stapleton. *Antidoto h. l.* Cottonus *discurs. de Euch.* An-
dreas Richlicius *in Paulo p. 3. n. 31. & seq.* Salmeron *Tom. 9. p. 216. &*
Tom. 12. p. 237. & alij magnæ ex illa parte autoritatis viri. Sed usi sunt
eo, impetu cujusdam præjudicij, quo in firmamentum causæ quanquam
malè cohæsura aut conclusura trahunt. † *Sive enim Vetus, sive No-* §. 4.
vum Instrumentum, sive sanctioris puriorisq; antiquitatis monumenta
consulueris, vox liturgia nuspiam externum aliquod, visibile, ex Eucha-
ristiæ inversione ortum sacrificium notabit. Certè λειτουργεῖν *est opus fa-*
cere publicum vel publicè, primâ notione, sed latius postea illa vox est
accepta. In V. Testamento octo sunt verba, quæ aliquoties in ver-
sione Græca redduntur per λειτουργίαν & λειτουργεῖν. 2. Paralipom. 30.

Liturgia quid notet in V. T. libris Canonicis.

℣. 4. Interp. Græc. habet λειτουργίαν, in Hebræo est תורה *lex*: notat
ibi λειτουργία sancitum Domini omne, quod de ministerio sacro
positum est. † 1. Paralip. 26. ℣. 30. Græca versio habet λειτουργίαν, §. 5.
quæ vox exprimere debet Hebræam מלאכה, *omne in universum*

opus notantem. Exod. 38. ℣. 32. *ſanctus textus habet* עבדת הלוים: Græcus verrit τὴν λειτουργίαν τῶν λευϊτῶν: *ſervitium Levitarum: quicquid muneris Levitis obeundum.* עבדה *eſt in genere ſervitus, ſervitium, cultus.* Hoc ſenſu repetitum eſt vocabulum Num. 7. ℣. 5. & 8. c. 8. ℣. 22, 24, 25. c. 16. ℣. 9. c. 18. ℣. 4, 6, 7, 21, 23, 31. 1. Paral. 6. ℣. 32. c. 9. v. 13. c. 19. v. 28. c. 23. v. 24, 26, 28. c. 24. v. 3, 19. c. 28. v. 13, 20, 21. 2. Paral. 8. v. 14. c. 31. v. 2, 16. c. 35. v. 10, 15, 16. Nullibi notat ſacrificium ex ſe: ſemper univerſalitas ejus & amplitudo, reſtrictioue certâ modò ad hanc, modò ad aliam materiam trahitur. Ezech. 29. v. 20. Græcus tranſtulit vocem פעלה *in vocem* λειτουργίας & notat ibi *opus vaſtationis & ſpoliationis Ægypti, quod Nabuchodonoſori permiſit juſtiſſimo judicio Deus.* Num. 8. v. 24, 25. *vox Græcæ tranſlationis* λειτουργία, repræſentat *Hebræam* צבא, notat *ſtationem certo ordine & tempore conſtitutam ſive in Eccleſia, ſive foris in bello.* 2. Paral. 31. v. 2. *verbum* λειτουργέω refert *radicem* הלל: *quæ* ſignificat *laudare, cantare, gloria affici.* 1. Paral. 11. v. 11. v. 13. eſt radix כהן, *quæ* notat, *conſtitutus ſeu ordinatus eſt, ad ſacra quævis perficiēda:* vertitur *à LXX. per* λειτουργεῖν. 1. Paral. 23. v. 28. *eſt radix* עבד *quæ generaliter omne ſacrificium debitum* notat. vertitur *quoque per* λειτουργεῖν. Sub eadem radice *per* λειτουργεῖν *verſa* 2. Paral. 35. v. 3. *comprehenditur ſervitiorum Deo & hominibus debitorum à Levitis præſtatio.* Sexagies ſemel circiter *ſub radice* שרת *vox* λειτουργεῖν *uſurpatur & generatim omnia ſervitia ſeu potius miniſteria ingenua & exquiſita Deo & hominibus exhibere* notat. Sic *Levitæ Aaroni ſe copulent, ut* λειτουργῶσιν αὐτῷ. Num. 18. v. 2. Sic παιδάριον *Samuel* ἦν λειτουργῶν κυρίῳ. 1. Reg. 2. v. 13. Sic *Abiſac erat apud regem* λειτουργοῦσα αὐτῷ. 3. Reg. 1. v. 4. & 15. Sic *Eliſæ erat apud Eliam* καὶ ἐλειτούργει αὐτῷ 3. Reg. 19. v. 21.

§. 6. In Apocryphis Vet. Teſtam.

Sap. 18. v. 21 *partes atque inſtrumenta* λειτουργίας *Moſaicæ recenſentur precatio & placatio thymiamatis.* Syrac. 50. v. 21. *vox* λειτουργίας *complectitur univerſum cultum Dei & ornatum in templo exhibitum.* 2. Maccab. 3. v. 3. *vox* λειτουργίας *connectitur cum vocabulo* θυσιῶν, *ut notet miniſterium circa* θυσίας *occupatum, quod non notaſſet, niſi ita connexum. Eo ſenſu* 2. Macc. 4. v. 14. *cum* θυσιαστηρίῳ *copulatur.* † In

§. 7. In Novo Teſtam.

Novo Teſtam. Rom. 11. v. 16. *Paulus dicit ſe* λειτουργὸν, *utique talem, qualis* λειτουργούντων τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ *per impoſitionem manuum factus eſt,* Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ. *Sacrificium eſt Evangelium.* v. 17. *dicit Gentes ſanctis Hierolymis* λειτουργῆσαι ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *quando collectis & Eleemoſynis eis*

ſuccur-

ſuccurrunt. Hebr. 10, v. 11. λειτουργεῖν *tanquam generalius & ſua amplitudine plura complexum reſtringitur per* τὸ προσφέρειν θυσίας Luc. 1. v. 23. λειτουργία *vocatur officium* τοῦ θυμιᾶσαι, *quod Zacharias ex ſtatuto obijt.* 1. Cor. 9. v. 20. λειτουργία *iterum vocatur contributio illa & communicatio fidelibus facienda.* Philip. 2. v. 30. *Paulus Epaphroditum commendat, quod eo uſq; ſibi cohabitárit, ut cum diſpendio neglectuq́; ſalutis & vitæ corporalis ſuccurreret,* ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ τῶν ἐν φιλιπποῖς ὑστέρημα τῆς πρὸς αὐτὸν λειτουργίας: *qua de cauſa verſ.* 25. *ſupra* λειτουργὸν τῆς χρείας *eum vocat.* Hebr. 9. v. 25 *ſunt* σκεύη τῆς ἁγίας λειτουργίας *vaſa in tabernaculo poſita, ad ſacrum miniſterium, non tantum ſacrificialia.* Philip. 2. v. 17. λειτουργία *notat actus fidei, ſpiritualia ſacrificia.* Hebr. 8. v. 2. *Chriſtus eſt* λειτουργὸς *poſtquam conſedit* ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς τῶν ἁγίων, *qui & ἔτυχε* διαφορωτέρας λειτουργίας. *Angeli etiam vocantur* λειτουργοὶ. Hebr. 1. v. 7. λειτουργικὰ πνεύματα.

§. 8. *In Patrum Monumentis.*

Sic & apud S. Patres *varia eſt hujus eſt vocis uſurpatio.* Gregorius Nazianzenus *in Epitaph. Gorgon. ait, Gorgoniam aliquandiu operam quærendis liberis dediſſe, deinde totam ſi* DEO *conſecraſſe:* λειτουργήσασαν κόσμῳ καὶ φύσει ὅσον ὁ τῆς σαρκὸς ἐβούλετο νόμος: *poſtquam debitam operam præſtitiſſet mundo & naturæ quantum carnis lex requirebat.* Clemens Alexandr. *lib. 5. Stromat. ſcribit, nuptias habere* λειτουργίας καὶ διακονίας τῷ κυρίῳ διαφερούσας: *functiones quaſdam & miniſteria ad Dominum pertinentia.* Chryſoſt. *ſerm. 3. in Annam, ed. Gr. Tom. 5. pag. 76. monet patres, dent operam, ut filij ſui fiant cives cœleſtis civitatis, quò* τὴν ἐκεῖ λειτουργίαν ἀξιωθῶσιν ἐπιτελεῖν, *digni reperiantur ad functiones ibi præſtandas. & poſtea ſæpiſſimè repetit, eos, qui vitam piè agunt,* τὴν λειτουργίαν ταύτην τελεῖν *hoc pietatis officio fungi.* Juſtinus Martyr *lib. de Monarch. Dei, p. 81. ait,* τὰς τελετὰς εἰς τιμὴν τῶν ὑπερεχόντων λειτουργίας. *Exequias ſolenniores virorum eminentiorum eſſe* λειτουργίας *publicæ autoritatis miniſteria à ſuperioribus illorũ honori decreta.* Theodoret. *ad Græc. Inſid. ſerm. 4 de mater. & mundo ex* Platonis Timæo *angelos* θεοῦ λειτουργοὺς *vocat.*

§. 9. *In Scriptis Philoſoph.*

Sic *apud* Philoſophos Græcos περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργεῖν & λειτουργεῖν τὴν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν, *dicuntur Magiſtratus, qui remp. curant.* Εὔποροι *divites dicuntur* λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις *opibus Reip. inſervire. Sic &* τεκνογονία *eſt* λειτουργίας *genus.* αἱ πρὸς θεοὺς λειτουργίαι *dicuntur omnis generis officia dijs tributa.*

§. 10. *In Iuriſprud.*

Juriſprudentes *variè uſurpant:* leg. ſemper 5. §. 2. *de jure immun.*

ex re-

ex rescripto D. Elvii Pertinacis *dicitur* μὴ πασῶν λειτουργιῶν ἄφεσιν, *indulgere natorum numerum &* §.6. *infra h. t. habentur* ἀξιοῦντες τὰς λειτουργίας διαδιδράσκειν: *postulantes subterfugere ministeria seu munia publica.* Nov.14. *præf. Iustiniano, artem meretriciam exercentes, dicuntur,* τὴν ἀνοσίαν λειτουργίαν πληροῦν: *impiam & scelestam functionem implere.* Nov.120. *c.6.* §. 1. *Iustinianus* Clericos *Ecclesiæ* Constantino-*politanæ vocat* ἐκεῖσε λειτουργοῦντες, *ibidem ordinantes, ut versio vetus habet.* §.2. *Monachi quoque venerabilium monasteriorum vocantur* λειτουργοῦντες, Scrimgero, *qui ibi faciunt ministerium debitum: Iuli. hic; deservientes, vers. vetus. Novell.7. c.* 11. *Iustinianus ait* ἱερὰν λειτουργίαν, *ut Scrimgerus habet, sacram missam, ut Iulianus* Patritius *vertit, sacrum ministerium, ut vetus interpres traducit, duo continere in se: lectionem, nimirum, sacrarum scripturarum & traditionem sacrosanctæ & ineffabilis communionis.*

§. 11. *Usus vocis Ecclasiasticus.*

Rectè itaque monet doctissimus Isaac Casaub. *in Exerc. ad Ann. Baron.* 16. *sect.* 41. *p.* 535. *usum Ecclesiæ, vocem stylo scripturæ & antiquitatis communem, peculiariter aptasse ministerio & cultui sacro &* καθ᾽ ἐξοχὴν *publicæ verbi divini annunciationi, diebus dominicis & festis usitatæ, & administrationi sacramentorum, & inprimis dispensationi Eucharistiæ publicæ & in cœtu concioneque fidelium factæ. Vide* Dionysium *in hierarch. Eccl.* Basilium, Gregorios Nazianzenum & Nyssenum, Chrysostomum, *& cæteros patres, quibus ministri Ecclesiæ, præsertim verò presbyteri aut Episcopi vocantur* λειτουργοὶ τοῦ θεοῦ *vel* τοῦ θυσιαστηρίου *vel* τῆς καινῆς διαθήκης, *&* οἱ τὴν λειτουργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι. *licet* Dionysius *more suo & instituto, quo voces in Ecclesia usitatas perpetuò refugit & alias earum loco usurpat,* λειτουργοὺς *vocitet* διακόνους. Balsamon. *ad Concil. Sardicense* λειτουργεῖν *exponit,* ἱερουργεῖν *more styloque Paulino. Hinc* λειτουργίαι *ritualia & descriptiones ordinis in sacris observandi natæ, de quibus post.* In actis Cōcilii Ephesini *mentio fit* ἑσπερινῶν καὶ ἑωθινῶν λειτουργιῶν, *serotinarum & matutinarum liturgiarum & notat* Theodorus *Balsamon,* λειτουργίαν *aliquando constare sola oratione, sine ulla sacramentorum dispensatione.*

§. 12.

Nos itaque nihil incommodabimus cœlesti veritati, licet missam Papalem λειτουργίαν *vocaverimus. Generalissima enim vox est & malignantium etiam actiones notat. Dolent maximè fidelia pectora & Deo sacra, quod ita publicè iniquitatis mysterium insolescat & magnam terrarum dementet partem illa* λειτοκακουργία. *Sed quod, vel priscæ Ecclesiæ sensu, vel scripturarum stylo in Actor.* 13. *v.* 2. *usurpato, sit* λειτουργία *ipsum*

sacrifi-

ſacrificium miſſæ , id non nos tantum negamus. Certè Syrus *habet* מתכשפין: *ubi in Græco eſt* , λειτουργούντων. *Actor.l.c.* כשף *autem propriè ſignificat obſecro & uſurpatur etiam* Act.4. v.31. Philipp. 1. 1.v.4.Eph.v. 18.1.Theſſ.4.v.1.& 3.v.10.Boderius in Lex.*Syrochald. ait,referente Lorino ad h. l.p.563. participium Syriacum ſignificare, exercentes actionem,qua vel ſacrificent,vel preces concipiant.*Chryſoſtomus & Oecumenius,τί ἐστι λειτουργούντων? τοῦτ' ἐστὶ κηρυττόντων: *id eſt, prædicantibus: concionantibus.* Lyranus: *miniſtrantibus ſc. in bonis operibus ſecundum ſuos gradus & officia, & jejunantibus, ut eſſet mens elevatior ad divina.* Hugo Cardinalis: *miniſtrantibus prædictis prophetis.* Dionyſius Carthuſianus.*in actibus virtuoſis, in obſervantiis præceptorum & conſiliorum,in converſione aliorum.* Cajetanus Cardinalis,*Non explicatur ſpecies miniſterii, ſed ex eo, quod dixerat, Prophetæ & Doctores, inſinuatur,quod miniſtrabant Domino , docendo & prophetando. Arias Montanus ad præſ. loc. ita ait* παραφράζων: Cum quodam die miniſterium ſuum exercerent, prophetandi & docendi & indicto jejunio vacarent orationi & precibus, commendantes Deo amplificationem Eccleſiæ.

Conſideremus in tranſcurſu circumſtantias Textus 1. *Qui verſu* 2. *vocantur jejunantes & ſacrificantes ſpiritualiter ſc. ſeu miniſtrantes Domino,v.3.vocantur jejunantes & orantes.Verſus v.3. continet* τέλος *verſus* 2.*Nihil igitur hîc pro miſſa. Concedere videtur* 2. *Herberus,*Paulo & Barnabæ non prædicandi Evangelii opus ſed ſacrificandi fuiſſe per impoſitionem manus collatum.*Atqui verò Paulus & Barnabas jam vocantur* λειτουργοῦντες *ex q; illorum numero ſegregantur.Ergò* λειτουργοῦντες *non ſunt ſacrificantes.* 3. *Paulus & Barnabas jam ad omnia opera Evangelii & ſacri miniſterii erant deſtinati & illa peregerant.E.non demum ad opus Evangelii in genere hîc aſſumebantur. Eligebantur ergò ad opus Evangelii latius inter gentes in interiori Græcia & alibi propagandum.* 4. *Opera ea,quæ poſt dimiſſionem & ſegregationem illam Antiochenam fecerunt Paulus & Barnabas, planè reſpondent iis,quæ antea fecerant.* 5. λειτουργοῦντες *dicuntur Prophetæ & doctores.At non omnis Propheta & doctor neceſſariò eſt Sacerdos.* † 6. *Ais,* §. 15.
dici illos λειτουργοῦντες τῷ κυρίῳ. Quod nequeat intelligi de miniſte- *Salmeron*
rio prædicationis:cum nemo dicatur prædicare Evangeliũ Domi- *Tom.*12.
no.*Quid tum?* λειτουργεῖ *miniſtrat tamen Domino prædicando Evan-* *p.*238.
gelium. Abſurdum eſt, aſſerere, prædicare nos Evangelium Domino tanquam auditori & informando:prædicamus tamen Evangelium tanquam autori,informanti & imperanti. † 7. *Ais,* ordinandos fuiſſe §. 16.

Apost. Paulum & Barnabam; at huc non attinere prædicationem Evangelii. *Quasi verò non jure summo & ordine pulcherrimo sanctissimoq; ordinationi præmitti posit prædicatio Evangelij, qua tum officij sui ordinandi, tum dignitatis & divinitatis in hoc munere reconditæ moneantur auditores. 8. Adde in ipsa* λειτουργήσει *&* νηστεύσει *immediatè à Spiritu Sancto fuisse illam segregationem imperatam. Itaq;* λητούρ-
§. 17. γημα *illud non intentione ordinationis futuræ fuit institutum.* † *9. Ecquid verò Missæ sacrificium illud fictitium? ubi mandatum de illo pro ordinandis suscipiendo? Probandum prius, illud esse jure divino, antequam vel adhibitum vel usitatum esse tam inanibus conjecturis divineris.*
Salmeron 10. *Ais,* λειτουργίαν conjungi cum jejunio, adeoque missam, quam
Tom. 12. solam non jejunis non licet adire, per eam intelligendam. *Jeju-*
p. 238. *num hoc certè argumentum! Vtinam sobrium esset! Quasi verò non benè conveniat etiam cum reliquis exercitiis & ministerijs sacris jejunium? Quasi verò necessitate aliqua absolutâ jejunium cum* λειτουργία *fuerit connexum? Quasi verò Papistica jejunandi vel ratio, vel intentio hic observata fuerit.*

§. 18. *Laudamus igitur ingenuitatem* LORINI, Jesuitæ Avinionensis,
Lorinus *qua in c. 13. Act. p. 563.* Porrò, *inquit*, contraria expositio de liturgia,
Herbero (*qua vel de prædicatione* Evangelii *vel de spiritualibus summæ devotio-*
contradi- *nis exercitijs accipitur*) non est ita rejicienda, ut omni penitus pro-
cit. babilitate carere censeatur, nec nostram adeò certam putamus, ut eâ tanquam necessario argumento, tametsi valdè probabili, hæreticos arbitremur convinci. *Intentiùs dubio procul meditatus est conjecturas frivolas & inanes, quas ad fabricam missæ ex hoc loco con-*
§. 19. *stituendam producunt commilitones sui.* † *Ab eadem mente est, quod*
Sanctius Casp. SANCTIUS Centumputeolanus Jesuita *in c. 13. Act. p. 252. n. 3.*
Herbero *scripsit.* Postquam *enim aliorum rationes enumerasset firmitatis ma-*
contradi- *ximas, addit*: hæc videntur magis habere firmitatis, sed quia non
cit. omninò, quæ objiciuntur ab aliis, sunt improbabilia, argumentũ hinc sumi, grave quidem, potest, non tamen necessarium: quod
§. 20. etiam visum est Bellarmino & Suarezio, *hæc ille.* † *Optimè tandẽ doctissimus* Jesuita Benedict. JUSTINIANUS *Proleg. in Apostol. Pauli Epist. c. 2. disp. 1. p. 8. n. 3. inquit*: Illud probare nullo modo possum, quod video multis vehementer placere, Græcam vocé λειτουργεῖν præcisè in sacris literis positam de sacro ministerio & sacrificio intelligi. *Et post varias rationes allatas pergit.* Qua igitur ratione λειτουργούντων apud LUCAM interpretamur, sacrificantibus? At λειτουργεῖν publico ministerio convenit. Quasi non alia multa præ-

ter

ter sacrificium publica ministeria reperiantur. Munus utique publicum erat docere, Prophetas interpretari, Evangelium promulgare, vitam moresque hominum instituere: & si quid aliud ejusdem generis excogitari potest. Atqui hæc Deo non exhibentur. Lucas verò ait, λειτουργούντων τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων. Ubi jejunium absolutè ponitur, cùm tamen & ipsum ad Dei potissimum gloriam referatur. Ministerium autem Deo dicitur exhiberi, ut quale tandem (si sacrificium tollas) ministerium Deo propriè & soli impenditur. Probabilis ratio, non necessaria tamen. Nam Paulus reges vocavit Dei ministros, id est, λειτουργοὺς non propter sacrificium, sed propter publicam functionem, qua Deo dicuntur λειτουργεῖν sive dum bonis civibus præmia, sive dum improbis pœnas reddunt. *In Can. autem Apost. 29.* hæc leguntur: Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus justè ob manifesta crimina depositus ausus fuerit ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας. Ubi absolutè Diacono tribuitur λειτουργία. Ex quo apparet latius patere, quam sacrificium & significare publicum munus aut ministerium, aut certè aliquo modo sacrum. quod confirmat GREGORIUS NAZIANZENUS, qui λειτουργίαν, id est, ministerium, & ἡγεμονίαν, id est principatum pro eodem accipit. Clarius Patres *Concil. Ancyrani c.* 1. loquentes de presbyteris, qui idolis immolarunt. Placuit, *inquiunt*, honorem sedis retinere, offerre autem & sermonem apud populum facere, ἢ ὅλως λειτουργεῖν, id est, aliquo omnino sacro munere fungi non liceat. Concludo verba illa Lucæ λειτουργούντων καὶ νηστευόντων probabiliter, non necessariò de missæ sacrificio intelligi. Eam verò sententiam, quæ asserit, illa ad Evangelii prædicationem pertinere, malos quidem habere autores, id est, hæreticos, non videri tamen à vero prorsus alienam, neque ab ea, multo ante exortas hæreses, viri Catholici abhorruerunt. *& post.* Nam ego quidem, ut verum fatear, adduci non possum, ut credam, hæc in ipso missæ sacrificio contigisse. Nam cur quæso additur, & jejunantibus? An existimandum est, de eo tantum jejunio agi, quod tum servabant, cum divino sacrificio inter erant? Frigidum quidem id esset, ac planè ridiculum. Suspicor igitur, pro re benè gerenda, cum diligentiùs quisque pro sua virili in vinea Domini laborarent, indicta fuisse jejunia ad aliquot dies, per id verò tempus Spiritum Sanctum monuisse Prophetas, ut Paulum & Barnabam à cæteris segregari atque initiari præciperent. Quo circa, quod plerique observant, ad

sacros ordines non modò sacrificium missæ, sed etiã jejunia fuisse adhibita, verum id quidem, sed vereor, ut possit ex hoc loco colligi. Cum λειτουργεῖν ac jejunium non tam fuerint propter ordines assumta, quam dum discipuli his rebus operam darent, divino monitu Paulus & Barnabas initiati sint. *Hæc* JVSTINIANVS.

§. 21. Cl. Sainctes de loc. Act. 13. discursus proponitur.

Claudius Sainctes Ebroicensis Episcopus *in præfat. ad Liturg. à se editas cap. 3 p. 8. Græci*, inquit, *nomen* Missæ *in suam liturgiam mutarunt, quæ planè idem afferat. Est enim* λειτουργία κυρίως ἡ δημοσία ὑπηρεσία παρὰ τὸ λήϊτον καὶ τὸ ἔργον, *η* in *ε* per systolem mutato & tum E & I in EI diphthongum coeuntibus, ut Etymologici autor notat, id est, *Liturgia propriè dicitur officium seu ministerium & munus publicum, à voce antiqua* λήϊτον, *quæ* πρυτανεῖον καὶ δημόσιον, id est, *publicum significat. De liturgia, ut tributum est, seu functio alia publica, Demosthenis contra Leptinem est oratio. Hinc pro immunitate passim in Græcis legibus obvia* ἀλειτουργησία, *quam hoc modo attingit Modestinus ff. de excus. tut. l. 15. accipiens vel habens* ἀλειτουργησίαν *civilium vel publicarum liturgiarum &c. Itaq; si placet Missah hebræorum ad Græcos traducere, quo id facias aptissimè, non aliud, quam Liturgias nomen comperies, quod æquè latè pateat, nec minoris sit emphasis. Contra si liturgiam Græcorum vis ad linguam sanctam revocare, per Missah id cures necesse est. Si Latinè utrumque postulas, nullum quam officij nomen significantius habebitur, quo Latina Ecclesia, cum agitur de sacrificio ac divino obsequio, sæpe delectatur. Deinseps cogitandum Missah ac liturgiam à sui amplitudine significatus per primos Christianos in has angustias esse redacta, ut ad solum Dei cultum & sacrificij obsequium usurpentur. Græci Lucam Evangelistam hac in re sunt secuti, cujus quoniam scriptura aliò torquetur ab hæreticis, contentum quæso videamus.* Post posita verba *Act.* 13, 1. 2. 3. *Hæreticorum*, ait, *contra Catholicos concertatio est de expositione* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν. *Hæretici sive* ministrãtibus *sive* sacrificantibus *trãsferatur, ad docendi officium, quod publicum & sacrum Apostolis fuit, derivant, ac se Chrysostomi hoc loco profitentur sectatores, cum nulli magis de sacrificio & sacerdotio, quam Chrysostomo repugnent. Nos contra, ut ad sacerdotij munus hunc locum referamus, quatuor movent. Inprimis autoris Lucæ stylus, apud quem non nisi de sacerdotij & sacrificij negotio* λειτουργίαν *& ab eo deducta leguntur: ut* ἐπλήσθησαν ἡμέραι τῆς λειτουργίας, *cũ de Zacharia ageret*, ut impleti sunt, *inquit*, dies sacrificii ejus, *quod utiq; ut litem commonstrat, jure divina facienda consistebat. Deinde locus ipse satis aperit significatum.* Quid enim tum jejunantes & orantes,

ces, imponentesque eis manus, dimiserunt eos, nam si ut expressius græcè scribatur. Τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς ἀπέλυσαν id est, completo jejunio, oratione confecta, ac manibus impositis eos dimiserunt. Quod prius dixerat, λειτουργούντων καὶ νηστευόντων, alio verbo repetivit, νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, ut λειτουργούντων certè ad orationem & Dei cultum ac rem divinam pertineat, quoniam & προσευξάμενοι. Tertiò quid singularis commercij cum jejunio in Apostolis habebat docendi officium, quod passim ac promiscuè administrabant? Certè nemo mihi persuadebit, quia hic divinus scriptor subindicat singulare ac sacrum quoddam ministerium ac ritum, quo se ad Dei Spiritum advocandum cum jejunio Apostoli desponerent. Postremò lucem non obscuram huic loco affert traditio primorum Christianorum ad nos usq; perseverans. Omnes constanter λειτουργίας nomine sacrificij administrationem nuncuparunt. Ita Apostoli Can. 28. Si quis Episcopus aut presbyter, aut diaconus ob manifesta crimina justè depositus ausus fuerit ἅψασθαι τῆς πότε ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας contingere suam de sacrificio administrationem, deponitur. Hoc pacto genus istud dicendi ex Apostolis per Patres Gangrensis Concilij repetitum est. Presbyteros, qui matrimonia cõtraxerunt, sperni debere dicunt, καὶ τῶν λειτουργιῶν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενομένων μὴ ἁπτόμενοι nec sacrificia quæ ab eis cõficiuntur attingi. Jacobus Missam suã, Chrysostomus, Basilius atq; alij, qui rem divinam tractarunt, liturgias vocabulo expresserunt. Quoties de sacro hoc ministerio habetur oratio. Patres nullius nominis frequentius, quam liturgias meminerunt. Ignatius Diaconos ad angelorum exemplar huic sacrificio quasi Deo in cœlis λειτουργοῦντας τὴν λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον inservire purè & imediatè ostendit. Ita quoq; Patres Gangrensis Concilij: Si quis existimat de Presbytero, qui aliquando uxorem duxerit ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν; id est, quod non oporteat eo sacrificãte ipsius oblationi communicare, anathema sit. Multa hujus generis occurrunt, quæ legendis veteribus observabit lector Christianus. Post hunc potissimum significatum novimus nostros per λειτουργίαν & per λειτουργεῖν non tantum sacrificij faciendi munus comprehensos, sed omnia, ad quæ constituitur omnis Pontifex, ut offerat dona ac sacrificia atq; omnem cultum Dei pro populo: cujusmodi sunt etiam preces statis horis publicæ, quas vocamus horarias, sacramentorum ministeria atq; alia, ita ut totum contineatur sacrum, quod vulgus dicitur, officium; sed maximè ut rem sacrificij attingit & ad illud refertur. Sic enim apud Gregor. Nazianzenum est: si cuncti ad sacerdotii principatum adspirent, ac

ad Trallianos c.4

nemo subjici sustineat, æquè confusum erit, ut si omnes εἴτε τὴν λειτουργίαν χρὴ λέγειν, εἴτε ἡγεμονίαν sive ministerium sive principatum vocemus, detrectaverit. Sic enim maxima ex parte claudicabit, & jam non amplius honestatem suam honesta Ecclesiæ disciplina retinebit. Quo facto quomodo post hac, aut à quibus colitur Deus, aut ea quæ mystica sunt ac sursum ad cœlestia ducunt, dispēsabuntur; non existente rege, non principe, non sacerdotio, non sacrificio non existentibus omnibus, quorum olim tanquam maximorum bonorum privatione propter gravia scelera immorigeri puniti sunt ac damnati. *Sic Ancyranum Concilium*: Presbyteros qui immolaverunt &c. placuit honorem sedis retinere, offerre autem & sermonem apud populum facere, ἢ ὅλως λειτουργεῖν, id est, aut aliquibus sacerdotum officiis fungi, non liceat. *Novimus etiam non ad solos sacerdotes* λειτουργεῖν *in hoc sensu pertinere, sed ad omnes ordines, qui ad s. ministerium consecrati publicè sunt & addicti. Interim cum id ingenuè fateamur, impii sunt, qui suo more inde sublatum volunt præcipuum significatum, quia ad alia possit transferri.* † Ad hunc Claudii discursum ℞. I. Nomen liturgiæ alicui vocab. Hebræo Missah respondere, & usitatum Missæ nomen Hebraicum esse, supra c. 2. ex Pontificiorum schola confutatum est. vide p. 44. Joh. Lorinus Lojolita ad Deut. 16. p. 600. inquit: Mariana notat, quosdam Missam nostram à voce מסה deducere, videturque placuisse Concilio Senonensi decreto de fide cap. 11. Claudio de Sainctes præf. ad Liturgias, Reuchlino l. 2. Rudim. Alciato lib. 6. parerg. cap. 10. Hect. Pinto in Dan. c. 3. Pamelio in liturg. Munstero hæretico in Lex. Hebr. Demochari de sacrif. Miss. c. 1. Scortiæ nostro l. 1. de Missa cap. 1. Baronio Tom. 1. Ann. Antonio de Molina Instr. Sacerd. c. 3. c. 2. Covarruviæ 2. Var. c. 22. Roffensi defens. Reg. assert. c. 6. Citat ex his aliquot Henriquez noster, sum. theol. T. 1. l. 9. c. 10. lit. n. sed non omnes id asserunt. Roffensis autem tribuit Johanni Capnioni & aliis. Obstat nonnihil, quod objicit Johannes Stephanus Durantus 3. de Missa cap. 1. post Lindanum Panopliæ IV, 37. & nominatum Henriquez, quod si Missa nomen Hebraicum esset, atque à Christianis ex Hebræis retentum, sicut Sabaoth, Alleluia, Osanna, Amen, Abba &c. Græci Patres illius, ut & aliorum meminissent, & veteres Latini tanquam Hebraicam usurpassent. Ut omittatur, quod c. 15. Deut. v. 1. dixi, nemo scribit aspiratè Missah, prout exigit Hebræa vox. II. Quæ de eo significatu λειτουργίας disputat, quo vel politica, vel Ecclesiastica publica

Canon I.

§. 22. *Refellitur*

blica officia denotat, etiam à nobis confirmata sunt, & à Ben. Justiniano supra ferè iisdem cum Sanctio verbis deducta. Et sanè Justinianus nobiscum inde concludit, non esse certum, Act.13. sacrificium præcisè designari, quia amplius significat. Si hæc concludendi ratio impia est, impia erit etiam ratiocinatio Jesuitæ. Sanè si significatum, quo pro sacrificio λειτουργία sumitur, esset usitatissima, frequentissima, receptissima, observanda esset regula hermeneutica, qua jubemur vocabulum absolutè positum accipere in significatu famosiori. At de ea in N. Testamento maximopere dubitatur. III Quod locum Luc.1,23. attinet, omnino pro toto officio Ecclesiastico etiam λειτουργία ibi sumitur. quod vero in illo sancto officio etiam fuit sacrificium aliquod & ἱερατεία τῶν θυμαμάτων, ex eo liquet, quia sacerdotum V. T. λειτουργία complexa est in se sacrificium. De cultu divino Act. 13. sermonem esse, lubenter fatemur. Sacrificialem proprij generis ibi commemoratum esse, negamus. Non est impertinens cum jejunio, precibusque docendi & meditandi magnalia Dei operationis conjunctio. Sine dubio prophetiæ donum tunc exercenti ex Apostolorum choro alicui Spiritus Sancti illa illuminatio contigit, qua informati erant discipuli, mittendum segregandumque esse Barnabam & Saulum. IV. Traditio constans non docet per λειτουργίαν sacrificium proprium fuisse intellectum. Non Canon 28. Apost. *Canones enim Apostolorum*, inquit Isidorus Hispalensis apud Gratianum dist. 16. C. Canones. *seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec S. Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in iis utilia inveniantur, tamen ab autoritate Canonica atq; Apostolica eorum gesta constat esse remota atq; inter Apocrypha deputata.* Quod ab Isidoro dictum est, non propter admixtionem quorundam Canonum adulterinorum post 50. priores, quales sunt *65.67.* & 84. ut vult Ant. Possevin. app. sacr. V. Clemens, sed propter admixtionem quorundam Canonum inter quinquaginta illos priores, quemadmodum colligitur ex Gratiano, qui postquam observasset, *Apostolorum Canones esse* 50, illicò addit, ut legimus in antiquioribus editionibus; *hos non recipiendos, sed inter Apocrypha deputatos Isidorus scribit, dicens*, Canones, qui dicuntur Apostolorum &c. Atque sanè, *inquit Rob. Cocus Censur. p. 6.* si 50. illi Canones priores essent Apostolici, tum Apostolicam autoritatem obtinuissent in Eccelsia, æquè ac Epistolæ Apostolicæ, & vim haberent hominum conscientias obligandi in obedientiam:

De Canonibus Apostolor.

entiam: at nemo ita desipuit (excipio unum Damascenum de O. F. IV, 18. quem eo nomine redarguit Baronius Tom. 2. ad ann. Chr. 102. n. 10.) qui illis autoritatem Apostolicam impertiendam esse censuit. Neque quisquam est ex Pontificiorum grege, qui se ad horum Canonum observantiam adstringi patietur. Canoni enim 50. Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conjugium approbanti repugnat lex Ecclesiastica Synodi Tridentinæ ser. 24. c. 9. Canoni 9. præcipienti, ut fideles omnes sacramentaliter communicent, qui intersunt sacris, repugnat Synodus Tridentina sess. 22. can. 6. probando Missas privatas. Et ut verbo dicam, Michael Medina de sacror. hom. continent. lib. 5. c. 105. dicit, ex 84. *Apostolicis Canonibus, quos Clemens Rom. Pontifex & eorundem discipulus in unum coegit, vix sex aut octo Latina Ecclesia nunc observat.* Neque multò secus Mart. Peresius de trad. part. 3. de autorit. Canon. Apostol. fol. 243. Asserit enim. *In illis contineri multa, quæ temporum corruptione non plenè observantur, alijs pro temporis & materiæ qualitate aut obliteratis, aut totius Ecclesiæ magisterio meritò abrogatis.* Sed & Canon indicatus nobis non est adversarius. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ

Canon Apost. explicatur.

πρεσβύτερος, ἢ διάκονος καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπὶ ἐγκλήμασι φανεροῖς τολμήσειεν ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας, οὗτος παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας: Vetus translatio sic habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter aut Diaconus depositus justè super certis criminibus ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus abscindatur.* Gentianus Hervetus ita reddit: *si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus justè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesia omninò abscindatur.* Ubi hic sacrificium Missæ? Liturgia vocatur functio & operatio ecclesiastica, quæ consistit in œconomia mysteriorum. Joh. Tilius in Nomocanone Photii ita trãsfert paraphrasin Theodori Balsamonis Patriarchi Antiocheni super hunc Canonem: *Qui ob manifesta crimina est legitimè depositus, & ideò ne appellationis quidem habet auxilium, si prius ministerium suum ausus fuerit attingere, ut impudentissimus abscindatur.* Gangrensis Synodi Can. 4.

Canon Gangrensi explicatur.

ex edit. Gentiani Herveti ita habet. *Si quis de presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, sit anathema.* Balsamon ita παραφράζει, seu, ut loquuntur, summat. *Præsens canon eos anathematizat, qui non indistinctè communicant sacris sacerdotum, qui habent uxores.* In edit. Veteri I. ita sonant verba, *Quicunq; discernit à presbytero, qui uxorem habuit,*

quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. In edit. Veteri 2. ita. *Si quis discernit presbyterum conjugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò se abstineat, anathema sit.* In epist. Synod. de Eustathianis dicitur, eos asseruisse: *In domibus coniugatorum nec orationes quidem debere celebrari, in tantum, ut eandem fieri vetent, & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, minimè communicandum esse decernant: presbyteros verò, qui matrimonia contraxere, sperni debere dicant, nec sacramenta, quæ ab iis conficiũtur, attingi.* Hic fit mentio oblationum, sed non intelliguntur corporis & sanguinis Christi sacrificiales coram Deo exhibitiones, verum elementorum in Dei conspectũ productiones & consecrationes, ut sanctissimo operi inserviant. Hoc vocat Synodus etiam *sacramenta conficere.* Aliàs Hervetus τὰς λειτουργίας ὑπ' αὐτῶν γινομένας sacra ab illis sc. sacerdotibus celebrata vocat. Et quia Ignatius vocat Angelos Deo in cœlis λειτουργοῦντας τὴν λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον, satis clarum est, eum per λειτουργίαν non intellexisse sacrificium propriè sic dictum, sed laudis & gloriæ. Locus Ignatij ita habet græcè. Τὶ γάρ ἐστιν Ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν μιμητὴν γινόμενον κατὰ δύναμιν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ; τί δὲ πρεσβυτέριον, ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ Ἐπισκόπου; Τὶ δὲ διάκονοι, ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτουργοῦντες αὐτῷ λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον ὡς Στέφανος ὁ ἅγιος τῷ Ἰακώβῳ τῷ μακαρίῳ καὶ Τιμόθεος καὶ Λῖνος Παύλῳ, καὶ Ἀνάκλητος καὶ Κλήμης Πέτρῳ. De quo loco notamus I. eum manifesto argumento, Ignatianas epistolas adulteratas antiquitus fuisse & supposititia multa continere, de quo tamen vehementer reclamat Martialis Mestræus, ita translatum esse à Joach. Perionio Benedictino Cormœriaceno: *Quid enim est Episcopus, nisi omnem principatum & potestatem illorum omnium tenens, quemadmodum deceat hominem tenere imitationem Dei factum secundum virtutem? Quid est presbyterium, nisi institutio sancta Consiliarij & confessoris Episcopi? Quid etiam Diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes episcopo, sicut Christus patri & operantes illi operationem mundam & immaculatam? quomodo S. Stephanus beatissimo Jacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro?* Quam multa perperam versa? quam multa addita? quam multa omissa? Græcus textus planè uniformiter extat in Monumentis Patrum Basileæ à Gryneo editis An. 1569. & ed. Antverpiens. Christoph. Plantini An. 1572. & in Vedeliana Genevensi. Grynæus

Ignatius vindicatur.

ita transfert: *Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quam is, qui omni principatu ac poteſtate ſuperior eſt? & quoad homini licet, pro viribus imitator Chriſti Dei factus. Quid verò ſacerdotium aliud, eſt quam ſacer cœtus, Conſiliarij & aſſeſſores Epiſcopi? Quid verò Diaconi, quam imitatores angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum miniſterium illis exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro?* Retinet per omnia, ut in cæteris, ita & hic Grynæi verba Hieronymus Vairlenius Sylvius, qui ſe interpretem jactitavit & Scholiaſtem Ignatii à Plantino editi Nic. Vedelius p. 9. ita emendat. *Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quam is, qui ultra omnem principatum & poteſtatem omnibus excellentior eſt, & quoad homini licet, qui quantum fieri poteſt, imitator Chriſti Dei factus? Quid verò presbyterium aliud eſt, quam Sacer Cœtus, Conſiliarij & aſſeſſores Epiſcopi? Quid verò Diaconis, quam imitatores angelicarum virtutum, quæ purum & inculpatum miniſterium illi exhibent, ut S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo; Anacletus & Clemens Petro.* Videtur typographus in Grynæana editione ſcripſiſſe vitioſè; *qui purū & inculpatam miniſterium illis exhibet*; Id retinuit Vairlenius. Correxit Vedelius. In Græco eſt λειτουργοῦντες αὐτῷ. II. locum hunc depravatè ſatis à Pontificiis uſurpari. Nam primò, qui dicitur Ἐπίσκοπος πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, id ad Rom. Pontificem applicant. Verum enimverò non immeritò locus hic, ut diximus, ſuppoſititius cenſetur. Ferè redolet Clementinas Conſtitutiones, lib. II. c. 26. Sed quicquid ſit de loco, ſenſus ejus omninò adverſatur Pontificiis. Ignatius dicit, Epiſcopum ſuperiorem ſeu excellentiorem eſſe omnibus aliis, ſeu neminem hominū obtinere gradum ac ordinem excellentiorem ipſo Epiſcopo. E. Papa non habet eminentiorem ac excellentiorem gradum Epiſcopis cæteris, ſeu, Epiſcopus nemini ſubeſt, juxta Ignatium. E. nec Papæ. Ignatius non ait, in politicis Epiſcopum omnibus majorem eſſe. In his enim *ſublimioribus poteſtatibus ſubeſſe debet omnis anima* Rom. 13. 1. κἂν Ἀπόστολος ᾖ, κἂν Εὐαγγελιστής, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν, ſive Apoſtolus, ſive Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quiſquis tandē ſit, ut ait Chryſ. Auguſtinus prop. 72. in Rō. *Oportet nos ea ex parte, quæ ad hanc vitā pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus.* Unde ad res eccleſiaſticas id referendum, juxta Ignatium, qui in ep. ad Smyrn. ait, οὔτε δ' ἐν ἐκκλησίᾳ μεῖζόν τι ἐπισκόπου *neq; in Eccleſia majus eſt aliquid epiſcopo.* Deinde, quia Clemens & Anacletus Diaconi Petri vocantur, concludunt, eum fuiſſe ordinarium Romæ Epiſcopum.

Quaſi in Apoſtolico munere, quod nulli ſedi affixum eſt, non etiam Anacletus & Clemens diaconiam præſtare potuerint? Sicut & Timotheus & Linus Paulo miniſteriũ præbuerũt. III. Quod Claudius dicit, *Ignatius Diaconos ad angelorum exemplar huic ſacrificio quaſi Deo in cœlis* λειτουργοῦντας τὴν λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον *inſervire purè & immaculatè oſtendit*, contra mentem S. Ignatii eſt. Nam ille hanc λειτουργίαν ad Epiſcopum refert. Ait enim, Epiſcopum omnibus eſſe ſuperiorem: Presbyterium eſſe velut conſiliarios & aſſeſſores Epiſcopi, Diaconos verò illi, ſc. Epiſcopo, ad imitationem angelorum, tanquam Dei vicario præſtare λειτουργίαν: videantur græca verba, λειτουργοῦντες ſc. αὐτῷ ἐπισκόπῳ. Quod & exempla docent, Stephani λειτουργοῦντος Jacobo, Timothei & Lini λειτουργούντων Paulo, Anacleti & Clementis, λειτουργησάντων Petro. Docent & translationes Grynæi & Vairlenii, quæ habent, illis ſc. Epiſcopis, cum in græco ſit αὐτῷ. Demonſtrant tamen, αὐτῷ non ad Deum, ſed Epiſcopum referendum. Sed & ſecundum Pontificiorum doctrinam Diaconus non λειτουργεῖ ſacrificando. Hoc enim illi ad ſolos Presbyteros referunt. Durandus in rat. div. off. l. 2. c. 9. num. 10. *Ad Diaconos pertinet aſſiſtere Sacerdotibus & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in ſacramento Chriſti.* Conf. Lorich. de ſcr. ordinis in theſ. Cathol. n. 10. Annon verò etiam, quia in verbis Ignatio tributis ita inter Epiſcopum & presbyterium atque Diaconatum diſtinguitur, conjici debeat, locum illum totum eſſe ſuppoſititium, cogitandum illi relinquo, qui novit in primitiva Eccleſia illam diſtinctionem non viguiſſe. Vide D. Gerhard. de Miniſt. Eccleſ.

Iam ad Liturgias *illas, quas Herberus magno apparatu in theatrũ* §. 23.
adducit, probaturus miſſæ ſuæ ſacrificium, ſatis quidem eſſet, hactenus [illegible]*ſtratum eſſe, quicquid ex Inſtitutione Chriſti deductum eſt, pro* [illegible]*lcienda, nihil efficere: breviſſimè tamen, ſuppoſititias illas & ſpurias eſſe, indicabo. Et primum, Liturgiam, quam IACOBO tribuunt Põtificij, ſuppoſititiam eſſe, facilè demonſtrari poteſt.* † *Nam* primò, §. 24. *Liturgiã Iacobo ſuppoſitã eſſe.*
ſit in ea mentio confeſſorum. *cum tamen confeſſorum mentio Apoſtolorum temporibus in publica liturgia nulla facta fuerit. teſte* Bellarmino *lib. 2. de miſſa c. 20. & ante eum* Innocentio Pontifice *libr. 3. de myſt. miſſæ c. 10.* Deinde *reperitur verbum* ὁμοούσιον. *At illud non eſt ætatis Apoſtolicæ. Namq; in Synodo Conſtantinopolitana prima adverſus Macedonium Deitatem Spiritus Sancti negantem non debuiſſet omitti Apoſtolicum hoc Beati Iacobi teſtimonium, quo Spiritum Sanctum ex-*

presse consubstantialem Patri nominat. Nec opus fuisset acerrimo illo cum Ario *certamine in* Synodo Nicena *prima, de* ὁμοουσίᾳ *filij cum Patre: potuissent etiam facilè controversiæ componi de lectione* ὁμοουσίε *&* ὁμοιουσίε *in Sardicensi, Ariminensi & Syrmiensi Synodu, si hoc tùm extitisset Iacobi opus. Et gloriantur ex Iesuitis multi de autoritate Ecclesiæ hâc etiam de causa maximè, quod illa vocabulum* ὁμοουσίε *stabilíverit. Hinc* Sixtus Senensis *lib.* 4. *Bibliothecæ Sanctæ ait*, Constat ipsum Homousij & Homousianorum nomen longè post tempora Origenis enatum p. 305. Bellarminus & Gregorius de Valentia *de antiquitate hujus vocabuli differentes ultra Dionysium Alexandrinum & Theognostum non progrediuntur. In* Ephesino & Chalcedonensi Concilio, *ubi* Patres *vix unum aut alterum locum* Origenis & Eusebii *de veritate duarum naturarum in Christo contra* Nestorium & Eutychen *disceptantes proferunt, unde* Virginem θεοτόκον *ab antecessoribus vocatam asserunt, evidentissimum potuisseat habere testimonium ex hac Iacobi liturgia, si alicuius ea tum fuisset momenti. Canitur in hac* λειτουργίᾳ τρισάγιον *his verbis; sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Aliter* Felix III. Petro Antiocheno Episcop. & Imp. Zenoni *scribens, ejus in Ecclesia canendi originem narrat Tom. 2. Concil. Nempe;* Cum terræmotu Constantinopolis quateretur, populusque in campo oraret & clamaret, κύριε ἐλέησον infantulum toto populo cum Proclo Episcopo spectantem cætum per unam horam raptum esse: ibique hujusmodi didicisse hymnũ, rursusque descendentem nuntiasse, quæ in æthere audierat, quasi de multitudine psallentium, dictumque sibi, ut eam laudationem populo indicaret, quam ubi populi inceperant, civitatem recepisse, Deoque per hujusmodi laudem propitio facto ab imminenti ira liberatos esse. *p. 10. lit. F. Unde factum, ut hic hymnus inter Ecclesiasticos receptus in Concil. Chalcedon. postea probaretur.* Felicem *enim circa Ann.* 480. Romæ *sedisse*, Proclum *verò* Patriarcham Consta. *Ann.* 460 *(quem tamen primarium pro liturgia Iacobæa testem allegant, ut post audiemus) ex historia patet. Hic igitur hymnus ex occasione illius miraculi anno post Christum plusquam* 400. *in Ecclesiæ receptus sacra quomodo in Iacobi liturgiam irrepsit? Nolo producere quod in eadem Iacobi liturgia Monachorum & monasteriorum fiat mentio, ut & templorum, altarium, thuribulorum, &c. quæ omnia detrahunt antiquitati ejus & contra fidem veteris historiæ liturgiæ tam vetustæ, secundum Pontificios, inseruntur. Accedunt impia illa effata in Iacobæa liturgia,* de thure in remissionem peccatorum adolito, de invocatione

De trisagio Constantinopoli revelato.

Impia effata in Liturgia Iacobi.

tione Mariæ Θεοτόκου, *quæ satis apertè falsi ream agunt.* † Cardinal. BARONIUS *Tom. I. ad Ann. 63. n. 17. fatetur, accidisse in ea*, ut aliis superadditis precibus, aliis verò breviori summâ contractis, ritibus nonnihil auctis aut mutatis paulò diversior ab illa pristina habeatur. Cardinal. BELLARMINUS *in Indice Script. Eccl. quem manuscriptum habuit* ROBERTUS COCUS, *ita habet.* De Liturgia Jacobi sic sentio, eam aut non esse ejus, aut multa à posterioribus eidē addita sunt. Nam in ea jubet fieri mentionem Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & alibi meminit Anachoretarum & Christianorum damnatorum ad metalla, cum tamen constet, Anachoretas cœpisse à Paulo I. damnari vero ad metalla, post tempora Apostolorum. Ibidem jubet recitari Gloria Patri, &c. quem hymnum compositum fuisse in Concil. Niceno communis opinio est. Jubet & dici Sanctus Deus, &c. qui diu post tempora Jacobi inventus est. Multa sunt alia, quæ redolent novitatem. *Hæc mss. In excuso non dissentit. Ita enim p. 49.* Extat etiam liturgia eidem S. Jacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facilè dijudicare, quæ pars ejus liturgiæ S. Jacobum habuerat autorem. † *Herberus & ante eum* Claudius Sanctesius *Ebroicensis Episcop. in præf. Liturg. p. 13. nullas adferunt pro ea autoritates, nisi VI.* Constantinop. Synod. in Trullo habitam & Proclum Patriarcham. *Atqui verò* Possevinus *lib. 1. appar. sacr. p. 779.* Quæ, *inquit*, ex Proclo & ex Synodo in Trullo habita profert SIXTUS testimonia, quibus hoc ipsum affirmet, minus fortasse, etsi vera sint, expedit afferre, quod Synodus in Trullo habita, nec generalis, nec legitima fuerit, ut ille opinatus esse est visus, & ante Proclum alii synceriores Ecclesiæ Patres (*Nullos tamen adfert Possevinus*) id ipsum testati sint. *Accedit, quod longissimè disputet* Bellarminus *lib. 4. de R. P. c. XI. p. 324. VI. Synodum in Trullo esse corruptam: & addat.* Quamvis generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum (*NB. ait hoc sextum Concilium generale legitimum, contra Possevinum supra*) in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos falsis rumoribus & non intellectis Honorii Epistolis immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium. *An non igitur & in hac liturgia ipsi Iacobo annumerandâ decipi potuerunt? Vide etiam Indic. Expurg. Hispau. qui cautè legendam hanc liturgiam affirmat, cum tamen cautio aliqua talis Apostolico scripto non competat. Adde Casparem Sanctium Iesuit. qui in Com. Act. Ap.* §. 25.

Baronius & Bellarminus de Liturgia Iacobi.

§. 26.

p.131.ed.Lugd. ex Cano & Bellarmino aliisq; argumentis probat, Canones Trullanæ Synodi non esse receptos à Romana Eccles. quod ad eundem locum etiam facit Salmeron.

§. 27. Sed & ex liturgia Jacobi vix probabitur sacrificatio corporis Christi propriè dicta. In introitu f.14. p.2. dicitur, *in sacra & spirituali mensa unigenitum Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum mysticè proponi in sacrificium.* Non dicitur autem, quod in sacrificium novo actu sacrificandum proponatur. Imò quia *mysticè*, h. e. sacramentaliter proponitur, & in *mensa*, jam ad participandum proponi intelligere debemus. Fol.15.p.1. vocatur in oratione cum thus inceditur, *sacrificium laudis.* p. 2. etiam thus ad hoc sacrificium pertinet. *Accipe*, inquit Sacerdos, *quæso de manibus nostris, qui sumus peccatores, thus hoc, quod tibi adolemus in odorē suavitatis nostrorūq; peccatorū remissionē ac totius populi tui.* At thus non pertinet ad sacrificium propriè dictum. Ibidem §. Dominus; *arcanum & tremendum mysterium ad propagandam recordationem crucifixionis*, non ad novam sacrificationem refertur. Fol.16. p. 1. sacrificia hîc vocantur *munera & fructuum oblationes.* Fol.19. p.1. *oblatio suffitus* rursus cum oblationibus Abelis, Noæ, Aaronis & Samuelis comparatur. Ille tamen sacrificium hic propriè non est. Ibidem dicitur. *Regem regnantium, Dominum dominantium, Christum Deum nostrum progredi, ut immoletur ac datur in cibum fidelibus.* Est sacramentalis præparatio hæc immolatio. Ibidem Sacerdos offerens dona sancta h. e. panē vinumq; ita precatur; *benedic huic oblationi & eam admitte ad supercœleste altare tuum, memento ut bonus & humanus eorum qui obtulerunt & propter quos obtulerunt.* At hic nondum est sacrificium propriè dictum, sed elementorum usurpandorum venerabunda in conspectum Dei productio. p. 2. etiam ante confectionem, ut vocant, corporis & sanguinis Christi, Sacerdos ita orat. *Sanctifica nos in hâc oblatione divinorum & ab omni labe mundorum mysteriorum.* Vocantur elementa mysteria, ratione præsentanea destinationis. Similiter fol.20.p.2. est oratio sacerdotis, ut *benedicat Deus operantibus immaculatis ipsius mysteriis.* Fol.21. p. 2. ante unionem sacerdotalem rogat Diaconus *pro propositis preciosis, cœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, reverendis, horrendis & divinis donis & pro sacerdote.* Illa augusta nomina per anticipationem ab usu futuro rei terrenæ tribuuntur. Nondum tamen est sacrificiū. Fol.22.p.1. Sacerdos meminit *oblati verendi & incruenti sacrificij.* Exponit autem postea, quid sit: *Placeat*, inquit, *tibi Domine, ut*

hæc

hæc quæ offerimus dona manibus nostris accepta tibi sint. Intelligit autem dona ulteriori mysterio conservanda. Fol eod. p. 2. meminit rursus *verendi & incruenti sacrificij, mysterij*: f. 23. p. 1. *oblationis gratæ & acceptabilis*, p. 2. *veremur ac tremimus*, ait orans, *cum tuum sanctum altare nobis accedendum est & offerendum sacrificium hoc verendum & incruentum &c.* Ibidem vocatur *verendum & horrendum hoc mysterium.* F. 25. p. 2. *Offerimus tibi Domine hoc sacrificium venerandum & incruentum.* Et tamen demum fol. 26. pag. 1. invocatur Spritus S. *ut superveniens sancta & bona & gloriosa sua præsentia sanctificet & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi sui & calicem hūc pretiosum sanguinem Christi sui, ut sit omnibus sumentibus ex his in remißionem peccatorum* &c. Unde planè elucescit, hactenus per sacrificium aliud nihil intellectum fuisse quam partem terrenam, operi admirabili destinatam, quam ut tanto mysterio dignetur & sibi consecratum habeat Deus, Ecclesia tam operosè precari voluit, & inde sacrificii incruenti nomen ortum. Sic & fol. 28. p. 2. Diaconus precatur: *Etiam atq; etiam semper Dominum oremus in pace pro oblatis & sanctificatis, pretiosis, supercœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, tremendis, horrendis, divinis donis Domino Deo, oremus, ut Dominus Deus noster acceptis iis in sanctum & supercœleste, mētale & spirituale altare suum, in odorem spiritalis fragrantiæ rependat* &c. Quæ omnia in corpus & sanguinem Christi non quadrāt. Igitur Pontificii Jacobæam liturgiam tanta jactatione allegare non debuissent.

§. 28. *Liturgia Marco attributa supposititia.*

Quæ de Iacobæa illa supposititia liturgia diximus, ad illam, quam MARCO attribuit Alexandriæ institutam Herberus, accommodari penè omnia queunt. Qaanquam & propria habet falsitatis suæ indicia & documenta apertißima. Oratur in illa pro Papa Romano. *At ille B. Marci tempore ignotißimus erat & obscurißimus, nec credibile est potuisse illius esse tam illustrem in sacra solennitate memoriam. Ais cum* Durando *l. 4. Ration. div. off. c. 38. p. 296.* addidisse Clementem Romanum eam supplicationem pro Papa? *At nec fieri potuit, ut Clemens extra fines Patriarchatus Romani aliquid publico officio adjiceret, nec hoc factum esse claro testimonio antiquitatis probari potest, nec quadringentis post annis in Gallicano officio habetur, ut ex C. 4. Concilij Vasensis secundi patet.* Oratur pro Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus; *at primam illam Ecclesiam caruisse ejuscemodi ordinibus notißimum est.* Oratur pro Civitate Alexandrina, ut Deus propter Marcum Martyrem suum eam servare dignetur. † *Hoc ne Marcus ordinavit?* §. 29.

navit? Bellarminus *in Catal. Script. Eccles. ubi de Marco, Liturgiam hanc præterit, ut &* Antonius Possevinus *in Appar. Sacro, ubi de Marco prolixè.* Sixtus Senensis *lib.2. Biblioth. Sanctæ p.102. ait,* præter Evangelium & Barnabæ vitam esse, qui eum alia literarum monumentis mandasse referant, quorum nec ipsi titulos recenseant, nec ipse alicubi annotatos invenerit. Pamelius *sua ætate nondum extitisse eam Tom. 1. Liturg. p.88. meminit.* Turrian. *dogmat. charact. lib.3. ait,* apud se Græcam illam extare. Pamelius *ex Notariis Apostol. in Vit. Marci,* Bedæ *Martyrolog. ad 7. Calend. Maij.* Adonis Trevirensis *Martyrolog. evincere conatur, ipsum fuisse sacerdotem, inq; actu sacrificij fuisse captum. Atqui Notarij Apostolici manifestè loquuntur de orationis sacrificio. Non de Papistico & Idololatrico. Constat etiam apud* Pamelium *ex* Hieronymo & Isidoro, Marcum *nihil magis fugisse, quam Sacerdotium, eumq; in finem sibi pollicem amputasse, ne sacramenta administrare cogeretur. Quis autem credat*

§. 30. Francisco Turriano *fœtum hunc Marco supponenti?* † *Audiamus potius* THEODORI BALSAMONIS *Patriarchæ Antiocheni de his* Jacobi & Marci *Liturgiis sententiam, quo loco ipsum trigesimum secundum Canonem sextæ Synodi in Trullo habitæ, qua maximè adversarij nituntur, interpretatur.* Nota, *inquit,* quod ex hoc solo præsente Canone apparet, sacrum & divinum mysterium à sancto Jacobo fratre Domini, qui Hierosolymitanorum Ecclesiæ primus fuit Episcopus, fuisse tradditum: quæ quidem traditio nunc apud nos non habetur, neque cognoscitur, ut quæ exoleverit. Quomodo autem Palestinæ Sacerdotes celebrant, cum mysterii ritu à fratre Domini, ut ipsi dicunt, tradito, nescio. Et Alexandrini quoque Episcopi & Sacerdotes sacrificia peragunt cum orationibus, ut ajunt, à S. Marco traditis, nec ea, quæ ab iis, qui universo terrarum orbe sacrificant, fiunt, sequuntur: seu à S. Basilio & Chrysostomo traditos mysterii ritus non curant, nescio. Hoc autem etiam synodicè, vel potius in ipso tribunali Imperatoris à me dictum est, quando Patriarcha Alexandrinus in urbium regina Constant. ageret & nobiscum celebraturus, cum tradito, ut dicebat, à S. Marco mysterii ritu sacrificare vellet. Etiamsi correctionem non habuerit. Cum omnes Patriarchæ assertione eaque sola contenti essent, qui

Theodorus Balsamon de Liturgia Iacobi & Marci.

§. 31. dixit, se non amplius facturum. † *Idem* Balsamon *rogatus à Marco Patri Alex.* Quæ in partibus Alexandrinæ & Hierosolymorum leguntur Liturgiæ, & conscriptæ dicuntur fuisse à S. Apostolo Jacobo recipiendæ à S. Catholica Ecclesia, necne? *Respondet* Magnus

Ap.

Ap. Paulus Sanct. Dei Ecclesiarum orator & doctor ad Corinthios scribens ait, Fratres obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem dicatis omnes, nec sint in vobis dissidia, &c. Dicimus autem nos, neque à S. Scriptura, neq; à Canone Synodicè edito edoctos fuisse, S. ministerium à Marco traditum. Solus enim 32. Canon sacræ & Oecumenicæ Synodi coactæ in Trullo magni palatij ait, à S. Jacobo mysticum sacrificium fuisse compositum. Attamen 85. Canon S. Apost. 59. Canon Laodiceenæ Synodi enumerantes V. & N. Testamenti, ipsosque Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debeant, nullam sacrificij S. Marci vel S. Jacobi mentionem faciunt, neque etiam Catholica Sanctissimi & Oecumenici throni Constantinopolis Ecclesia ullo modo eas Liturgias agnoscit. Pronunciamus igitur, eas non esse recipiendas.

Petri liturgia, quam, ut ait Herberus, *ex Apulia allatam præterito seculo doctißimus Antistes Wilhelmus Lindanus luce & latinitate donatam edidit & apologetico tutatus est*, etiam supposititia est. Nihili est Apologeticum, quod adornavit Lindanus. Cap. 1. notat, *plurima fidei Christianæ tum dogmata tum axiomata fuisse ab initio Christianis ἀγράφως & sine scripto tradita.* Sed ad quid hoc? Estne missa etiam dogma ἄγραφον? Imò & ἀντίγραφον, prout à Pontificiis describitur. Nonne verò quæ viva voce primum prædicata sunt, postea in literas à divinis viris relata? Cap. 2. notat, *S. Clericorum ordini etiam quosdam sacros mysteriorum Ecclesiæ peragendorum ritus, quasi vivas quasdam agendi mysticeq; Domino Deo sacrificandi leges, præscriptos.* De ritibus Ecclesiasticis, nemo ambigit. De sacrificii alicujus proprii & continuandi legibus, falsum est. Cap. 3. docet, *D. Petrum mandato Christi, hoc facite &c. morigerum fuisse ac reipsa præstitisse, quod Dn. Christus sacerdos primus N. T. secundum ordinem Melchisedec in prima cœna jusserat, ac explendi illius prophetici typi causâ instituerat.* Petrum fuisse observantissimum præceptorum Domini sui, nemo ambigit. Dominum in prima cœna aut sacrificium proprij generis Deo obtulisse, aut sacrificare præcepisse, nec ex institutionis verbis, nec ex typo Melchisedeci, nec ex vaticinio Malachiæ constat. Cap. 5. notat, *Christum diebus quadraginta paschalibus mysteria & ritus suis discipulis exposuisse.* Cap. 6. docet, *quod D. Petrus usus est nova sacrificij Christianorum proprij conficiendi & offerendi formula, quali & cæteri per orbem Apostoli sua quisq; in Ecclesia sibi divinitus ad excolendum tradita.* R. Gregorius M. lib. 7. ep. 63. ad Johannem Siracusanum. *Apostolorum mos fuit, ut ad ipsam solummodo*

§. 32. *Petri liturgia supposititia.*

Lindani apologia refellitur.

orationem oblationis hostiam consecrarent. Walafridus Strabo de rebus Eccles. c.22. *Relatio majorum est, ita primis temporibus missas fieri solitas, sicut modo in parasceve pascha, in quo die apud Romanos missæ non aguntur, communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat. Proficiente deinde religione, amplius aucta sunt à Christi cultoribus officia Missarum, quo vel pax præstita latius terminos propagavit Ecclesiæ, vel sanctorum copia usu facta est convalescente frequentior.* Rupertus Tuitiensis Abbas de divinis offic. lib.2.c.21. *traditum à Domino mirabilem novi sacrificij ritum per primos Apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit.* & post. *Nō quidem sanctius hinc est, quam erat prius, cum ad sola verba Domini solamq; dominicam orationem consecrabatur, sed maximè decuit, ut fides, quæ adhuc erat illo tempore rudis (& ut ait quidam tam doctus, quā fidelis) agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas, exorta lacertos, ubi ornari potuit, maximè in hac parte, tanquam in capite suo deauraretur* &c. Durandus Mimatensis Episc. de div. off. lib.4. c.1. n.3. & seq *Sanè missam instituit Dominus Iesus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutavit. Apostoli autem hanc adauxerunt, dicentes in Missa non solum verba præmissa, verum etiam dominicam orationem super addentes. Vnde B. Petrus sic Missam primus dicitur celebrasse, in partibus orientalibus, ubi post Domini passionem quatuor annis cathedram tenuit sacerdotalem. Deinde verò cathedram tenuit Antiochiæ, ubi tres orationes adjecit ad missam. In primordio ergo nascentis Ecclesiæ aliter dicebatur, quam modo.* Plautina in Xysto I. *Xystus in celebratione mādavit, ut sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth cantaretur. Nuda primò hæc erant & omnia simpliciter tractabātur. Petrus enim ubi consecraverat, oratione Pater noster usus est.* Aliud aliquid à Domino Jesu Petrum accepisse, ne verbo Lindanus probat. Quæ ex Dionysio, quem Areopagitam vocant, adfert, aliam disputationem habent, nequaquam verò ad ætatem Apostolicam pertinent. Cap. VII. de differentia inter Liturgias Petri, Jacobi, Clementis, Ambrosij, Æthiopum, Syrorum, Romanorū ait, *etsi pauculis verbis, pauculis ritibus, & precandi formulis constet, rem tamen principalem ac* N.T. *propriam ubiq; manere eandem.* At difficultatem non tollit, cum de ritibus sit disputatio. Si in quadraginta diebus paschalibus

bus Apostoli illam prolixam liturgiarum formam à Christo didicerunt, cur non in ritibus & precandi formis, in quibus maximè consistunt, concordant? Si *Christus Dominus*, ut scribit Lindanus supra c. 5. p. 65. *paschalibus illis quadraginta diebus Apostolos suos in orbem dispergendos docuit de baptismi ritibus & ministeriis aliisq; sacramentorum Cristianæ religionis ceremoniis*, debuit illa informatio in liturgiis, quæ Apostolicum nomen venditant, exprimi concorditer. Aut necesse est, aliquos aliter scripsisse, quam Christus tradidit, aut omnes non expressisse, quod à Domino acceperunt. Adducit Lindanus Procli Archiep. Constantinopolitani testimonium. Illud ita se habet in præfat. ad liturgias, quas Claudius edidit p. 14. *Postquam Servator noster in cœlum assumtus est, conspirantibus animis convenientes ad toto die orandum convertebantur: & cum multam consolationem in mystico illo dominici corporis sacrificio positam invenissent, fusissimè & longa oratione Missam decantabant. Hoc enim divina sacra unà cum docendi ratione conjuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant, majori & alacriori rerum divinarum sacrificij sacosancti studio & desiderio flagrabant & illud obnixè amplectebantur, quod in memoria semper haberent illud verbum Domini dicentis, Hoc est corpus meum, &, hoc facite in meam commemorationem, &: qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Quare & contrito Spiritu multas preces decantabant, divinum numen impensè orantes: quin etiam eos, qui ex Iudæis & Gentilibus recenter illustrati erant, ad religionem Dei & pietatem erudiebāt, docebantq; veteri doctrina relicta, sacris illis & pietate plenis Missæ mysteriis, sensus suos & mentem imbuere. Per has igitur preces Spiritus S. adventum expectabant, ut ejus divina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Servatoris nostri Iesu Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus observatur ad hoc usq; tempus, & ad finem usque seculi florebit. At posteri abjecta fidei firmitate & fervore, negotiis hujus seculi & curis mūdi mancipati & immersi, missæ longitudinem, ut dixi, pertæsi, vix conveniebant ad audienda Domini verba. Quare D. Basilius medica quadam ratione usus, breviorem eam ac concisiorem reddit. Haud multò post pater noster Iohannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ovium, ut Pastorem decet, magna alacritate animi suscipiens, ac hominum naturæ socordiam atq; ignaviam prospiciens, fibras omnes & radices hujus prætextus Satanici prorsus avellere voluit. Quare multa præcidit & ut brevior esset, constituit, ne sensim homines libertatem &*

otium maximè amplectentes fallacibus & furiosis adversarij sermonibus decepti ab hac Apostolica & divina traditione deficerent. ℞. 1. de Procli illa præfatione dubitari posse, cujus autoris sit. 2. Proclum præsupponere tanquam unica Jacobi liturgia, cui præfationem illam præmisit, sit illa, quæ Apostolico principio debetur. Contrarium tamen Lindanus asserit. 3. Proclum reclamare universæ antiquitati, cujus testimonia ad Cap. 6. produximus. 4. Illæ meditationes & contemplationes & operationes, quibus vacarunt Apostoli tempore illo, quod ab adscensione ad Pentecostem usque residuũ fuerat, non erant in sacrificio propriè dicto insumtæ, sed consecratæ memoriæ sacrificij cruenti Iesu Christi in ara crucis. Quod Lindanus urget verba Ignatij supra à nobis expensa; cum ait: *Sicuti ergo D. Iacobus Ierosolymis hoc N. T. sacrificium ministrante, sive Diaconum sacrificij agente, D. Stephano, quod D. Ignatius D. Petri auditor & Apostolorum sanctißimus discipulus epistola ad Trallianos cõtestatur, nova precandi & consecrandi peragebat formula: ita & D. Petrus ministrantibus D. Clemente Rom. & Cleto, ut idem Ignatius illic tradidit, apud quem nũc exemplaria legunt Anacleto, sed corruptè, ut alibi demonstravimus. Quod si hujus rei originem quis accuratius requirat, vero apparebit vicinius, D. Iacobum non tam sua, quam D. Petri & aliorum Apostolorum liturgica usum formula:* multum fallitur. Nam 1. ille locus Ignatij hypobolymæus est. 2. quo pacto S. Stephanus S. Jacobi fuerit discipulus & diaconus peculiariter & in dispensatione Eucharistiæ, nulla solida constat indicatione. 3. Ejusmodi in celebratione S. Eucharistiæ inter sacerdotẽ & Diaconum fuisse relationem & ἐγχείρησιν, ab antiquitatis simplicitate alienum est. 4. Baronianis hypothesibus cum asseveratione Diaconatus Stephanæi & Episcopatus Jacobi malè convenire, indicavit Nic. Vedelius in exerc. 4. ad epist. Trallian. 5. Nullo documento constat, vel Petrum Jacobi, vel Jacobum Petri liturgiam usurpasse. Simplicitas antiqua istas mutuationes non habuit. Cap. 8. disputat de autoritate Liturgiæ S. Jacobi. Sed de illa nũc est satis actum. Cap. 9. disquirit: *Vnde D. Petti Liturgia depromta & quam eximius sit ejus usus ad infirmiores in fide fratres hodie confirmandos?* Ait, *Card. Sirleto eam deberi. Nec eam à Canone Romano dißidere.* Nos expectabamus, ut doceret Lindanus, qua ratione tot seculis ignoratam D. Petri Liturgiam pro genuina fuerit assecutus. Is tantillum sine ullo fundamento gerit. Cap. 10. ut operi molem creet, disserit, *rebus omnibus esse quædam sui exordia, & consectanea incrementa.* Quis se-

cus.

eus dicat? ſed loco incrementorum nonnunquam decrementa ſequi, nemo neſcit. Cap. 11, docet, *D. Lucam Act. 20. involutius deſcribere Evangelicam Apoſtolicæ liturgiæ die Dominico celebratæ formulam, licet tantum meminerit doctrinæ ſive Paulinæ concionis, quæ ſolennem Prophetarum actionem ſequebatur & myſteriorum communionem, quam citra Evangelicum Dominici corporis ſacrificium impendere in ſynaxi Chriſtiana fuit neſas.* Sed hoc nihil ad authentiam liturgiæ Petri. Cap 12. notat, *D. Lucam Act. 13. uno verbo veram pijs Apoſtolicæ Eccleſiæ Antiochenæ liturgiam, Evangelicam Miſſam & Chriſtianum ſacrificium deſignaſſe.* Sed ne indiciolum quidem promit, quod λειτουργίαν Antiochenam ſacrificium verum complexam fuiſſe demonſtret. Cap. 13. docet, *Preces varias, Pſalmos & Litanias fuiſſe huic ſacrificio paulatim ab Apoſtolis ipſis & ſucceſſoribus & piis deniq; Patribus additas, juxta D. Pauli mãdatum ad Timotheum teſte D. Auguſtino, qui totã ejus pericopem de divinæ miſſæ ſacrificio interpretatur ep. 59. ad Paulinum.* ℞. negari non poſſe cum celebratione Euchariſtiæ antiquitus iſta, ſed tamen cum notabili diverſitate, conjuncta fuiſſe. Sed quid hoc ad authentiam liturgiæ D. Petri? Cap. 14. producit, quæ Juſtinus Martyr in apologiis tradit fieri in ſacris Chriſtianorum; ſed iſta nihilo firmant ſacrificium Miſſæ. Cap. 15. promittit, ſe oſtenſurum, *quod Tertullianus, Cyprianus & Auguſtinus teſtentur, eandem eſſe Africanæ Eccleſiæ ſacrificãdi formulam, quæ in Rom. Eccleſia etiamnum floret.* Sed nihil oſtendit. Preces & Euchariſtiæ celebrationem veteres non rarò conjunxiſſe docent. Cap. 16. aſſerit, *Indos & Æthiopas ſimili in hunc uſq; diem uſos ſacrificij formula, qua Eccleſia Romana: ideoq; doctrinam de Chriſtiano Miſſæ ſacrificio eſſe partem illius Apoſtolorum ſoni, qui in omnem terram exivit, quod ex D. Auguſtini generali regula confirmat.* Sed in capitis contextu nihil probat. Miſſæ illæ quas vocant Indorum, Æthiopum, Moſarabum &c. nondum genealogiam ſuã ad Apoſtolicam ætatem perduxerunt. Regula B. Auguſtini, qua docet, *illa doctrinæ Apoſtolicæ cenſenda dogmata, quæ in Concilio generali non inſtituta, per totum terrarum orbem in Eccleſiis obſervantur*, non eſt Canonica, neque Apodictica. Nihil tamen hoc loco patrocinatur Lindano, apologiam pro commentitia B. Petri liturgia adornanti. Dicit Lindanus Romam, ubi oſtenditur *& locus & ara, ubi primum Petrus ſacrificaverit, puta in D. Pudentianæ domo, quam plebecula Potentianam malè vocat, quæ filia fuit illius Pudentis Romæ Conſularis, cujus D. Paulus tam diſertè meminit, cum Romanis fratribus nunquam ſibi viſis*

scribit. Is D. Petrum suo exceperat domicilio, ubi quæ Christiani erant Sacerdotis proculdubio agebat, cum ignavo turpiq; otio deditum fuisse, aut sui oblitum primarij officij, nemo asserat. Egentissimum patrocinium, quo ad casas & traditiunculas deducimur! Nimirum anicularum nugamentis & ruinosis tuguriis liturgia facienda! Cap. 17. demonstrare vult piis, *D. Petrum ut Romæ, ita & Neapoli sacrificasse.* Nondum monstrat Petrum Romæ sacrificasse. Cur igitur Neapolim properat? Fuerit in domo Pudentianæ S. Petrus, sacra dispensaverit! Unde verum & proprium sacrificium confirmabitur à S. Petro celebratum? *Neapolim*, inquit, *si consulas, & ab ipsa testimonium roges, en tibi incunctanter loquetur, quod indubitata S. Apostolorum ætate per majorum suorum manus traditum accepit, nimirum, D. Petrum Romam tendentem apud se divertisse, Asprenum virum non ignobilem sua doctrina ad Dom. Christum convertisse, adeoq; apud eum egisse, quod modo in quæstione versatur. Vnde hoc liqueat, inquias? Mihi asserenti ne fidem habeas, sed tuis oculis. Si templum vetustissimum illic adeas, quod ad D. Petri Aram etiamnum hodie vulgo appellatur, lege quid nam tibi ostium ingressus clamet:*

Siste fidelis

Et priusquam templum ingrediaris

Petrum sacrificia facientem venerare.

Hic primò, mox Romæ filios per Evangelium Christo genuit paneque illos suavissimo cibavit.

Quod prima in Latio Christo pia colla subegit

Parthenope, hic Petri præstitit ara fidem.

Quod si cui cui minus persuadet, D. Petrum Christiano more Neapoli sacrificium Deo obtulisse, age audiamus, quid doctissimus vir Benedictus Falco hac de re testetur, libro cui titulum fecit de locis antiquis Neapolitanis: San Pietro Apostolo, qui fece la partita de Antiochia, venir à Roma, nella citta di Napoli offerre il pane el' vino à Dio in un altare, che si chiamo & ancora si chiama San Pietro ad Aram, il qual depsui converti alla sancta fede di Christo, Aspreno Cittadino Neapolitano, huomo di honestissimi Costumi, di santa vita, fatto vescovo di Napoli & parimente la Castissima Candida vedova di modo, che qui furono i primi Christiani di Napoli converti di San Pietro. *quod latinè ita vertatur.* S. Petrus, cum discessisset Antiochia Romam, in civitate Neapolitana obtulit Deo panem & vinum in altari quodam tunc dicto, quod nomen etiam hodie obtinet,

obtinet, S. Petri ad aram: qui postea convertit ad fidem Christianam Asprenum civem Neapolitanum, virum honestissimis prææditum moribus & sanctissimæ vitæ, qui postea factus est Episcopus Neapolitanus, similiter castissimam viduam Candidam, ita ut primi Christiani Neapolitani à S. Petro conversi fuerint. hæc ille. Quod è monumentis divinis probare Lindanus nequit, ex commentitiis inscriptionibus probatum it. Sed unde probat liturgiæ Petrinæ jactatam formulam? Unde probat, Petrum si omninò Neapoli sacra fecerat, tale sacrificium obtulisse, quale venditat cum suis Lindanus? Quam falsum est, quod è Benedicto Falcone notat, illam appellationem tempore Petri ortam, qua locus, ubi Christianis sacris operatus est, vocatur S. Petri ad aram! Quã malè cohærent, quæ Benedictus Falco nobis commemorat? Dicit, *S. Petrum in itinere ex Antiochia Romam versus Neapoli substitisse & Deo obtulisse panem & vinum in altari quodam &c. Et postea convertisse Asprenum & Candidam primos Christianos Neapolitanos.* Quale est altare, quod Petrus usurpavit? Inventum? E gentilibus sacris contaminatum, quale usurpare non sunt soliti Apostoli. Extructum noviter? At qui fieri potuit ante Ecclesiam aliquam excitatam? Cœpit ne sacrificium Missæ celebrare coram infidelibus? Auspicatusne est suum ministerium à S. Eucharistico? Ea non est methodus Apostolica. Vide, quomodo se prodat antiquarius! Cap. 18. respondet objectioni ex collatione liturgiæ Petrinæ & Romanæ ortæ, qua elucet, Romanensium liturgiam longè esse ampliorem & prolixiorem, quam sit Petrina: scilicet, *Petrinam Missam non habere omnes actus, sed eos duntaxat, qui præsentibus fidelibus, remotis Catechumenis, Energumenis, Audientibus, Competentibus & pœnitentibus adeoq; infidelibus ad unum omnibus, quando ad offertorium proceditur, peraguntur.* At hoc ipsum est, quod difficultatem habet. Si hæc Petrina liturgia est illa, quæ Neapolis fuit celebrata, cur ea quam Romæ instituit, plures actus continet? sed & Petrina liturgia à Romana in illis actibus offertorij discrepat. Cap. 19. respondet ad objectionem, quæ ex verbis veterum supra expositis cap. 5. nascitur, nimirum *antiquissimum morem consecrandi in cœna fuisse simplicissimum, oratione Dominica & recitatione verborum dispositivorum S. cœnæ* contentũ, posterioribus seculis à diversis Pontificibus diversa fuisse addita: *sc. non censendum mox esse additum, vel ab aliquo Rom. Pontifice inventum, quod ab eo fuit constitutum, sive instauratum.* Atqui stylus à B. Gregorio, & autoribus cæ-

teris supra nominatis ita formatur, ut dicatur cum oppositione & diserta commemoratione, qui ritus antiquitus fuerint, qui non. Hîc ergo locum istud Lindani habere nequit. Unde ipse Lindanus in annot. ad Miss. Petr. p. 44. ait: ad liturgiam Petri initio quædam adjecta & in medio addita & fini quædam attexta deprehenduntur. Vetus Græcus scriptor Simon annotatum reliquit, D. Petri liturgiam omniũ esse brevissimam; testatur Alcuinus Caroli M. magister, tam fuisse brevem, ut tres tantum excepto divinæ consecrationis Canone habuerit orationes. Brevitatis causam idem ille Græcus autor (sic Græcus Simon Græco Proclo contrariatur) adjecit, quod longam moram in templo facere tutum non erat illo Apostolorum seculo propter Christianæ gentis hostes, quibus illa Babylon magna Roma maximè abundabat. Certè usque ad Damasum tam fuisse videtur brevicula, ut ipsam ejus suppuduisse propemodum videri queat. Cap. 20. docet, *unde veniat, quod in Romanæ Ecclesiæ canone liturgico plura appareant, quam in liturgia S. Petri extant*: sc. *quod ea paulatim crescente piorum PP. devotione, ut Leonis, Gelasii, Gregorii* &c. *citra irreligiosam accesserint audaciam.* ℞. tum nondum de authentia liturgiæ Petrinæ constare, unde frustra comparationem illam institui: tum ostendi non posse, quæ in illis liturgiis nova, quæ vetera sint. Imò paucissima vetera esse, ex superioribus constare. Cap. 21. quia negari non potest, si obtineatur, liturgiam, quam S. Petro tribuit, esse genuinam tanti Apostoli constitutionem, secuturum, quædam in hodierno Romano Canone ab illo instituto Apostolico hactenus variantia & abhorrentia retenta fuisse, respondet; *Meminerit, pius etiam Lector, audaci quorundam scribarum temeritate quædam in Canone Latino esse omissa, quæ in antiquis extant Codicibus. Rursus quædam post addita, quæ veteres Codd. nesciunt, quæ nos suis locis in margine ex illo antiquissimo Vaticano annotavimus, qui Romæ D. Gregorii habetur. Ad quem Codicem si dudum Romanum foret collatum Missale, longè nunc haberemus & absolutius & castigatius, ne dicam integrius.* At hoc responsum, dum liturgiam à Card. Sirleto nescio ex quo angulo prolatam defensum it, lædit majestatem omnivigilantiæ & infallibilitatis Pontificiæ, quasi Canonem missæ antiquis Codicibus conservatum aliquot seculorum prolapsibus restaurare neglexerit. Cap. 22 etiam id, quod objiciebatur, *in dicta S. Petri liturgia nova quædam posteriorum sanctorum, ut Barbaræ, Iulianæ, Felicitatis* &c. *nomina haberi*, respondendo diluit, sc. *Istud privatam piorum Pontificum arguere devotionem,*

votionem, qui pro suo quisq; affectu illos sibi putabant in patrociniȷ̄ suffragium addendos, quos peculiari sua colebant pietate. Idem & apud Latinos usu venisse, uti videre est in sacramentalibus (sic enim vocabant, quod nunc vulgus Missalia) antiquioribus. Certè in Bibliotheca D. Autberti apud Cameracenses tantam vidimus in sacro Canone abrasorum nominum lacunam, quantum est reliquorum spatium. quod ipsum & aliis in Codicibus venerandæ antiquitatibus hisce oculis spectamus. Sic in Ambrosiana Missa D. Iacobi, atq; omni Græcanica & nomina sanctorum varia & multo plura sunt, quam in Romana. Idem videas in illa D. Isidori, quæ Mixarabum appellatur. Vnde quidam D. Hieronymum conjiciunt jussu S. Damasi certum ac definitum sanctorum Catalogum confecisse, qui etiamnum in Christianis quotidie recitatur mysteriis, cui nefarium, imo piaculum fuerit addidisse, aut saltē adscripsisse. ℞. 1. nondum liquere, an ipsa liturgia sit genuina. 2. posito, quod sit, non liquere, quæ & quanta sint addita. Sanè additamentis concessis, luxantur omnia. 3. Nos nos ignorare illam apponendi libidinem, quæ religionis Christianæ puritatem vehementer conculcavit. 4. Quod nonnullibi aliqua abrasa spectantur sanctorū nomina, arbitrium audax Monachorū arguit. 5. quæ de B. Hieronymo referuntur, fabulosa sunt. Cap. XXIII. diluere satagit istam objectionem, *quod cum Canon Romanus defunctorum fratrum expressè meminerit, liturgia illa sub nomine S. Petri noviter in theatrum producta eorū ita disertis verbis mentionem nō faciat*: respondens, 1. *liturgiæ Petrinæ illud non suo, sed alieno vitio deesse. Cum in aliis liturgiis defunctorum commemoratio fiat, ut ex Iacobæa, Æthiopica, Mosarabica, Syriaca, Cappadociana, Constantinopolitana, Græcanica, Africana, Alexandrina deducit. 2. Græcorum secus sentientiū iniqua manu ex Petrina liturgia illam commemorationem abrasam esse.* Quis non videat, nugas, non responsa attulisse Lindanum? Posterius in Græcos ἔγκλημα, unde probabit? Prius postulatum ex liturgiis probat, quarū antiquitas etiam dubia est. Et sic paucis apologeticum Lindani foliis vigintiseptem constans percurrimus, ejusque vanitatem ostendimus. Et hæc forsan causa est, cur Card. Bellarminus de scriptoribus Eccl. in S. Petro nullam ejus faciat mentionem liturgiæ. Sed & Hayus Jesuita, qui Sixti Sen. Bibliothecam sanctam auxit, non ausus est in novissima Coloniensi ejus meminisse.

§. 33. *Liturgia Petri non probat Missam.*

Sed 2. contraria nobis in præsenti materia nō est, licet alia falsa plurima in se contineat, quæ omnia sunt à recenti ætate. Sacrificium sanè corporis & sanguinis Christi novo & proprio quo-

dam modo factum non tradit. Pag. 5. hæc extat precatio. *Domine Deus noster, qui te ipse obtulisti pro mundi vita, despice in nos & super panem istum & calicem hunc, & fac eum immaculatum tuum corpus & pretiosum sanguinem in perceptionem animarum & corporum &c.* Pag. 7. ad thurificationem ita rogatur: *Deus sancte & in sanctis requiescens, lumen habitans inaccessum, ipse Domine tua benigna humanitate connive ad plurima nostra delicta & sicut Zachariæ suffitum suscepisti, sic de manibus nostris peccatorũ hanc suscipe thurificationem in odorem suavitatis atq; nobiscum fac misericordiam tuam &c.* Pag. 17. jubetur dicere Sacerdos alta voce: *Hostiam tibi Domine destinatam in oblationem sanctifica & per eam nos clementer suscipe per Dominum nostrum Iesum Christum.* Intelligit verò per hostiam destinatam *panem & vinum*, uti supra p. 5. notavimus: & p. 19. & seq. notãdæ preces, quæ ita sunt conceptæ: *Te igitur benignissime Pater per Dominum nostrum Iesum Christum supplices rogamus, & deprecamur, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hanc oblationem, hanc sanctam hostiam, irreprehensam.* A qui nõ potest esse corpus & sanguis Christi, quia nondum consecratio facta. Quod verò dicitur; *qui quidem offerunt hanc hostiam laudis pro seipsis & suis omnibus pro redemtione animarum & corporum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ &c.* commodè in hanc sententiã exponitur, precari sc. sacerdotem, ut Deus velit testamenti conditi memor esse, & exhibitum panem & vinum, quod fideles ex suis offerunt, dignari sancta illa unione, ut ita esse possint ista δῶρα sacramentalia medium confirmandæ remissionis peccatorum, redemtionis animarum applicandæ & conferendæ salutis. Declaratur hoc apertius p. 25. ubi istæ sunt preces: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cuncti populi tui, quam tibi offerimus, quæsumus Domine benigne suscipe, dies nostros in pace dispone, à futura æterna damnatione libera, & in electorum gregem jube connumerari per Dominum nostrum Iesum Christum, ut in omnibus tua protectione, quæsumus, benedictam, incircumscriptam, gratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris,* ut nobis corpus & sanguis fiat dilecti filij tui, Domini verò nostri Jesu Christi. Pag. 29. istæ sunt post consecrationem, seu in consecrationis tenore potius, preces; *Tua ex tuis offerimus venerandæ Majestati tuæ, de donis tuis & charismatibus hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ. Super quæ propitio & sereno vultu respicere digneris & accepta*

habere,

habere, ſicut dignatus es dona pueri tui juſti Abel & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quemadmodum tibi obtulit primus ſacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium & immaculatam hoſtiam, ſupplices te rogamus omnipotens Deus, jube hic διακονηθῆναι *adminiſtrari per manum ſancti angeli tui in illud ſublime altare tuum, coram divina majeſtate tua*, ut qui ex hoc altari portionem ſacram corporis filii tui ſive ſanguinis ſumſerimus, *omni cœleſti benedictione & gratia repleamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hic ſanè rurſus nihil aliud attenditur, quam elementorum conſecratio ad myſticum uſum. Digitus eò intenditur per allegationem ſacrificiorum Abel & Abrahæ. Illorum oblationes vocantur ſanctum ſacrificium & immaculata hoſtia. Ne quis cavilletur, cum ſacrificium panis & vini elementorum dicitur hoſtia pura, ſancta, immaculata, panis ſanctus, & calix ſalutis, dici id & propriè & cum connotatione unionis ſacramentalis factæ. Cum potius ad deſtinationem & officium reſpectus habeatur. Adhæc ad immutationem reſpicitur, quę ad uſum ſacramentalem hic deſideratur, prout id verba, ut qui ex hoc altari portionem ſacram &c. ſatis apertè declarant. Sicut enim Abelis ſacrificium & Abrahæ igne cœlitus delapſo fuerunt conſumta & ita divino conſecrata uſui; ſic & petit liturgus, igne S. Spiritus ſuperfundi partem terrenam S. Euchariſtiæ, ut cum illis contingat illa admirabilis ſanctificatio, qua fiant corpus & ſanguis Chriſti. Rurſus ergò planè nihil pro ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti.

§. 34: *Liturgia Baſilij ſuppoſititia.*

De Liturgia Baſilii nomine venditata ita ſcribit Rob. Cocus Cenſura l. Apocryph. p. 131. Claudius de Sainctes Theologus Pariſienſis edidit *Liturgiam ſeu Miſſam Baſilij* M. è vetuſto Codice Latinæ translationis, quæ impreſſa eſt Anno 1560. Hæc citatur à Bellarmino *de Purg. I, 6. pro oratione pro mortuis: de Euch. IV, 10. pro tēperādo vino cū aqua in S. calice: de Miſſa I, 18. pro Miſſæ ſacrificio de Miſſa II, 8. pro invocatione ſanctorū, de Euch. IV, 21. aliis de cauſis à Gregorio de Valētia lib. de præſent. Chriſti cap. 5. p. 370. pro reali Chriſti in Euchariſtia præſentia. & l. c. 6. p. 372. pro invocatione Euchariſtiæ: & à Pereſio de tradit. part. 2. tit. de ſacra communione fol. 159. pro tranſſubſtantiatione. qui Pereſius exiliens quaſi prægaudio ob teſtimoniū tam luculentum*, Gratias, *inquit*, tibi agimus ô Magne & S. Baſili, quod tam apertis verbis rem, de qua agimus, aperuiſti & nullum locum perditiſſimis his factionibus, quæ contra *altaris ſacramentum, pignus pretioſiſſimum hæreditatis noſtræ, tam impudenter latrant, reliquiſti:*

nam & transmutationem panis in Christi corpus, & vini in Christi sanguinem, veramq; & realem præsentiam ibidē apertißimè faßus es. Hæc Perez. Liturgiam sive Missam hanc, quæ sub Basilii titulo circumfertur, ipsius Basilii esse, probari non potest. Magna enim & valdè dissentiens est exemplorum varietas, ut qui plura viderunt, affirmant. Vetus translatio cum Græco exemplari & nova versione non convenit, & Liturgia, qua Syri titulo Basilii utuntur, nec cum Veteri, nec cum Nova translatione convenit. Quod ex parte verum esse fateatur necesse est Bellarminus, de Euch. III, 14. Nam ille negat in liturgia Basilii dici, *fac panem istum corpus Christi*: sed, *ostende panem illum corpus Christi*: cum tamen Peresius Guidixiensium Episcopus l. c. & Bessarion Episcopus Tusculanus R. E. Cardinalis & Constantinop. Patriarcha fateantur, in Basilii liturgia reperiri, *fac panem illum corpus Christi* &c. Nisi enim magna sit exemplorum varietas, Card. Episcopus ex altera parte, forte Episcopus & Cardinalis Episcopus ex una mentiatur oportet. Quod absit ut quisquam putet, nisi evidentia facti cogat. Quin imò hanc liturgiam sive Missam non esse Basilii, probari potest. S. enim Basilius ad finem precum solitus est glorificationem absolvere vel sub hac forma, *gloria Deo ac Patri cum filio ipsius ac Spiritu sancto.* Vel sub altera; *Gloria Deo ac Patri per filium in Spiritu Sancto.* Atqui in hac liturgia glorificatio absolvitur alia verborum forma: vid. *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* Quod arguit satis, Basilium non fuisse autorem hujus liturgiæ. Secundo in hac liturgia autor precatur *pro piißimo atq; fidelißimo suo Imperatore.* Verum Imperator tempore Basilii, Valens nimirum, vix *piißimus & fidelißimus* dici potuit, cum Arianum fuisse constet & Ecclesiæ Dei valde infensum. hæc Cocus. Accedit Patriarchæ, Archiepiscopi &c. mentio, itemq; Virginis Deigenetricis, quæ non convenit ætati Basilianæ. Sed & 2. Basiliana liturgia non docet Sacrificium corporis & sanguinis Christi. Sacrificium enim, quod Basilius tradit, est panis & vinum sanctificanda & deducenda in unionem cum corpore & sanguine Christi sacramentalem. Nam p. 39. apud Claudium fac. 1. precatio vult; *idoneos nos fac virtute sancti tui spiritus in ministerio isto, ut indamnabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ offeramus tibi sacrificium laudis.* Quale id sit, porro ex fac. 2. cognoscitur, in qua hæc est precatio, *Da nobis sermonem in apertione oris nostri, ad invocandam gratiam S. Spiritus super proponenda munera.* Pag. 40. f. 1. *Iteremus postulationem nostram Domino, pro propositis honorificis muneribus*

Basill. lib. de Spir. S. ad Amphiloch. cap. 1.

muneribus Domino Deo nostro & pro commodis & bonis animarum nostrarum Dominum postulemus. Ibidem: *suscipe nos appropinquantes sancto altari tuo secundum multitudinem misericordiæ tuæ, ut simus digni offerre tibi* rationabile istud & absque sanguine sacrificium *pro nostris peccatis & populi ignorantia,* & post, *sic & ex manibus nostris suscipe munera ista in benignitate tua.* Quæ munera? Respondet, p. 43. *ista quæ proposuimus secundum mandata Christi, qui dimisit memorationes salubris passionis suæ* & p. 44. f. 1. *proponentes configuralia sancti corporis & sanguinis Christi tui te obsecramus & te postulamus sancte sanctorum, beneplacita tua benignitate venire Spiritum S. tuum super nos & super proposita munera ista & benedicere ea & sanctificare, & ostendere panem istum, ipsum honorificum corpus Domini, Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem Domini* &c.

§. 35. Liturgia Chrysostomi habet supposititia.

Liturgia, quæ sub nomine S. Chrysostomi venditatur, ab Erasmo, ut ajunt in gratiam Episcopi Roffensis versa, quæ & Antvuerpiæ excusa An. 1560. juxta versionem Leonis Thusci & edita per Claudium de Sainctes, quamvis variè nunc ex Thusci, nunc ex Erasmi translatione, prout causæ servire videtur, adducatur pro imaginibus à Bellarmino de Im. II, 9. pro Papa à Græcis agnito, de Miss. II, 21. pro vini & aquæ mixtura, de Euchar. IV, 10. pro sanctorum invocatione de Miss. II, 8. pro sacrificio propitiatorio incruento, de Miss. II, 2. pro oratione pro defunctis, c. 7. pro cereis accẽdendis, c. 14. pro thure adolẽdo, c. 15. non tamẽ est authẽtica & genuino autori attributa. Mira est, inquit Hen. Savilius Tom. 6. Chrys. col. 828. in scriptis Codicibus inconstantia, nihil fere simile habet versio Erasmi & editio Moreliana, multa passim in operibus Chrysostomi ex liturgia, qua tũ utebatur Ecclesia oriẽtalis, recitãtur, quæ hîc non reperiuntur, multa hîc reperiũtur, quæ vix illorũ temporum esse videntur; quod Savilius singulari deducit disceptatione. Sanè Veneta editio Græca & Latina An. 1528. Chrysostomi tota esse nequit, quia in ea fit commemoratio cum multorum, qui post Chrysostomum vixerunt, tum ipsius Chrysostomi ut mortui, imò in ea invocatur Chrysostomus. Thuscæ editionis liturgia ideò Chrysostomi nequit esse, quia in ea fit mentio Nicolai, Alexij, & aliorum, qui 700 annis post Chrysostomum nati. Erasmum non transtulisse liturgiam probat Reinold. de Idololatr. lib. 1. c. 7. n. 9. In illa tamen etiam editione præter argumenta, quæ recensuimus, quibus dubia fit ejus autoritas, accedit & hoc,

quod B. Virgo prædicatur penitus incōtaminata, honoratior Cherubim & gloriosior incomparabiliter Seraphim. At Chrysostomus, ut ait Melchior Canus Episcop. loc. Comm. VII, *1.* est ex eorum numero, qui B. Virginem in originali peccato conceptam esse volunt. Imò referente Alf. Salmerone, est unus ex illis, qui *Virginem Mariam ambitiosam & cupidam gloriæ vanæ ac laudis extitisse* dicunt, *& incredulam etiam aliquando*: quod etiam de Chrysostomo concedit Canisius de Virg. Mar. l. 4. Hæc autem asserere non potest, *qui penitus incontaminatam* B. Virginem asserit. Sed & Chrysost. Comm. in ep. ad Hebr. c. 2. de Filio Dei asserit, eum nisi natura esset Dei Filius, Angelis non solum non excellentiorem, sed minorem etiam fore. Quomodo B. Mariam Virginem supra Cherubim & Seraphim collocare posset? Hinc Erasmus etiam Præf. ad Paraphr. 1. Corinth. p. 146. inquit: *Dionysius, qui in hierarchia secunda priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditis recentior quispiam fuisse videtur, quam fuerit Areopagites ille Pauli discipulus. Legi Græcorum liturgiam, quam illi Chrysostomo tribuunt, cui nihil ferè non tribuunt. Mihi non fit verisimile.* Vide etiam præf. B. Rhenani ad edit. Leonis Thusci. † Sed nec hæc liturgia patrocinatur Pontificio sacrificio. Etenim hîc per *sacrificanda & offerenda* intelliguntur partes terrenæ corporis & sanguinis Jesu Christi dispensando applicandæ: Eæ p. 50. fac. 1. vocantur *pretiosa dona*: p. 53. fac. 1. *hostia incruenta*: Pag. 59. f. 2. sacerdos orat, *Te deprecor, qui solus bonus es, & facilis ad exorandum, respice super me peccatorem & inutilem servum tuum, & munda animam meam & cor à mala conscientia, & Sancti Spiritus tui virtute fac me dignum sacerdotij gratia indutum assistere sanctæ huic mensæ tuæ ac consecrare sanctum corpus tuum & pretiosum sanguinem. tibi enim cervicem inclino meam, teq; precor, ne avertas faciem tuam à me, nec reprobes me à pueris tuis, sed concede à me peccatore & indigno famulo tuo offerri tibi hæc sacramenta: tu enim es offerens & oblatus: suscipiens & distributus, Christus Deus noster.* Nondum autem consecratio facta est. Itaque per sacramenta & hic intelligit *pretiosa dona.* De quibus p. 62. fac. *1. Adhuc offerimus tibi rationabile, & incruentum hoc obsequium & precamur & supplicamus & deposcimus ut mittas Spiritum Sanctum tuum super nos & super hæc APPOSITA MUNERA & fac panem illum quidem pretiosum corpus Christi tui & quod est in calice isto pretiosum sanguinem Christi tui, ut fiat* Communicantibus *in emundationem animæ* &c. Similia de cæteris Missis possent ostendi, si luberet excurrere. Sufficiant ista.

Tom. 3. de Cōm. in Ep. Paul. disp. 9.

§. 36.

Rationes

§. 37. *Rationes Herberi percurruntur.*

Rationes Herberi, expensis antecedentibus omnibus, per se cadunt. Nam Ia. nihil cōcludit, si ad formam revocatur. Quod λειτουργεῖν est episcoporum & presbyterorum, imponentium manus, illud non est commune λειτουργεῖν, sed sacrificiale. At tale λειτουργεῖν Act. 13. ponitur. E. Major sanè falsa, tum, quia etiam Episcopi & presbyteri in communem λειτουργίαν orationis, prædicationis & exercitationis sacræ tanquam antecessores & duces descendunt: tum quia si vel maximè aliquod peculiare λειτουργεῖν, solis episcopis & presbyteris competens intelligeretur, id non statim statuendū esset esse sacrificiale. Probandum primum, sacrificare, quale volunt Pontificii, ad Eucharistiam pertinere, esse actum liturgicum verorum episcoporum. Herberus circulo vitioso gyratur. Debet probare, sacerdotibus novi T. seu ministris Ecclesiæ sacrificium aliquod commendatum esse. Adducit τὸ λειτουργεῖν Act. 13. commemoratum. Probare debet, τὸ λειτουργεῖν Act. 13. continere in se sacrificium aliquod ministris Ecclesiæ N.T. commendatum. Probat eo, quia illud λειτουργεῖν est episcopale seu presbyteriale. At λειτουργεῖν talium habere in se sacrificationem ipsis commendatam. Ecce ad κεινόμενον redit & petit principium. Minor etiam suam habet difficultatem: an sc. omnes, quibus νηστεύειν, προσεύχεσθαι, λειτουργεῖν & ἐπιθεῖναι τὰς χεῖρας tribuitur, sint hoc sensu presbyteri, quo Pontificij volunt. IIa. & IIIa. pariter ruinosa est, ejus forma ita se habet: Tale λειτουργεῖν hoc loco intelligitur, ad quod & per quod Paulus & Barnabas assumebantur. At nec ad prædicationem Evangelii nec per prædicationem Evangelii illi tum assumebantur, sed ad & per sacrificium. E. Major rursus obscura est. Dicit S. Lucas, λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων factum esse mandatum dominicum Spiritus ad ἀφορισμὸν Barnabæ & Sauli εἰς τὸ ἔργον &c. Itaque λειτουργία non fuit medium, per quod factus est ille ἀφορισμὸς: sed occupatio Προφητῶν καὶ διδασκάλων, in qua divinum imperium sonuit. Minor etiam falsa est. Nec obstat, quod Paulus non ab hominibus, neq; per hominem sit ἀφορισμένος εἰς τὸ Εὐαγγέλιον. Rom. 1, 1. Gal. 1, 1. Distinguendum inter aphorismum divinum ad Apostolatum simpliciter, & inter Apostolatum ad prædicationis officium in tali vel tali loco exercendum. De illo loquitur Paulus, de hoc sermocinatur Lucas. Sed & rursus τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει Herberus, cum dicit, responsum divinum per sacrificium expeti. Nam hoc est, quod disputatur, an tale sacrificium divinitus sit ordinatum. Et hoc disputatur, an per celebrationem Eucharistiæ debuerint

buerint responsum divinum expectare de missionibus suis? & an hoc ipso hoc loco expectarint? sed transeamus ad

CAPUT VIII.

QUALE ALTARE, DE QUO 1.Cor.10.& Hebr.13,10. consideratur: comparatio mensæ gentilium, aræ Judæorum & mensæ Christianorum expenditur.

ASSERTIO. *Etiamsi Hebræis inscripta mentionem fecerit altaris, altissimo tamen missale sacrificium silentio involvit: & immensus est error, mensas Corinthiacas suffulciendo cultui missatico substernere.*

§. 1. *Herberi ex Epistolis Paulinis duo fundamẽta præponuntur.*

EXEGESIS. *Ut ulterius* missæ suæ sacrificium *Herberus probet, sacræ scripturæ duo allegat testimonia, ex Ep. ad Hebr. c.13. & 1. Cor. 10. ℣.9. & seq. In quibus* duo *potissimum* consideranda *esse ait*, I. Apostolum in iis de altari propriè dicto loqui. II. posito altari propriè dicto etiam sacrificium ponendum esse. Primum *sic probat. Apostolus docens Corinthios, non licere Christianis, ut in idolio cum sacrificantibus vescantur idolothytis, hâc utitur ratione.* Sicut Judæi comedentes victimas pacificas participant & participando consentiunt sacrificio in altari oblato, sicut & gentiles in idolio vescentes idolothytis consentiũt eorundem sacrificio, in altari dæmonibus oblato: ad eundem modum Christiani sacram Eucharistiam sumentes, participes fiunt sacrificii Eucharistici, per sacerdotem oblati: estque indecens, ut iidem dęmoni sacrificent, cum nemo possit sacrificare Deo simul & dæmoni. *Quæ sanè argumentatio* futilis omninò esset & invalida, si apud Judæos ac gentes verum altare ac sacrificium esset, apud Christianos non item.

§. 2. † *In loco verò ex Epist. ad Hebr. c.13. de propriè dicto altari sermonem esse, inde probat*, quia illud altare opponitur altari tabernaculi V.T. propriè dicto, quæ antithesis parum momenti haberet, nisi apud Christianos altaria

§. 3. propriæ significationis haberentur. † Haberi autem sacrificium propriè dictum *habito altari propriè dicto*, probat 1. ex firmissima altaris & sacrificii connexione. 2. ex Græci & Hebræi vocabuli, altare notantis, à sacrificando derivatione. 3. ex praxi in lege Naturæ & Mosaica observata, *ubi hostiæ, Deo allatæ, altare quoq; requisiverunt.* 4. ex mensæ pro altari non inusitata usurpatione. 5. quia in Ec-

in Ecclesia altaria ob sacrificium sacrosancta habita fuerunt, unde divinæ institutionis eadem esse colligitur. † Unde *addit* altarium mentionem faciunt Apostoli *Can. VI. (Quidam Pontificij hîc quinquaginta tantùm Canones recipiunt*, Bellarmin. *lib. 2. de R. P. c.* 27. Baronius *Tom. 2. ad Ann.* 102. *n.* 14. Possevinus *Appar. S. Tom.* 1. *Quidam omnes, ut* Turrianus *lib. 1. de Can. Apost. cap.* 21. Lamb. Gruterus *in præfat. Clement. Omnes rejicit* Gelasius *Summus Pontifex &* Isidorus, *quem* Baronius *negat fuisse Sanctum illum Episcopum Hispalensem, sed illum, dictum cognomento, Mercatorem,* Tom. 2. *Annal. An.* 102. *sect.* 11. *&* 12. *affirmat autem fuisse Hispalensem Anton. Possevin. Tō.* 1. *Appar. Sacri, in voce Isidorus. Vide superius annotata. p.* 247.)Cōciliū Laodicenum, Gratianus, Ignatius, Dionysius, Martialis, *&c.*

§. 4. *Canones Apostolorum cujus autoritatis?*

§. 5. *Nos, ut, quid de hoc Herberi argumento judicandum sit, indicemus breviter, Concludimus primò,* Apostolorum tempora aliquo temporis intervallo secutos Patres & Concilia voce altaris usos fuisse: *Sed quod altaris voce* propriè *usi fuerint, pro loco aliquo, in quo* verū, novum, reale, externum *sacrificium Deo offertur, id neq; nos concedimus, neq; Herberus sua dissertatione demonstravit, neq; ex Pontificiorum agmine quisquam docuit. Cum igitur solenne sciamus esse tum scripturæ, tum SS. Patribus, quod vocabula rituum V. T. ad Novum transferunt, ut magnam illam admirandamq; harmoniam Instrumēti antiqui noviq; doceant: Nec illud mirandum est, ipsos etiam Patres à vocabulo altaris & aræ non abstinere, ut minus à phrasi ea tùm usitata abhorrere vidantur, quæ* sive *apud Iudæos*, sive *gentiles locus sacer ille ara & altare dicebatur, in quo maximum & solennissimum cultus divini officium præstitum est. Inde enim ad Ecclesiæ Christianæ locum illum similitudine quadam vocabulum altaris aræq; transtulerunt, in quo sacra exhibetur Deoq; plena, ut ait Dionysius, cœna, quia illa Christiani cultus maximum & solennissimum est officium.*

Cur Patres mensam Euch. aram & altare dicant?

§. 6. *Certè, quia in loco illo, ubi* ἡ ἱεροτελεστικωτάτη εὐχαριστία καὶ μυστήριον πάντων ἱεραρχικώτατον *hominibus dispensatur, plus impetratur pro accipientium salute, quam in omnibus antiquioris Ecclesiæ sacrificiis impetratum fuit unquam; non incommodè locus ille altaris vel aræ titulo insignitur, ut ita eminentiùs in Eucharistia, quà sacramentum est Christianis communicandum, ea contineri significetur, quà antiquitùs sacrificia complexa fuerunt. Taceo jam alias causas, quibus moti vocem altaris & aræ ad mensas Eucharisticas transferre potuerunt Patres.*

§. 7. *Concedimus secundò,* vocabulum *mensæ* pro altari propriè dicto & usurpato nonnunquam in scripturis sanctis accipi posse. *De-*

buisset verò ex ipsius textus Corinthiaci circumstantiis apertioribus
§. 8. *probasse Herberus, etiam IBI ita acceptum esse.* † *Concedimus tertiò,* in lege naturæ, quam sic vocant, & Mosaica hostiis sensilibus, Deo offerendis, certa fuisse destinata altaria: *quis verò hæc hoc fine & modo ad Ecclesiam Christianam traducenda esse colliget? quis hinc inferet, in eadem N. T. Ecclesia sacrificia propriè dicta & externa constituenda?* † *Restant autem* tria *expedienda.*
§. 9. I. An ex Corinthiacâ illâ mensarum gentilium, Judaicarum & Christianarum collatione sacrificium missæ inferatur? II. An altare, quod Paulus ad Hebræos commemorat, sit missatici sacrificij altare? III. An Apostolorum tempore fuerint altaria ipsis usitata propriè dicta?

§. 10. *Ad* PRIMUM negando *respondemus. Textus ita se habet.* 1. *Cor.* 10
Locus 1. Cor. 10. examinatur. ℣. 14. *est summa & propositio dehortationis Paulinæ:* φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. ℣. 16. *Ratio* prima, *à communicatione sanguinis & corporis Christi.* τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ ἐστὶ; τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ ἐστιν; Ratio secunda *à fugienda communicatione idololatrici altaris: qui enim intersunt idololatrarum conviviis, quæ illi ex sacrificiorum reliquiis instituerunt, illi sacrificio ipsi consentiunt:* v. 18 βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα. οὐχὶ οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί; *Ratio* tertia: *à non tentanda conjunctione Dominici mysterij & Ethnicorum idololatricorum.* ℣. 21. οὐ δύνασθε ποτήριον κυρίου πίνειν, καὶ ποτήριον δαιμονίων: οὐ δύνασθε τραπέζης κυρίου μετέχειν, καὶ τραπέζης δαιμονίων. *Hæc igitur vis Paulinæ dehortationis; quicunque* communicat mensæ idololatricæ, ille violat communicationem sanguinis & corporis Christi: *quicunque* communicat mensæ idololatricæ, *ille* consentit in horrenda idololatrarum sacrificia: *imò tandem* conjungit mysterium Dominicum & abominationem Ethnicam, quod impos-
§. 11. sibile. † *Nihil hîc pro Herbero. Nulla enim est conclusio*: Apostolus opponit mensam Dominicam, unde sumimus Eucharistiam, mensæ Dæmoniorum, ubi illi immolabant idolis. E. sequitur mensam Domini esse altare, sicut dæmoniorum: aliàs nulla esset oppo-
§. 12. sitio. † *Nam* 1. *Oppositio Apostoli non est in eo, quod utraque mensa sit altare:* illa *quidem Domini,* hæc *autem dæmoniorum: sed quod utraque mensa sit participatio,* illa *quidem domini,* hæc *autem dæmoniorum; de modo participationis, an per modum sacrificij nimirum fit, nihil additur. Imò modus participationis, per modum nimirum cibi sacri, manifestè additur: qui clarius etiam ex participatione poculi conspicitur.* Talis enim participatio mensæ est, qualis poculi. *At participatio*

poculi eſt, per modum potus ſacri. † 2. Satis fortis eſt oppoſitio Paulina, §. 13.
etiamſi una menſa ſimul altare, altera non. Vtraq; enim menſa eſt locus cultui ſacro deſtinatus: Dominica quidem, ubi mandato Domini ſumma veneratione & religioſa Dei adoratione corpus & ſanguis Dominicus ſumendus eſt: Dæmoniaca autem, ubi id, quod immolatum dæmoniis, ſumtum fuit cum idolulatrica dæmoniorum veneratione. Conciliari certè hæc duo nunquam poſſunt ita, ut quis utriuſq; ſimul particeps eſſe queat.

§. 14. *Objectio Bellarminiana ſolvitur,*

† 3. Non negamus autem, quod, quemadmodum Gentiles veſcentes idolothytis fiduciam ſimul ſuam in ſacrificium ſuum idolis oblatum poſuerunt: ita etiã fiduciam ſuam Chriſtiani in ſacrificium ponant. Non tamen inde ſequitur, ergò Christiani etiam ſacrificium ſuum, in quod repoſitam habent fiduciam, PAULO ANTE ſacramentalem communicationem obtulerunt, ſicut ipſi gentiles illud idolis ſuis prius offerunt, quam communicent. Fiduciam enim ſuam Chriſtiani ponunt in crucis ſacrificium. Quod quia infinities perfectum fuit, non offerendum eſt ſæpius: quia infinities perfectum eſſe debuit, non potuit aut ſæpius aut ab hominibus offerri. Major itaq; Chriſtianorum eſt gloria, quam vel Iudæorum vel Ethnicorum. Vnius enim ſemel facti, nunquam conſumendi, infinitiq; ſacrificij participatione perfecti ſunt. Quæ gloria Chriſtianis indebitâ & violentâ collationis hujus extenſione non debuit à Pontificiis eripi.

§. 15. *Objectio Bellarminiana ſolvitur.*

† 4. Non etiam negamus, quod Chriſtiani, in participatione menſæ dominicæ, SACRIFICATA ſumant: ut & gentiles. Sed hoc imus inficias, quod, ſicut toties gentiles ſacrificant, quoties ſacrum convivium inſtituunt, ita Chriſtiani toties immolare debeant, quoties ſancto veſcuntur cibo. Eſt hoc contra eminentiam perfectionis, quam in ſacrificato pro Chriſtianis Chriſto agnoſcimus. Imò Salmeronem ſupra audivimus negantem, nova opus eſſe in ſancta cœna immolatione.

§. 16. *Abſurda ex collatione Apoſtolica latius extenſâ.*

† 5. Si ultra terminos urgere comparationem Apoſtolicam velimus, ut faciunt Pontificij, ecquæ non abſurda ſuppullularent. Poſſem enim eodem jure, quo Miſſam inde eliciunt Salmeron, Bellarminus, Eſtius, Juſtinianus, his antiquior Cajetanus, ex his Herberus, ſequentia elicere. Gentilium idolothyta erant cruenta & incruenta. Ergò Chriſtianorum in Miſſa ſacrificia debent incruenta & cruenta eſſe. Aliàs nulla eſſet comparatio Apoſtolica. Item Gentes non uni DEO ſacrificabant. E. Chriſtiani quoq; non uni DEO, ſed ſanctis deberent ſacrificare. Aliàs nulla eſſet comparatio Apoſtolica. Item Gentes qui communicabant ſacrificio dæmoniorum, poculo etiam dæmoniorum communicarunt. Ergò Chriſtiani etiam poculo Dominico communicare debent. quod tamen eſt abſurdum

Pontificijs. Item. Gentes reliquias tantum ex iis, quæ sacrificata idolis fuerunt, comederunt & consumserunt. Cur igitur Christiani integro corpore & sanguine Christi fruuntur. Cur Pontificij, comitantia sua animam & divinitatem sumere se, opinantur? Eadem nervo, quo Missa,
§. 17. *hæc omnia ex collatione Apostolica deducuntur.* † 6. *Nec sequitur, quod Bellarminus ait,* Si gentes per suum sacrificium idolis cultum latriæ exhibuerunt, Christianos quoque per sacrificium aliquod sensibile Deo subinde oblatum cultum eidem latrias exhibere debere. *Adorant enim DEVM Patrem per sacrificium crucis consummatissimū à Christo mediatore præstitum, quotiescunque sanctissimam Eucharistiam accedunt, etiamsi sacrificio aliquo externo latrias actum non testentur. Est enim Eucharistiæ sacramentum etiam actus, quò adorationem & fidem suam in DEVM fixam, cultum DEO gratissimum, protestantur fideles, & professionem sinceram hoc velut symbolo communiunt.*

§. 18. *An convivia Corinth. gētilia corā idolis habita?*

† 7. *Quod autem Pontificij putant*, coram ipsis idolis fuisse apparatas has mensas, *à quarum participatione tantis rationibus Corinthios absterret falsum clamat esse v.27. 28. Ait enim ille*, fuisse Corinthios fideles vocatos ab infidelibus ad illas mensas: *eosq;* ivisse. *At fideles Corinthij non tam erant dementes, ut in ipsam idolomanias Ethnicæ aream iverint. Ait porrò cit. v. Paulum præcepisse, ut quicquid apponitur ederent, absq; ἀνακρίσει & curiosâ inquisitione. At non opus erat, ut inquirerent de mensis illis, si ante idolum apparatæ fuissent. Patet igitur fidelibus non constitisse de apparatu illarum mensarum. Et si constitisset fortè alicui fidelium, mēsam in idoli honorem apparatam, aut si apertè indicamur fuisset, id quod appositū est, simulacris immolatū fuisse, tum propter scandalum & conscientiam non debere comedere, ne in idololatriam prolaberentur, ait ℣. 28. At verò, quid opus fuisset indicatione aliena, ad cognoscendum εἰδωλόθυτον, si coram idolo mensa apparata fuisset. Quid igitur mensa hæc commune habuit cum altari.*
§. 19. † 9. *Et si vel maximè poneretur, coram idolo celebrata fuisse ejusmodi convivia, probari tamen nequit, in ipsa ara fuisse convivia illa instituta.*

§. 20. *Quid Patres de mensa Domini Corinthiaca?*

Eadem est sententia Theodoreti in 1. Cor. c. 10. *Theophylacti*, ibid. *Haymonis* ibid. *Nihil igitur* ex 1. Cor. 10. *pro missa sua exsculpere potest Herberus. Et phrasis illa* mensæ Domini *juxta ipsos Patres unaniminiter notat corpus Christi. Apud Optatum Milevitan.* lib. V. *qui* mensæ domini famulantur, sunt sacerdotes, qui sacramentum hoc administrant. *August.* de peccat. mer. contra Pelag. lib. 1. c. XXIV. *Ecclesiæ* Christi institutum tenet, præter baptismum & participationem

tionem dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenpiam hominum pervenire. *Leo I.* ſermon. 6. de jejun. 7. menſ. *Sic* ſacræ menſæ communinicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti ambigatis. *Hinc etiam variis Epithetis hæc menſa illuſtratur, quæ ideò, quia pro corpore Chriſti accipienda, habet. Vocatur* ἐπουράνιος τράπεζα, *cœleſtis menſa. Liturg. Iacob.* ἱερὰ τράπεζα, *ſacra menſa: Chryſoſt. hom. ſept. in* 1. *Cor.* 10. μυστικὴ τράπεζα, *menſa myſtica. Idem Tom.* 5. *p.* 367: *Theodoret. de prov. ſerm.* 10. φρικώδης τράπεζα, *terribilis menſa: Chryſoſt. in loc. Pauli: oportet hæreſes eſſe. Rationalis menſa* λογικὴ τράπεζα, *Theodor. ſermon.* 6. *de provid. ſæpiſſimè* πνευματικὴ τράπεζα, *ſpiritualis menſa.*

Secundum quod attinet, An altare, quod Paulus memorat, ſit ſacrificij miſſatici altare, *reſpondeat* Cardinalis BELLARMINUS. *Is l.* 1. *de Miſſa, c.* 14. §. 2. *ita loquitur.* Exiſtimant quidem aliqui, ut Haymo & alij nonnulli graviores autores, non improbabiliter menſam Domini expreſsè vocari altare, Hebr. 13. tamen quia non deſunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligant crucem, aut ipſum Chriſtum, non urgeo ipſum locum. *Licet BELLARMINVS immemor ſui* lib. 3. de cultu Sanct. c. 4. §. 16. *adducat illum locum, ut monſtret*, Apoſtolis uſitata fuiſſe altaria. *Vnde vocat illos* adverſarios, qui locum de cruce intelligunt. Intelligi verò debere altare ſacrificii miſſalis, dicit patere ex Chryſoſtomo, Sedulio, Theodoreto, Oecumenio: *quod tamen præter ipſorum mentem eſt. Loquuntur certè illi de altari non* ſacrificationis, *ſed* diſpenſationis & glorificationis. *Videantur verba eorum in Comm. ad hujus Ep. c.* 13.

§. 21. *Locus Hebr.* 13. *expenditur.*

Bellarminus ſibi cōtradicit.

† Thomas Aquinas *Doctor Angelicus ad hæc verba ait*, altare id eſſe vel Chriſti crucem, vel ipſum Chriſtum: quod Apoc. 8. altare aureum vocatur. Lyranus *ad amuſſim conſentit.* Franc. Ribera, *in cap. cit.* non negat de paſſione Chriſti hunc locum intelligendum, *&* *rejicit* Bellarminum, qui altare ad ſacrificium Euchariſtiæ accommodat: ipſe verò de ſacramento Euchariſtiæ ſermonem ait eſſe. *Ob id videtur ipſi indignari* Juſtinianus Genuenſ. Jeſuit. Mirum autem eſt, *inquit*, quid in mentem venerit quibuſdam, qui malunt hæc ad Euchariſtiā referre, ut eſt ſacramentum, quam ut eſt ſacrificium.

§. 22.

Iuſtinianus Riberæ iraſcitur.

† *Ipſe Herberus ſibi fortiter contradicit. Ait* hoc loco, ſermonem eſſe de altari & conſequenter ſacrificio miſſatico. *At aſſert.* 3. *th.* 13. *ait*, caviſſe Paulum, ne Hebræis in hac epiſtola ſolidi cibi nondum capacibus vulgaret myſteria miſſæ, quod rudi illi ac nō-

§. 23.

dum satis instructo populo importunum videri poterat &c. *hæc Herberus.* † *Tandem, id extra dubium est, idem esse altare, cujus mentio fit Apoc. 6. v. 9. & Apoc. 8. ℣. 2. Altare verò aureum est Christus.* Huntlæus p. 330. *Contr. 9. c. 6. n. 6. Sunt quoq; sub altari aureo animæ interfectorum amictæ stolis albis. ℣. 11. Apoc. 6. Stolis verò albis amictæ animæ venerunt ex afflictione Apoc. 7. ℣. 14. & sunt ante thronum Dei, in tẽplo gloriæ cœlestis. ℣. 15.* Gregorius de Valentia *c. 4. lib. 1. de missa, concedit, loco Hebr. 13. & Apoc. 6. de eodem altari esse sermonem : Si itaq; idem est altare Apoc. 6. 8. & Hebr. 13. sequitur, altare Hebr. 13. non esse terrenum quoddam & sensibus humanis obvium fabricamentum , sed ipsum Christum in gloria cœlesti constitutum , ut* Huutlæus *loquitur. Vnde ipse* Huntlæus *p. 273. ed. Colon. Christũ in prima cœna nominat altare mysticum. Quale autem in prima cœna fuit altare, tale & hodiè constituendum est.* † Guilielmus Estius *elegantissimè locum Hebr. 13. explicat. Refert* plerosque tàm veteres, quam recentiores intelligi velle per altare mensam Dominicam, ex qua sumitur à fidelibus corpus & sanguis Domini: *Inquit*, tradi hunc sensum à Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, *Patribus Græcis*: à Primasio, Sedulio, Anselmo, Cajetano, Hasellano, *aliis, Latinis*: Thomam verò, *ait*, altare hoc interpretari crucem Christi, vel ipsum Christum. *De quo altari edere est* fructum passionis Christi percipere & ipsi tanquam capiti incorporari. Crucem Christi rectè proprieque vocari altare, nulla dubitatio est. Non enim aliud altare fingi potest, super quod Christus cruentè pro nobis fuerit immolatus. Unde & Ecclesia nominat aram crucis in divinis officiis. Priorem S. Thomæ *expositionem dicit amplecti* Lyranum, postremam Franc. Titelmannum: Gagnæum *autem utramq; miscere. Cæterum subjungit*, se arbitrari, expositionem S. Thomæ, quam priori loco posuit, esse magis germanam. Innuit enim eam nobis ipse Apostolus, cum paulò post dicit, Jesum extra portam passum esse, id est, in ara crucis oblatum. Et, ut taceam, quod toties in hac epistolà atque ex instituto per antithesin comparat sacerdotem ministrantem tabernaculo cum Christo offerente seipsum in cruce; sanè cum in superiore disputatione, qua tam copiosè egit de sacrificiis U. L. per Christum abolitis, deque sacrificio N. T. per eundem introducto, nullam facere voluerit mentionem incruenti sacrificij N. L. non multum verisimile est, eum nunc aliud agentem, velut ex abrupto voluisse de sacrificio incruento mentionem ingerere. *Hactenus* Estius *egregiè locum explicans.* Et sanè textus circumstantiæ

§. 24. *Locus Apocal. 6. & 9 expenditur.*

§. 25. *Estius Herbero contradit.*

tiæ clarissimè illud evincunt. Nam 1. tale altare l. c. indigitat Apostolus, quale in N. T. libris ad ejus constitutionem & naturam pertinere notum est & explicatum. Sumenda enim sunt vocabula pro subjecta materia juxta significatum famosius. At hoc non est nisi crucis Christi, uti hucusque evictum est. 2. quale in Epistola ad Hebræos commemoratum, deductum & explicatum est. Cur enim, postquam de sacrificio & oblatione longa serie in Capp. anterioribus disseruit Apostolus, ad aliud delaberemur & prorsus non commemoratum altare? At non alterius altaris N. Testamentum tum concernentis mentio injecta est, quam crucis. 3. Tale altare hoc loco imprimis intelligendum, cujus respectu Christus etiam erat χθὲς καὶ σήμερον, sub V. & N. Testamento. Vult enim S. Paulus commonefacere, de quo altari Christiani participant, de eo etiam χθὲς manducatum fuisse, ab iis, qui verè fideles erant, juxta Act. 15, 11. Quod verò ait, non habere ἐξουσίαν φαγεῖν ex eo, eos, qui tabernaculo serviunt, ex opinione Pharisaica pendet. Quatenus enim & quamdiu Pharisaica opinio obtinet, de necessitate λατρείας σκηνῆς, eatenus illa opinione imbutis nefas est de hoc altari participare, quia Christum violant & ejus meritum, ita opinantes. At crucis altare antrorsum & retrorsum χθὲς καὶ σήμερον valet. Profuit, antequam fuit. 4. Altare hoc, de quo S. Paulus loquitur, unum est, ex quo post sacrificationem peractam, seu intuitu consummatæ immolationis omnes possunt comedere. Ait enim Apostolus; ἔχομεν θυσιαστήριον &c. Etsi verò singulare hoc collectivè possit explicari, quia tamen nondum constat de collectione, tamdiu monadicum thysiasterium intelligimus, donec aliunde collectio probetur. Altare autem crucis, non missæ unum est. 5. tale altare intelligit S. Paulus, ex quo facta est εἰσφορὰ τοῦ αἵματος περὶ ἁμαρτίας εἰς τὰ ἅγια v. 11. 12. in eo enim comparatur altare Judaicum & Christianum. At hoc est altare cruenti sacrificij. 6. ex quo factus est ἁγιασμὸς τοῦ λαοῦ διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος χειςοῦ ἔξω τῆς πύλης in passione. v. 12. Est enim inter v. 10. & 12. arctissima connexio. At hoc est altare crucis. Nullo ergo divini textus favore altare aliquod propriè dictum eucharisticum intelligitur.

Quod verò tandem altaria propriè dicta Apostolorum ætati coæva sint, multis conatur probare Pontificiorum turba. *Non negamus,* habuisse mensas suas, quibus imponerent elementa sacramentorum administrationi subservitura & sanctificanda. *Has verò sacrificando destinatas fuisse, falsum est. Placet hîc* Baronius *Cardi-* §. 26.

nalis

nalis ad Ann. Chr. 34. sect. 284 p. 266. Si quis, *ait,* primitivæ illius nascentis Ecclesiæ principia repetat & cognoscat consuetudinem, quæ nam fuerint illæ mensæ cognoscet: nimirum easdem fuisse sacras æquè atque communes. Sicut enim Dominus ac Redemtor noster in ultima illâ ac memorabili cœna (vidimus) utramque cœnam unâ conjunxit, communem & sacram, in quarum priori agnum ex more comederent, in altera verò mox consecuta sacratissimum corpus suum & sanguinem suum propinavit: ita etiam Apostolorum temporibus eadem in Ecclesia consuetudo noscitur conservata, ut simul utramque mensam conjungerent. *Si* Baronius *sui memor fuisset, non debuisset infra mox tam o-*

§. 27. *perosè de templorum & altarium structuris disputasse.* † *De nomine ALTARIS, templi & sacerdotis fatetur* Lorinus *in Act. cap. 2. p. 158.* rarò ab antiquioribus pro sacris Christianorum ædibus usurpari.

§. 28. *Celsi objectio de carentia altariũ solvitur.* *Notandum, quod de* Celso Epicuræo *Origenes lib. 8. habet.* Celsus *ait,* nos ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere, ut occulti fœderis fidem sanciamus hâc ceu tesserâ. Non videns pro aris nobis esse suam mentem cuique, ex qua sursum feruntur verè atque intelligibiliter suaveolentes hostię, suffitus, preces è pura conscientia. quapropter dicitur apud Joannem in Apocalypsi, *suffitus autem sunt orationes sanctorum. Et post.* Omnes Christiani conantur dedicare aras ac statuas, quales diximus, non sensu & anima vacuas. Quod si etiam templa conferenda sunt templis: at discant Celsi fautores, non obstare nos, quo minus templa condantur, convenientia jam dictis aris & statuis; cavere tamen, ne omnis vitæ largiori templa statuamus ex anima: audiat qui vult nostram doctrinam, quod corpora nostra templũ

§. 29. *Minutius Felix de templis & aris.* Dei sunt. † *Observandum etiam, quod* Cæcilius Paganus *apud* Minutium Felicem *p. 780. edit. Basil. (liber vulgò* Arnobij *dissertationibus adversus gentes accensetur. Bellarm. de Script. Eccles. In Minutio.)* Octavio Christiano *objicit*: Cur nullas aras habent (*Christiani*) templa nulla, nulla nota simulacra: cum Judæi unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, ceremoniisque colant. *Respondet autem* Octavius. Putatis autem nos occultare, quod colimus, si delubra & aras non habemus? *Et post.* Nulla nota simulacra. Quod enim simulacrum Deo fingam? cum si rectè existimes, sit Dei homo simulacrum. Templum quod ei extruam? Cum totus

§. 30. hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non possit. † *Idem habet adversus gentes lib. 6.* Arnobius. In hac, *inquit,* consuevistis

parte

parte crimen nobis maximum impietatis affligere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia extruamus, non Deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras. Confer huc observat. Emenhorsti p. 110. Lactantius lib. 1. c. 20. Quid igitur opus est, vir sapientissime, supervacuis extructionibus occupare, quæ possint humanis usibus cedere? quid sacerdotes constituere, vana & insensibilia culturos? quid immolare victimas? quid tantos sumtus vel fingendis vel colendis imaginibus impendere? Firmius & incorruptius templum est pectus humanum. hoc potius ornetur! hoc veris illis numinibus impleatur. Idem *lib. 6. Div. Inst. c.* 24. Non templa Deo congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: in suo cuique eonsecrandus est pectore. Vestes igitur, gemmas, & cætera, quæ habentur in pretio, si quis putet Deo chara, is planè quid sit Deus, nescit, cui putat voluptati esse eas res, quas etiam homo, si quis contemserit, jure laudabitur? Quid ergo castum, quid Deo dignum, nisi quod ipse in illa divina lege poposcit &c. Sic apud Cyrillum Alex. *contra Iulian. lib.* 10. *p.* 248 249. *Iulianus Apostata Christianis objicit*; Non Abraham imitantes altaria erigitis Deo, nec ædificatis sacrificatoria, nec sacerdotalibus ministeriis quemadmodum ille servitis; *cui respondet Cyrillus*; Quod autem extructis altaribus non sacrificemus Deo, sicut divinus Abraham, iterum arguit nos. Neq; enim, *inquit*, imitati estis eum. Non intelligens, quod veram & necessariam morum illius similitudinem acceperimus. Nam cum simus in præputio, quemadmodum sc. & ille, credidimus Deo & justificati sumus. Scriptum est enim, credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad justitiam. Computati autem & nos sumus inter filios & imitari illum diligimus. sacrificamus item & nos nunc melius, quam illi tunc. Nam figurarum tẽpore vigebant figuræ: demonstrata verò veritate spiritualem cultum necesse est vigere. *Cui etiam apud* Eusebium *lib.* 7. *c.* 17. *Eccles. hist. consentit* Dionysius *celebris Alexandriæ Episcopus.* & Polydorus *Virgil. de Invent. Rer. lib.* 5. *c.* 6. A Christi, *inquit*, statim adscensu in cœlum Judæi cœperunt Christianos crudeliter persequi, deinde Nero princeps, deinde Domitianus, deinde & alij: postremò & Diocletianus ac Maximinus acerbissimè afflictarunt. Quo ferè toto temporis intervallo tantum abest ut aliquod templum à nostris Christianis ædificaretur, ut etiam omnia essent occulta & sacella potius atque eadem abdita & plerunque subterranea, quam apertis in locis ac publicis fierent. *Ad-*

dit tamen: Est tamen consentaneum credere, remotis in locis, quo non facile pervaserat ille tyrannorum furor, fana interim aliqua aut ædificata, aut quæ primum dæmonum fuerant, Christo dicata ab Apostolis fuisse. *Sed hæc conjectura est nondum probata. Vnde illorum conventus Christianorum frequentissimè in cœmiteriis.* Eusebius *lib.7. hist. Eccl. c.10.* Onuphr. Panvinius *de Rit. Sepul. c.11. Consentit Bellarm. l.3. de R. P. c.13. §. Ratio autem.* cum ait. Cur Apostoli non vocant templa Christianorum Ecclesias, ratio una est, quia non habebant tunc ulla templa, sed solum in privatis domibus locum quædam destinabant orationi, concioni &c.

§. 31. *Bellarmini & Baronij ad locū Minutij glossa examinatur.* Bellarminus Minutij Felicis *locum examinans lib. 1. de Missa, c.16. respondet*, hoc ex ignorantia Cæcilij factum, ut putaret, aras & templa Christianis nulla fuisse, quod Christiani illis temporibus diligentissimè cavissent, ne Ethnici sacris suis interessent. *Quod tamen ipse* Minutius *refutat, dum ait.* Putatis nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? *Baronius ad An. Chr.57. n.101. regerit*, idolorum tantum templa Christianos aversatos fuisse. ℞. *Origenes in genere docet, Christianos suæ ætatis non solum dæmoniorum templa aversatos fuisse, sed etiam omnia omnino templa materialia.* Præcipuè, *inquit*, id aversabimur, ut ei qui vitam hanc nobis elargitur, templa quædam inanimata neglectis, certioribus collocentur. *Rursus*: His qui idcircò nos criminantur, quia haud quaquam Deum in insensibilibus templis colendum existimamus, nostra hæc & spiritualia opponimus templa. *Hinc dicit*, nec nostras aras cum istorum aris quicquam habere similitudinis, nec ea, quæ nos suscipiunt, templa cum eorum qui sensu carent delubris. hæc Orig. *Atqui habuissent aliquid saltem similitudinis, si Christiani materialia templa, sicut gentiles, habuissent. Claret ulterius, quod Origenes dicit*; Christianos etiam fundationes templorum defugere. *& Arnobius*; Christianos non extruere ædes sacras. Idem *ad An. Chr.210. n.5.6.7. Patres allegatos loqui, de derisione potius, quam calumnia Ethnicorum: eos negare duntaxat Christianos magnifica & augusta templa habere: templi vocab. teste Varrone, usurpari tantum pro magnificis illis & augustis ædificiis sacris, Christianos à talibus structuris abstinuisse, non ex religionis humilitate, sed ob persecutiones & invidiam Ethnicorum. Interim tamen habuisse Christianos ædes sacras, quas potius Ecclesias nominarent.* ℞. I. *falsum esse, quod dicit Baronius, fuisse derisionem potius, quam calumniam Gentilium de templorum apud Christianos defectu. Etenim, ut apud autores dictos videre est,*

gravitet

graviter & mordacissimè carpunt, quod Christiani templa nulla haberent. Origenes ait, Ethnicos ob id criminari Christianos: Qui idcirco nos criminantur, quia haudquaquam Deum in insensibilibus templis colendum existimamus. *Arnobius pariter ait:* In hac consuevistis parte crimen nobis maximum &c. *Erat itaq; animus calumniādi in gentilibus ferventissimus. Dicebant, Christianos ideò non habere templa, ut eo modo suam religionem confirmarent invisibilem & inexplicabilem. Origenes:* quandoquidem Celsus invisibilis nostræ hujus & inexplicabilis communionis fidem & charitatis factionem esse existimat. *Item:* non igitur ad nostræ hujus invisibilis & inexplicabilis animarum conjunctionis & tanti conventus confirmationem simulacrorum templorumve fundationes defugimus. II. *falsum est, Christianos tantum augusta & splendida ædificia non habuisse. Christiani sanè templa non quà* augusta, *sed quà* materiata *aversabantur. Sic enim Origenes:* Haudquaquam Deum in insensibilibus templis colendum existimamus. *Et paulò ante:* Id præcipuè aversabimur, ut ei qui vitam hanc nobis elargitur, templa quædam in animata neglectis certioribus collocentur. *Si Baronius in voce* templi *argutatur, meminerit, non* templa *tantum, sed &* delubra, & ædas sacras *dici Christianis defuisse. Minutius:* si delubra & aras non habemus. *Arnobius:* Nunquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus. *Rursus idem:* quod neque ædes sacras venerationis ad officia extruamus. *Quod ex Varrone citat,* templa esse propriè ædes sacras magnificas & amplas, *ad rem nihil facit. Vnde enim probabit, Patres in propriissimo significatu illa voce usos? Nonne in iis promiscuus usus apparet? Vbi utuntur adversus Gentiles illa excusatione, quæ in promtu fuisset, non in qualitate & amplitudine templorum cultum Dei positum esse, etiam in angustis ædibus amplissimam esse posse reverentiam* &c. III. *Falsum esse, eam solum causam apud Christianos obstitisse structuræ templorum. Alias S. Patres producunt: Origenes:* templorum fundationes fugimus, quia ubi per Jesu doctrinam comperimus, quemadmodum colendus sit Deus, ea nos evitamus, quæ sub pietatis prætextu & opinione quadam impios reddant &c. *Minutius:* Templum quod ei extruam, cum totus &c. *Has & alias rationes ab inhonesto, ab inutili &c. adducit etiam Arnobius. Habuisse* Christianos oratorias domos, *de temporibus Christi & Apostolorum ad usq; ducentesimum annum idoneo testimonio probari nequit. Quoties in loco publico docebant aut precabantur, id illis extraordinarium fuit, ut cum in templo*

Hierosol. & in Synagogis, aut areis publicis concionandi & orandi officio defungerentur. Ordinariè autem in privatis ædibus, imò etiam persecutionum tempore in cryptis, cavernis, montibus sacra faciebant. Wouerius in not. ad Minut. Christiani non habebant templa dedicata & consecrata ritu Ethnico, suas tamen basilicas, seu ut ipsi appellant, κυριακὰ habuisse, satis constat, eaque frequentasse, nisi quatenus persecutione impedirentur. Tum enim ad domos privatas confugiebant. Augustinus contra *Donatistas: Domum* privatam Christianis congregandis præstitam constitit tempore persecutionis: D. Lucas Act. 1. *Nullum verò nominat testem, quo, quod dixit, confirmat. Progressu temporis* Orationis domos *habuerunt Christiani: Eusebius Hist. Eccl. IIX, 1. de statu Ecclesiæ, in quo illa fuit paulo ante persecutionem Diocletiani & sub ea, notat, eã habuisse* τάς τε ἐπισήμους ἐν τοῖς προσευκτηρίοις συνδρομάς, insignes illos concursus ad domos precatorias. *Et c. 2.* ὁπηνίκα τῶν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτομένους &c. quando domus precatorias solo æquatas &c. *Sic tempore Eusebij fuerunt* προσευκτήρια, *domus in quas oratum convenerunt Christiani. Non liquet autem, fuerintne separatæ ab omni alio usu & publicatæ, an verò privatorum ædes illis insuper usibus accommodatæ, quas, ubi compertum fuisset exercitiis Christianæ pietatis occupari, in Christianorum persecutionibus hostes demoliti sunt. Sanè eodem planè tempore, de quo Eusebius scribit, quoq; Diocletianus vixit, Arnobius negat, Christianos ullas habere ædes sacras*: quod neque ædes sacras, *inquit*, venerationis ad officia extruamus &c. *Fuerunt igitur distincta* προσευκτήρια *ab ædibus sacris. Illa habuit Ecclesia, hæc non agnoscit. Non imus inficias, Oratoria etiam Ecclesias vocata. Liquet id ex Eusebio IIX, 1. 2. & Augustino quæst. in Lev. cap. 57. Ita tamen, ut* οὐ νῦν τὸν τόπον, ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν, non jam locum sed cœtum electorum *inprimis intellexerint, ut Clemens Alex.* Strom. VII. *loquitur. Itaq;* Baronius *ad ann. 57. num. 98. & seq. non bona fide agit, cum vocab. Ecclesiæ pro loco congressus sacri usurpationem ab ipsis Apostolis deducit. Locus* 1. Cor. 11, 18. *non de loco sed cœtu intelligendus*, q. d. quando vos excitati cultus divini amore magno numero congredimini, cœtum facitis &c. *Locus* Ignatij ad Magnes. *suppòsititius est & ex Constit. Clementin. l. 2, c. 59. 60. 61. infarctus.* Epistola ad Polycarpum & Heronem *locum congressus Christianorum, Ecclesiam non nominat.* Eusebius l. 8. c. 1. *non loquitur de temporibus longè Diocletiani persecutionem antegressis, quibus locus Christianæ coitionis* Ecclesia *sit appellatus, sed de parte tantum intermedij temporis inter* XI. *&* XII.

Wouerius refellitur.

persecu-

persecutionem. Initium autem persecutionis, quæ Diocletianam præcesserat, incidit in annum 272. imperante Valeriano, desiit fere decennio post. Diocletiana autem cœpit juxta aliquos, ann. 306. Tertullianus de Idol. c. 7. ad uxor. l. 2. c 9. de vel. Virgin. c. 3. & 13. de cor. milit. c. 3. *si vel maximè locum exercitiorum sacrorum Ecclesiam appellaret, ad thesin Baronianam ineptus est, quæ est de temporibus Apostolicis, cum Tertull. ducentesimo anno post Chr. & circiter vixerit. Sed tamen ex Tertulliano etiam illud non constat.* Quæ ex actis Pudentis, epp. Pij, & l. de Rom. Pont. in Evaristo *citat, pro Ecclesiis in ipsis Christianismi primordiis fundatis, supposititia sunt.* Optatus, Milev. lib. 2. *de hoc negotio non loquitur. Locus ex* Luciani Philopatride *etiam de domibus privatis intelligi potest.* † *Quod autem de aris dicitur, illas tantùm fuisse negatas, non altaria, vel unus* Tertullianus *refutare potest. Vt enim sacrificiorum cruentorum locus,* altare *sæpissimè dicitur, ita* aras, Tertullianus *sæpè accipit pro mensis. Vide Isidor. Hispalensem de differ. lib. 2. diff. 227. fuit autem* Tertullianus, *juxta* Bellarminum & Baronium *coætaneus* Minutij. † *Quem verò locum* Tertulliani *de pœnit. c. 9.* Bellarm. *lib. 1. de Missa, c. 16. §. 2.* & Pamelius *Tom. 1. Liturg. p. 163. adducit,* confitentes ARIS Dei ad geniculari, *illum ipse* Pamelius *in castig. ad h. l.* Tertull. *corruptum judicat: debere enim legi,* CARIS Dei ad geniculari. *Etiam de defectu publicorum locorum conventibus sacris destinatorum Baronij Card. confessio Tom. 1. Ann. Chr. 57. sect. 102. extat.* Nos utiq; dicimus, caruisse Christianos crebro persecutionibus agitatos tẽplis illis instar fanorum gentilium vel templi Judaici; temporum enim ratio id minus posse fieri permittebat: cum clanculum sæpius sive in privatis domibus, sive interdum in cryptis (ut docent fidelia sanctorum Martyrum acta) eos oporteat convenisse. † *Placet doctissimi Patris* Isidori Pelusiotæ *epistolam 246. lib. 2. p. 210. edit.* Rittershus. *attexere.* Discat Eusebius Pelusiotarum Antistes quid sit Ecclesia. Est enim absurdissimum ac per quam grave, ipsum ne hoc quidem cognitum habentem, in hac opinione versari, ut Episcopum se esse existimet. Nam quod sanctorum cœtus ex recta fide & optima vivendi ratione collectus, Ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustarunt. Quod autem ille hoc ignorans veram Ecclesiam evertat, dum multis offendiculi causam præbet, templum autem extruat, atque illam quidem ornatu spoliet, probos viros expellens, hoc autem magnificis marmoribus exornet, nemini obscurum est. Quod si ille certò cognoscat, aliud Ecclesiam, aliud templum esse,

[Margin notes: §. 32. — §. 33. *Pamelius sui oblitus* — §. 34. *Isidori Pelusiotæ elegans epistol.*]

(Nam ea ex immaculatis animis constat, hoc autem ex lapidibus & lignis ædificatur) sic ego existimo, eum finem facturum esse, illam evertendi, hoc impensiùs, quam necesse sit, exornandi. Neque enim parietum , sed animarum causa cœlestis Rex hûc venit. Quod si se ignorare fingat, quod dico, etiamsi vel tardissimis quam maximè clarum & perspicuum sit, exemplis hoc declarare conabor. Ut enim aliud est sacrificium, aliud altare, aliud thymiamatis locus, aliud thymiama, aliud forum, aliud senatus, (illud enim locum, in quem coeunt significat, hic autem viros eos , qui consilium ineunt, ad quod & periculum & salus pertinet) eodem modo etiam de templo & Ecclesia statuendum est. Quod si ne sic quidem se intellexisse dicat, illud ex me discat, quod Apostolorum tempore, cum Ecclesia & spiritualibus gratiis abundaret , & vitæ splendore afflueret, nulla templa ἐκκλησιαστήεια erant. At nostra tempestate templa plus quam par sit exornata sunt, Ecclesia autem , ne quid gravius dicam, comicis cavillis incessitur. Ego verò, si mihi optio daretur , temporibus illis fuisse mallem , in quibus templa quidem non perinde ornata erant, Ecclesia autem divinis atque cœlestibus gratiis undique cincta & redimita erat, quam his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus cohonestata sunt , Ecclesia verò spiritualibus illis gratiis nuda & vacua est.

§. 35. *Canon Ap. examinatur.* Objicit Herberus *Canonem 6. Apostol.* ℞. 1. quantæ illi sint autoritatis, vide sis c. 7. §. 22. p. 247. 2. θυσιαστήειον in illo Canone non est altare propriè sic dictum, sed locus ubi fideles comportarunt & collocarunt ea, quæ ad usum publicum & sacrum , itemque pauperum, conferebantur. Sic enim Canon. 3. *Si quis Episcopus aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super* θυσιαστήειον *altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia , aut animalia aliqua , aut legumina, contra constitutionem Dei faciens , congruo tempore deponatur.* Canon. 4. *Offerre non liceat ad altare præter novas spicas & uvas & oleũ ad luminaria & thymiama, id est, incensum tempore* τῆς ἁγίας προσφορᾶς, *quo sancta celebratur oblatio.* Canon. 5. *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ episcopo & presbyteris dirigantur, non offerantur in altari;* ἐπὶ τὸ θυσιαστήειον. *Cõc. Laodic. canon expenditur.* Objicit Herberus Concilium Laodicenũ, sed Canonem nullum nominat. ℞. de tempore celebrationis Concilij hujus variæ sunt opiniones, quas habet & tractat Baronius *Tom. 4. Annal. p. 789. & seqq.* Cæterum non apparet in fontibus

bus Concilij hujus, quod habet antiqua illius translatio, quæ secundo loco collocatur apud Nicolinū edit. Ven. Sæpe enim habet nomen *ministrorum altaris*, ubi simpliciter *sacratorum* nomen reddit Hervetus in sua versione. Ut Can. 5.13.19.27.30.41.42.54.55. Objicit Gratianum & quidē cum hoc elogio: *Et qui Concilio Chalcedonensi interfuit, Gratianus.* Ad marginem scribit; *dist. 16. Grat. ex Concilio Vasensi.* Qui pudendus & immanis error in Jesuita est. Nam, ut ait Possevinus in app. *Gratianus Iuris Pontificij Doctor, & decreti Pontificij, quod prænotatur*, Concordantia discordantium Canonum (*ut vocant*) *Compilator, natione Etruscus, patria Clusinus, Monachus monasterij S. Proculi, sive, ut aliis placet ss. Felicis & Naboris, Bononiæ, ordinis S. Benedicti, congregationis Cluniacensis, opus suum Anno* CↃCLI. *in Monasterio S. Felicis Bononiæ composuit.* At, inquit idē Possevinus, *Chalcedonēsis IV. Generalis Synodus anno Dn.* DXLI. *habita est, ut l. de Rom. Pont. docuit Onufrius, putato rectius tempore, quam fecerant Matth. Palmerius & Gregorius Holoander, qui eam ad annum* CCCCLIV. *referebant, sive quam Marianus Scotus atq; Sigebertus, qui* CCCCLII. *annum ei statuerant; quin & qui loco 20. annorum posuit 30. inter tertiam & quartam Oecumenicos Synodo, Ephesinam & Chalcedonensem.* Objicit Dionysium Areopagitam; sed de hoc alibi. Objicit Ignatij *ep. ad Trallianos.* Martialis Mestræus addit locū *ex ep. Ignatij ad Ephesios.* ℞. Ignatium non intelligere per vocem altaris propriè sic dictum altare, ex contextu epistolæ ad Ephesios patet. Verba sunt: Μηδεὶς πλανάσθω· ἐὰν μή τις ἐντὸς ᾖ τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ θεοῦ; Εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, ὥστε τὸν Χριστὸν ἐν αὐτοῖς ἑστάναι, πόσῳ μᾶλλον ἥ τε τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας προσευχὴ σύμφωνος, ἀνιοῦσα πρὸς θεὸν, πείσει παρασχεθῆναι αὐτοῖς πάντα τὰ ἐν Χριστῷ αἰτήματα. *Nemo erret; nisi quis intra altaris septa sit, privatur pane Dei. Si n. unius, sive alterius precatio tantarum virium est, ut Christum inter illos statuat, quantò plus Episcopi & totius Ecclesiæ oratio consona adscendens ad Deum exorabit, ut omnia, quæ petiverint in Christo, dentur ipsis?* Facile hinc est cognoscere, tale esse θυσιαστήριον, qualis est θυσία: hæc enim duo arctissimè Ignatius conjungit. θυσία autem est precatio, sacrificium omniò impropriè dictum. Quod autem altare illud sit, in quo offertur sacrificium precum, disertè Ignatius indicat, cum Episcopi & Ecclesiæ meminit: & alij vetustissimi Patres firmant. Sic Clemens Alex. Strom. 7. *Est*, inquit ex translat. Gent. Herreti, *igitur illud altare, quod apud nos hic est in terris, cœtus ille eorum, qui precibus consecrati*

Gratianī autoritas proponitur.

Ignatius vindicatur.

ſecrati ſunt, habens quaſi unam vocem communem & unam mentem. Et paulo poſt. *Vetuſtiſſimum quidem altare in Delo caſtum eſſe vulgò jactarunt, ad quod etiam ſolum Pythagoram acceſſiſſe dicunt cæde & morte non pollutum: aram autem verè caſtam eſſe juſtam animam, & preces ſanctas eſſe ſuffitum illius dicentibus nobis non credent?* Origenes contra Celſum l. 8. ex transl. Hoſchelij: *Cum nihil interea videat (Celſus) nobis quidem pro aris & delubris eſſe juſtorum mentem, à qua haud dubiè emittuntur ſuaviſſimi incenſi odores, vota, inquam, & preces ex conſcientia puriore.* Et paulò poſt: *Chriſtiani omnes & quas diximus aras & quæ jam oſtendimus ſimulacra collocare maximè adnituntur, nō tamen inanimata & inſenſibilia quædam, nec dæmonum ſive loca ſive ſimulacra, ut diximus, ſuſceptibilia, quæ prius illi inſederint, ſed Spiritus Dei capacia.* Sed & ipſe Ignatius ſtatim ſubjicit; ὁ οὖν τῶν τοιούτων χωριζόμενος καὶ μὴ συνερχόμενος ἐν βουλῇ θυσιῶν (ita vulgò legitur: ſed malè nec enim reſpondet ſubſequentibus & alluſio manifeſtè eſt ad Pſ. 1. ubi βουλῆς ἀσεβῶν fit mentio: rectius proculdubio; ἐν βουλῇ τῶν ὁσίων) καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων &c. h. e. *qui igitur ab illis ſeparatur & non aſſociatus eſt conſilio ſanctorum & Eccleſiæ primogenitorum* &c. Porrò in ep. ad Trallenſes, quam jactat Herberus, Ignatius declarat, quid ſit extra altare eſſe, ſc. eſſe ſine ſine Epiſcopo, ſine ſanctorum communione, ſive participatione cum Chriſto: ita enim Ignatius: ὁ δὲ ἐκτὸς ὢν τοῦ θυσιαστηρίου οὗτός ἐστιν ὁ χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τῶν διακόνων τι πράσσων *qui extra altare eſt, eſt ille, qui ſine Epiſcopo & Presbyteris & Diaconis aliquid facit.* Inſuper in Ep. ad Eph. ait Ignatius, *qui extra altare eſt, caret pane Dei.* In ep. ad Trallianos; *qui eſt extra altare, ille pollutus eſt conſcientia & eſt infideli deterior.* Ubi manifeſtè altare non τοπικὸν ſed πνευματικὸν intelligitur. Extra illud enim veteris Eccleſiæ inſtituto omnes Laici eſſe cogebantur, neque tamen polluti aut infideli deteriores habebantur. Hæc erat communio laica, quæ in pœnam gravis alicujus delicti olim dabatur clericis; ablata eis communione Clericali. De qua vide Bellarminum *de Euch. IV, 24. §. Quintus ritus.* Ubi malè refellit D. Chemnitium, communionem laicam nolentem definire ablatione unius ſpeciei, ſed participatione ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου extra altare, inter Laicos, extra cancellos ſacerdotum. Verba ſunt: *Felix Papa III. ep. 1. c. 2. jubet ob delicta quædam Clericis non dari niſi in morte communionem Laicam. Et Concil. Sardicenſe cap. 2. ne in morte quidem Laicam communionem dari permittit ob crimina quædam graviora. In morte autem cum detur communio ſoli ægroto,*

Quid antiquis Laica communio?

idq;

idq; in privato cubiculo, nulla distinctio notari potest loci aut temporis inter Clericos aut Laicos. Laica igitur communio dicitur ea, quæ Laicis permittebatur tangenda & etiam deferenda, si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus. Ex calice autem bibebant & qui volebant, in Ecclesia; sed non licebat Laicis calicem tangere, nedum secum deferre. Vide Cyrillum Hierosolym. catech. Mystagog. 5. Sed nihil efficit Bellarminus. Quandoquidem enim Clerici ob delicta aliqua notati quasi in Laicum statum aliquandiu collocabantur, tum in publica communione extra consortium cæterarum Ecclesiasticarum personarum censebantur & inter Laicos post Clericos admittebantur, tum in privata communione, si ægrotabant, velut Laici habebantur. Certè quod Laicis permittebatur tangendus olim panis Eucharisticus, non constituit Laicā communionem. Licebat enim & hoc Clericis. Non fuisse autem etiam alteram speciem, vinum sc. ad ægrotos deportatam, cur dixit Bellarminus? Ubi habet hujus rei testimonium? Habet autem Bellarminus sibi adversarios de domo sua. Pamelius ad ep. 52. Cypr. *Laicum communicare nihil aliud est, quam inter Laicos communicare. Orabant autem & communicabant illi extra cancellos per ministerium Archidiaconi, h. e. extra chorum, ut hodie loquimur.* Joh. Steph. Durantus de Ritib. Eccl. II, 55. p. 548. *Laicam communionem appellatam eam, quæ sub specie una fit, nonnulli crediderunt. Ad nedum Laici, sed & Clerici, imo Sacerdotes ipsi non conficientes, communicant tantum sub una specie. Quare verius est, Laicam communionem dictam, quæ extra sacratiorem locum sacrificij, ubi tum sacerdos conficiens, tum Ministri communicabant.* Joh. Lorinus Act. 2. *Revera distinctio non in specie utraq; & una esse videtur, quoniam utraq; species concedebatur: sed in distincto loco ac separato pro clericis & pro Laicis, ut hi communicarent extra chorum, in choro alij clerici præter Sacerdotem & Diaconum, hi ante altare.* Albaspinus Aurelianensis Episc. observat. lib. 4. & ex eo Lud. de la Cerda cap. 145. n. 10. paulò aliter: *Quibus,* inquit, *perspecta erit Ecclesiæ veteris disciplina, agnoscent mecū, Laicam communionem sine Eucharistiæ perceptione potuisse esse, & inde colligatur, neq; in loco, neq; in tempore, neq; sub utraq; specie positam fuisse. Quæ cum ita se habeant, maximi momenti esse poterunt, qui in veteri Ecclesiæ politia non instrenuè versati sunt & quorum oculos spirans nativis coloribus imago nascentis religionis oberrat. Si quis presbyter, postquam gradu excidisset & censuris perculsus diem functus fuisset, is post mortem citra ullam controversiam in communionem fidelium re-*

Oo *stitui*

stitui poterat, ut videre est in 12. Can. 2. *Conc. Arelatensis, etiamsi in cursu pœnitentiæ & ante absolutionem abiisset, neq; temere quicquam in contrarium objiceretur. Præcepit enim Nicena Synodus, & sigillatim subsequentia* Concilia *voluerunt, ut nemo vacuus communione discedat, quamvis sine absolutione mortuus fuerit. Cum igitur presbyter in perpetuum gradu pulsus & in cursu pœnitentiæ mortuus, possit post mortem communioni restitui, nemo dixerit, communionem illam de Eucharistia intelligi debere magis, quam de communione Sacerdotali. Nam ad pristinum gradum aditus ei, qui in perpetuum esset excommunicatus, omninò interclusus erat, ad salutē etiam animæ post mortē restitutio hujusmodi in honorem gradus erat supervacanea, & ob eam causam communio, cui reddi poterat presbyter post mortem, nihil aliud esse potest, quam communio laica, id est, societas cum Laicis, ac si diceres, hunc presbyterum communioni Laicorum ita reddi, ut suffragiis fidelium possit adjuvari, non ut presbyter, sed ut Laicus.* Hæc Albaspinus. Et profectò si omnia autorum loca, quibus de communione Laica aliquid habetur, percurremus, vix inveniemus, ubi ad Eucharistiam nominatim illa adstringatur. Syricius epist. 1. cap. 11. Innocētius I. ep. 22. c. 2. Canon Apost. 15. Basilius ad Amphil. ad can. 32. Concilij Eliberini Canon 76. Sardicensis Canon I. 2. Carthaginensis V. can. 13. Agathēsis c. 50. Toletani I. can. 4. Aurelianensis III. can. 2. generatim de omni communione Ecclesiastica intelligi possunt. Propius ad Eucharistiam intendere videri possit Cyprian. ep. 52. cum ait, *Sic admissus est Trophimus, ut Laicus communicet.* Et ep. 67. *Basilides Episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens, ad agendam pœnitentiam conversus est, Deum deprecans & satis sibi gratulans, si sibi vel Laico communicare contingeret.* Et ep. 73. de personis Ecclesiasticis Apostatis aut hæreticis reversis ait, eos *quoq; hæc conditione suscipi, cum revertuntur, ut communicent Laici & satis habeant, quod admittantur ad pacem.* Itaque admissio eorum, ut Laicorum, etiam ad S. Eucharistiam, hic intelligi poterit. Sed hæc aliàs. Revertamur ad eos, qui dicuntur ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου esse. Coguntur inquam extra materiale altare juxta consuetudinem Ecclesiasticam esse mulieres nominatim. Concil. Laodic. can. 44. ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι, *non decet feminas intra altare ingredi.* Concilium VI. in Trullo can. 69. μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου, μηδαμῶς ἐπὶ τούτῳ τῆς βασιλικῆς εἰργομένης ἐξουσίας καὶ αὐθεντίας, ἡνίκαν βουληθείη προσάξαι δῶρα τῷ πλάσαντι κατά τινα ἀρχαιοτάτην παράδοσιν. *Ne liceat ulli eorum omnium, qui in Laicorum numero sunt, ingredi intra sanctam altare,*

nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & autoritate imperiali, quandoquidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquissima traditione. Itaque Ignatius de spirituali intelligendus est. Extra hoc qui est, ad veram salutaremque panis vitæ perceptionem non attingit. Reliqua Herberi objecta ad scopum non faciunt.

Altaria in templis posita LIGNEA *primum fuisse* & Baronius *concedit, & docent* Athanasius, Optatus Milevitanus, Augustinus. *At mutarunt ea tandem in lapidea. Rationem reddit perridiculam* Ferdinandus Ponzetus *Cardinal. lib. 4. de sacram. tract. 1. c. 4. Ait enim,* ideò hodiè lapidea, non lignea altaria haberi, quia Christus dixit, SVPER HANC PETRAM. *Addit tres alias* Fumus *ille* Villalaurétinus *in Aurea Armilla, p. 51. n. 15.* Altare, *inquit,* lapideum esse debet, tum quia Christum significat, tum quia Christi corpus in sepulcro lapideo fuit conditum, tum quia de facili hæc materia ubique potest inveniri. *Hæc autoribus suis relinquimus & concludimus, nec mensas, ex Corinth. nec altare, ex Hebr. Epist. aliquid missæ sacrificio stabilimenti largiri.* §. 36. *Ferdinãdus Ponzetus de lapideis altaribus.*

Sub finem assertionis 8. §. 27. Herberus B. Lutherum carpit, quod *magnam viam complanaverit Calvino & asseclis ejus ad altarium demolitionem falsis suis & depravatis versionibus, quibus divini numinis invocationem ad altare per preces & sacrificia fieri solitam, novo exemplo vernaculè pro verbi prædicatione suis in bibliis pervertit,* Gen. 4, 25. c. 12, 8. c. 13, 4. Resp. B. Lutherus vim vocis perpendit & circumstantias actus insinuati. קרא prædicare, proclamare, propalare multoties notat & redditur per κηρύσσω Gen. 41, 43. Ex. 32, 5. 4. Reg. 10, 20. 2. Par. 20, 3. Esth. 6, 9. 12. Prov. 1, 21. c. 8, 1. Es. 61, 1. Dan. 5, 31. Joel. 1, 14. c. 2, 15. c. 3, 9. Jon. 1, 2. c. 3, 2. Circumstantiæ actus solennitatem aliquam indicant, qualis est post sacrificia ex præscripto divino apparata, disserere coram cœtu de mysteriis sub istis typis latentibus. Benè ergò Pererius h. l. *propterea Enos dici invocasse nomen Domini, quia super omnes priores pius & religiosus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem & religionem adversus Deum, sed eã quoq;* prædicando, divulgando, aliosq; homines docendo. *Vel quia cœpit congregare populum ad tractandum simul Dei cultum, q. Ecclesiam fidelium inchoans & adunans,* Isidorus Clarius ad loc. Gen. 4. *significat Enos temporibus instauratũ fuisse cultũ Dei.* Eman. Saa: *Invocare, i. e. palã colere.* Mariana in schol. *tunc cœptus est populariter coli Deus, aut palã & excellẽtius, quã antea cõsueverant.* Phrasis expressa est Luc. 24, 47. ubi etiã quæ Leonhardus Marius h. l. garrit, eliduntur. §. 37.

CAPUT IX.

SUPPOSITITIA QVÆDAM IN HAC CONTROversia Patrum ſcripta excutiuntur, purioris antiquitatis mens introſpicitur.

ASSERTIO. *Cum ſacræ literæ ſacrificium Miſſæ ignorent penitùs, idem etiam à puriori antiquitate ignorari, certũ eſt: quicquid tandem vel deceptæ novitatis vel ſuppoſititiæ antiquitatis habeat conſenſus.*

§. 1. EXEGESIS. *Quando Herberus ſentit, ſe ex Inſtrumento tàm Veteri quàm Novo neceſſarij atq; ſolidi argumenti ne umbram quidem proferre potuiſſe, cum ex ipſis Pontificiis etiam nos diverſam & ab Herberi ſcopo alienam explanationem oſtenderimus, ad Patres confugit. At verò nos ad ſcripturam revocamus Patres, non ſcripturam ad Patres. Itaq; hîc breviſſimis indicabimus, 1. ipſos Patres nec poſſe, nec velle normam ſufficientem ſuis ſcriptis ad dijudicandas controverſias ſacras ſuppeditare. 2. Nec ipſos Pontificios ſtare autoritate Patrum: 3. Ipſos Patres contradicere ſacrificio Miſſæ. 4. Quæ allegantur, ex Patribus ſincerioris & purioris ævi, non eſſe oppoſita nobis. 5. Pontificios miſcere ſuppoſititios autores.*

§. 2. *Patres nolle eſſe judices cõtroverſiarum ſacrarum.*

Primò igitur Patres nec poſſe, nec velle normam ſufficientem ſuis ſcriptis ad dijudicandas controverſias ſacras ſuppeditare, *docet* I. Contradictionum nequaquam conciliabilium frequẽtia. *vide* Auguſtinum *lib. 2. de Geneſi contra Manich. c. 20. l. de vera & falsâ pœnit. c. 18. lib. 21. de C. D. c. 23. lib. 5 contra Pelag. in Enchir. c. 67. 68. 69. lib. 21. C. D. c. 26.* Cyprianum *lib. 2. Epiſt. 2. & lib. 3. Epiſt. 25. lib. 3. Epiſt. 3.* Irenæum, *lib. 4. c. 71. 72. 76. c. 9.* Hieronymum *in Epiſt. ad Iulian. & lib. 1. adverſus Iovinianum.* II. In explicandis ſacris literis diſſonantia. *vide* Origenem *Homil. 5. in Exod.* Epiphanium *in Ancorato,* Cyrillum Alexandr. *lib. 2. in Iohan. c. 2.* Tertullianum *de præſcr.* Cyprianum *Epiſt. ad Quint. teſte* Bellarmino *Controv. 3. lib. 1. c. 10. rurſum* Origenem *Tom. 2. oper. in Matth. c. 16.* Hilarium *lib. 2. de Trinitate p. 74.* Chryſoſtomum *Tom. 2. in Matth. hom. 55. Tom. 3. ſerm. de Pentecoſte.* Cyrillum Alexandr. *Tom. 2. lib. 4. de Trinitat.*

§. 3. Ambroſium *Tom. 9. tract. 124. in Iohan. Tom. 10. ſerm. 13. de V. D.* † III. Patrum in articulis fidei pugna. *Vel unicus de imagine Dei articulus teſtis eſſe poteſt. Qui Originis partes tutati ſunt, illi imaginem primævam in homine de humanitate Chriſti interpretati fuerunt.* Auguſtinus

stinus *de Genes. addit. c. 16.* De ipso filio Dei explicaverunt *eam* Tertullianus *libro de resurrect. carnis Christ, & adversus Praxeam.* Athanasius *serm. 4. contra Arianos.* Ambrosius *lib. 6. hexaemer. c. 7.* Cyrillus *lib. 1. contra Iulian.* De anima tanquam unico subjecto *illam acceperunt* Basilius *hom. 10. hexaemer.* Ambrosius *lib. 6. hexaemer. c. 8.* Augustinus *lib. 12 de Trinitat. c. 7. in Ps. 87. homil. 7. de Ecclesiast. dogmat. c. 88.* Nazianzenus *orat. de Theolog.* De principatu & dominio in universitatem rerum *exposuerunt* Chrysostomus *in Genes. hom. 9. ad popul. hom. 7.* Basilius *in Genesin homil. 10.* Nyssenus *homil. de creat. homin.* Beda *expos. in Genes.* De libertate arbitrij, consilij & beneplaciti *explicavit* Bernhardus *tract. de grat. & lib. arbit.* De spiritualitate, rationalitate & immortalitate animæ *exposuerunt* Cyrillus *lib. 9. in Iohan. c. 47.* Damascenus *lib. 2. de O. F. c. 12.* Tertullianus *lib. 2. contra Marcion.* Ambrosius *lib. 6. hexaemer. c. 8.* Eandem in homine imaginem lapsu obscuratam, *non abolitam fuisse, sentit* Origenes *in 26. Genes. hom. 14.* Integram autem permansisse *affirmavit* Epiphanius *hæres. 64. & in Epist. ad Ioh. Hierosol.* Omninò tandem destructam *& interemtam fuisse, opinati sunt* Nyssenus *lib. de vit. Mar.* Damascenus *lib 4. de Orth. F. c. 4.* † IV. Patrum sibi infallibilem autoritatem derogantium sanctitas. Athanasius *Tom. 1. de Incarnat. Verbi Dei p. 81. edit. Comelin.* Augustinus *prolog. lib. 3. de Trinit. citatur in I. Can. d. c. 9. Noli. 3. ad Hieronym. Ep. 19. citatur in I. Can. cap. Ego solis. 3. dist. 9. de Vnitate Eccles. c. 3. Tom. 7. lib. 2. contra* Crescentium *Grammat.* [illegible] *1. de bono perseverant. lib. 2. c. 21. de baptismo contra Donat. lib. 2. c. 3.* † V. Patrum de scriptura ex scripturâ interpretanda assertio. Clemens I. *Rom. Episc. in I. Canon. dist. 37. C. Relatum.* Irenæus *lib. 2. adversus hæres. c. 47. & lib. 3. c. 12. & lib. 4. c. 65.* Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromat. p. 322. edit. Commel.* Chrysostom. *Homil. 13. in Gen. & Homil. 3. de Lazaro.* Basilius Magnus *Quæst. Ascet. Epit. Reg. 37.* Athanasius *in Paßionem Dom. p. 782.* Ambrosius *T. 2. l. 1. de vocat. Gent. c. 3. & l. 1. de Fide ad Gratian. August. c. 7.* Augustinus *Tom. 2. Ep. 48. ad Vincent. & Tom. 3. l. 2. de doctr. Christian. c. 9. & 28. Tom. 7. de unit. Eccl. c. 5. & 16. Tom. 10. serm. 40. & de V. D.* Carolus M. & Ludov. Pius *Impp. & Reg. l. 1. Capitul. Eccl. c. 82.* Origenes *in c. 13. Matth. idem in Matth. hom. 25.* Hieronymus *l. 1. advers. Pelag. T. 2. p. 268. & p. 272. ed. Bas.* Hilarius *l. 1. de Trinitate p. 9. edit. Bas. l. 4. p. 48. l. 9. p. 152. & in enarrat. Psalmi 125.* † VI. Patrum de scripturæ illustri claritate testimonium. August. *lib. 2. doctr. Christ. c. 6. T. 2. Epist. 3. ad Volusianum.* Irenæus *l. 2. adversus hæres.*

§. 4.

§. 5. Cõf. part. 2. Theol. Zach. sect. 1. disp. 1. proœm.

§. 6.

reſ.c.46.Athanaſius T.1.de Incarnat. verbi p.81. Hieronymus in Pſ.
86.& l.4.in Matth.c.23.Clemens Alex.lib.2.Stromat. p.65. Conſtā-
tinus M.Imperator in Concil. Niceno I. referente Theodoreto Cy-
renſi Epiſcopo l.1.hiſt.Eccl.c.7.Chryſoſtomus in 2. ad Theſſal. hom.
3.& hom.3.de Lazaro.& hom.36.in Corinth. p.655. Epiphanius hæ-
§. 7. reſi 76.p.391. Hilarius de patris & filij unitate, p.758. † VII. Patrū
de deciſione controverſiarum ex ſacris haurienda conſenſio.Baſi-
lius Magnus, Epiſt.80.ad Euſtathium Medic. Auguſtinus T. 2. Epiſt.
166.Tom.3.lib.3.de doctr.Chriſt.c.28.T.7. lib.2. contra Creſcon.Gram-
mat.c.31.lib.de unit.Eccleſ.c.3.& 5.& Tom.9. tract. 2. in Epiſt. Ioan.
Athanaſius Tom.1.Epiſt.de fide ad Gratianum Auguſt. Imp. p.298. &
in Epiſt.ad Epictetum Epiſc.Corinth. Chryſoſtomus operis imperfecti
in Matth.hom.49.Hilarius lib.1.de Trinit. p.8. Cyprianus Epiſt.74.
§. 8. ad Pompeium contra Epiſtolam Stephani Epiſc. Romani. † VIII. Pa-
trum de ſufficientia ſacrarum literarum luculenta confeſſio.Dio-
nyſ.Areopagit.de divin.nomin.c.1. Juſtinus Martyr. in Parenæſi ad
Græcos p.29.edit.Sylburg.& in Dialogo cum Triphone Iudæo pag.215.&
p.239.& p.243.& in expoſit.fidei de recta Confeſſ. p.294.Irenæus lib.
3.adverſus hæreſ. c.1. Athenagoras Philoſophus Chriſtianus in Legat.
pro Chriſtian.p.89.edit.Steph.Origenes in Ierem.hom.1.Clemens A-
lexand.l.6.Stromat.p.283.Tertullianus de præſcript.adverſus hæret.
c.6.& c.8.& c.15.& lib.de carne Chr. c.7.lib.de reſurr.carn. c. 3. Cy-
prianus epiſt. 74.ſect. 2. ad Pompejum. Athanaſius in Epiſt. ad Sera-
pion.Epiſc.Tom.1.p.359.& de Incarn.Chriſti contra Apollinar. p. 481.
Baſilius Magnus Moralium ſumm.regul.26.c.1.p.409. & ſumma 80.
c.22.& in Orat.de fide p.394. Ambroſius Tom.2. lib.2. de Vocat.Gent.
c.3.Auguſtinus Tom.7. lib. 3. contra literas Petiliani Donatiſtæ c.6.
lib.de Vnit.Eccl. c.6.& 11. & 12. & 16. Chryſoſtomus in c.1.Epiſt.ad
Galat.Hilarius libro de Conſtant. Auguſt. p. 239. Hieronymus lib.4.
§. 9. in Matth.c.24.& in Mich.lib.1.& in Pſ.98. † IX. Patrum ad nor-
mam divinarum ſcripturarum crebra provocatio. Baſilius Ma-
gnus Epiſt.80.ad Euſtathium p.714.Ambroſius lib.1. de fide ad Gra-
tianum Auguſt.c.3.& 4.Auguſtinus Tom.5.l.11.de C. D. c.4. Tom.7.l.
de Vnitate Eccleſiæ c.3.& 4.l.2.contra Creſcon. c.31. l.2.de nuptiis. &
concupiſc.ad Valerium Com.c.33. T.8.enarrat. Pſ. 57. & 69.Optatus
Milevit.lib.5.Hieronymus in Pſ.86.Ignatius in Epiſt. ad Philadelph.
Juſtinus Martyr in dialog.cum Tryphone Iudæo p.255.Irenæus libr.4.
adverſ.hæreſ.c.14.Cyprianus lib.2. Epiſt.3.ad Cæcil.Tertullianus lib.
§. 10. de præſcript.adv.hæreſ.c.8. † X. Libera Patrum à Patribus obven-
tu ſa-

tu ſacrarum literarum ſeceſſio. Auguſtinus *Tom 7. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt. c. 2. Tom. 2. Epiſt. 48. ad Vincentium contra Donatiſtas & Rogatianos, & Epiſtol. 111. ad Fortunatianum, Tom. 7. lib. 4. de anima & ejus origine c. 1. ad Vincentium. l. 2. contra Creſcon. Grammat. c. 31. & 32. Tom. 2. Epiſt. 112. ad Paulinam religioſam. Tom. 6. l. 11. contra Fauſt. Manich. c. 5. & l. 3. contra Maximin. Arianorum Epiſc. c. 14.* Hieronymus *in Pſ. 86.* Athanaſius *in Epiſt. de Synodo Ariminienſi.* Juſtinus *in dialogo cum Triphone Iudæo p. 207.* Bernhardus *Epiſt. 91. ad Abbates Sueßione congregatos.*

Deinde nec ipſos Pontificios ſtare autoritate PATRUM, *ex eo manifeſtum eſt.* I. *quia* fatentur Patres ſibi aliquoties contradicere: Melchior Canus Hiſpanus, Epiſcopus Canarienſis *lib. 7. Loc. Comm. Theol. c. 3. n. 4.* Alfonſus Caſtrius *lib. 1. adverſ. hæreſ. c. 4.* Sixtus Senenſis *l. 6. Biblioth. Sanct. annot. 252. & annotat. 274. & 275. & alibi.* II. *quia* affirmant, Multorum Patrum ſententiam non præjudicare uni, veriorem è ſacris literis afferenti. *Cardinal.* Cajetanus *ſenex jam & ſe, ut ait, holocauſti inſtar accenſurus ardore verbi divini, præfat. in Geneſ. Edit. Rom.* Arias Montanus, *in Annot. ad Gal. c. 1 ṽ. 8.* Gerſon Cancellarius Pariſinus, 1. *part. de exam. doctrin. conſid. 5.* Salmeron Jeſuita *Tom. 1. Comment. ad N. T. proleg. 9. p. 132.* Johann. Franc. Picus Mirandulæ Comes *theorem. 4.* † III. *Quia* teſtantur, in graviſſimos errores Patres interdum unà plurimos prolapſos eſſe. Sixtus Senenſis *Bibl. Sanct. lib. 5. annot. 142. p. 56. & lib. 6. annot. 343. p. 259.* Bellarminus Cardinalis *lib. 3. de Verbo D. c. 10. §. 16. & lib. 3. de Laicis c. 20. §. 19.* Pererius *in Epiſt. ad Rom. c. 8. diſp. 22. & 23.* Franciſcus Bennius *de auxiliis div. grat. c. 26.* Johann. Duræus *lib. 6. defenſ.* Edmundi Campiani *contra Witack. p. 145. 146.* Johan. Maldonatus *in c. 5. Ioh. ṽ. 53.* Canus *lib. 6. Loc. Comm. c. 1.* Thomas Mortonus *lib. 2. Apolog. Cath. c. 14.* † IV. *quia* aſſeverant, Patrum ſententiam non neceſſariò ſequendam. Bellarminus *lib. 3. de Verbo Dei, c. 10.* Joan. de la Haye *in admonit. ad triumph. Evang. veritat. §. 28.* Didacus Stella *in Comment. c. 10. Luc. p. 15. Tom. 2. edit. Antverpianæ.* † V. *quia* aſſerunt, Patres Concionatoriis hyperbolis, ſtylo & ornatu Poetico, exceſſu diſputatorio, extra controverſiæ ſeveritatem ſecura diſſertatione, rumoris inanis ſuaſu, exercitatorio more ſcripſiſſe. Sixtus Senenſis *lib. 6. annot. 152. & annotat. 259. p. 224. & annot. 58. p. 135. lib. 5. annot. 139. p. 55.* Bellarmin. *Cardin. lib. 4. de pœnit. c. 10. §. ult. p. 174. Bellar. lib. 2. de Miſſa. c. 10. l. 1. de Chriſt. c. 6. lib. 2. de purgat. c. 18. lib. 4. de Roman. Pontif. c. 14 l. 4. de Euchar. c. 26.*

§. 11. Pōtificios non ſtare perpetuò autoritate Patrē.

§. 12.

§. 13.

§. 14.

§.1.*lib.2. de Eucharist. cap.37.*§.6. *lib.2.de grat.& lib.arb.c.14.* §.18. Mussus Bitontinus Episcopus *in Comm.ad c.5.Epist. ad Rom. p.470. edit.Ven.* Thomas Hardingus *artic.12.contra* Ivellum Episcop. Sarisburg.*sect.10.p.85.* Josephus Acosta *lib.2.de Christo revelato, c.20.* Joann.Maldonatus *in Ioh.c.6.* Toletus *ib.annot.20.* Canus *lib.11.Locor.Theolog.c.6.* Sebastianus Barradius Ulissipon. *Iesuit. lib. 8. Com-*
§. 15. *ment.in* Concord. *Evang.Tom.1. c.6.n.2. pag. 326.* † VI. *Quia* conqueruntur, Patres Hebraicas plerumque ignorasse literas. Andreas Masius *Antverpianus in præfatione ad doctissimos in IOSVAM Comment.ad* Philippum *Hispaniarum Regem.* VII. *Quia* deplorant, Patrum monumenta sæpiusculè supposita & corrupta esse. Sixtus Senensis *in præfat.lib. 5.Bibliothecæ Sanct.* Jacobus Billius Prunæus *Abbas doctissimus in Metaphras. Gregorio Nazianzeno tributa p. 535.*
§. 16. *edit.Antverp.* † VIII. *Quia* scribunt, Patribus ignoscendum, quia scripserunt plerique pugnantia, antequam certi quid determinaret Ecclesia. *Sixtus* Senensis *lib. 6. Bibliothecæ. Sanctæ annotat.345. p.258.cum præsertim illi primi nunquam ante tentatum iter ingressi sint.* Senensis *in præfatione lib.5.Biblioth. Sanct.* IX. *Quia* largiuntur, quædam in margine SS. Patrum notata, librariorum vel inertiâ vel incuriâ in textum ipsum irrepsisse. Erasmus *Roterodamus prolixè hâc de re conqueritur in præfatione ad Archiepiscop.Toletan.in Tom.1. Oper. Augustini. & refert de* seditiosulo Monacho *Sixtus* Senensis *lib.6.Biblioth.annotat.279.p.234. & annot.277.p.233. & an-*
§. 17. *not.65.p.138.* † X. *Quia* Patrum expositiones non rarò repudiant. *De* Augustino Chisamensi Episcopo *meminit* Sixtus Senens. *lib.5.Bibl.annot.130.p.50.51.*& Baronius *Cardinalis Tom. 1. Annal. ad Ann.Christi 34.*§.213.*p.228.* XI. *Ajunt*, non tam anxios fuisse in ponderandis verbis, ut ex illis solidum argumentum construi possit. *Ioan.* Busæus *Iesuit.in disputat.Moguntin.de person.Christi, contra Gerlach.thesi 77.* XII. *Quia* statuunt, Patres non esse regulas, nec habere autoritatem obligandi. Bellarminus *Cardin. lib. 2. de Concil. c.12.*§.12. Salmeronius *Tom.13. tract. 51. ducentorum aut trecentorum, irrefragabilium Patrum autoritati etiam non cedit.* Extat vetustus tractatus *de conceptione B.Virginis*, editus à fratre *Petro Aureolo*, ordinis Minorum, quem, ut finalia verba habent, scripsit & compilavit F. *Petrus de Verberya* An.1338. in quo ista extant: *Primo quidem esto, quod dicta sanctorum confirmata sint per concilia, nihilominus omnia dicta sanctorum non sunt tenenda, pro fide aut prædicatione Ecclesiæ orthodoxæ, tum quia contradictoria oporteret tenere pro fide, cum*

Auguſtinus dicat, quod Petrus erat verè reprehenſibilis, obſervando legalia, & Paulus ipſum juſtè & rationabiliter reprehendit ad Gal. 2. Hieronymus verò dicit, Petrum non fuiſſe reprehenſibilem, ſed Paulum peccaſſe, & præſumtuosè egiſſe, principem Apoſtolorum reprehendendo. Hieronymus etiam dicit, quod per matrimonia contracta ante baptiſmum, non contrahatur bigamia, & Auguſtinus determinavit totum oppoſitum, ut patet diſt. 26. c. 1. &c. Acutius. Et in pluribus alijs S. Doctores adinvicem contradicunt. Tum etiam, quod multa abſurda Eccleſia confirmaſſet, quæ hodie non docent Doctores, ut quod Angeli non ſunt corporei, & animalia aerea, prout frequenter dicit Auguſtinus. Tum quia IX. diſt. in decretis per totum probatur, autoritatibus multis, quod dicta ſanctorū poſſint impugnari & improbari, ſi veritas videatur aliter ſe habere. Et evidenter hoc determinavit Auguſtinus, in cap. Ego. D. 9. quod utiq; non eſſet verum, ſi omnia dicta ſanctorum eſſent determinationes Eccleſiæ & prædicationes fidei orthodoxæ. Ad hoc ergo in ſacris conciliis dicta ſanctorum per Eccleſiam ſunt recepta, ut ad differentiam Apocryphorum & hæreticorum librorum ſecurè legantur. Equidem Pontificiis frequens in ore eſt dictum Auguſtini, *Evangelio non crederem* &c. Sed de hoc extat noſtra peculiaris diſſertatio, An. 1628. edita. Addimus nunc elegans teſtimonium ex fortalitio fidei (cujus vetuſtiſſima extat editio, & meminit Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro, his verbis: *Fortalitium fidei, ſic prænotatus liber, quo agitur de armandis fidelibus, ac de ſex armorum ſpiritualium generibus, quin & quibus armis muniendi ſint veri concionatores, ubi plura de bello contra hæreticos, Saracenos, Iudæos, & eorum ac dæmonum adverſus nos.*) *lib. 2. conſid. 7.* ubi de loco dicto ita diſſerit: Autoritas Auguſtini, quæ adducitur ut nonnulli dicunt frequenter à multis, contra intellectum B. Auguſtini peſſimè allegatur. Ad cujus intellectum dicunt eſſe ſciendum, quod nomen Eccleſiæ æquivocè in locis variis ſcripturarum accipitur: Aliquando pro loco corporali divinis officiis deputato. Aliquando pro aliquo ſpeciali collegio Clericorum. Aliquando pro toto collegio omnium clericorum. Aliquando pro aliqua multitudine ſpeciali cleri & populi. Aliquando pro tota multitudine & congregatione cum fidelium ſimul in hac vita mortali degentium. Aliquando verò nomen Eccleſiæ non ſolum totam congregationem viventium, ſed etiam fideles mortuos comprehendit, & iſto ultimo modo accipit Eccleſiam B. Auguſtinus in lib. contra Manichæos & recitatur diſt. 11. cap. Palam. qui ait; Palam eſt, quod in re dubia ad fidem valeat

Catholicæ Ecclesiæ autoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedẽtium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur, ubi Ecclesia Catholica Episcopos & populos à tempore Apostolorum, usque ad ordines sibimet succedentes, importat, & sic accipit nomen Ecclesiæ Augustinus, cum asserit, quod non crederet Evangelio, nisi eum autoritas Ecclesiæ compelleret. Ita enim Ecclesia scriptores Evangelij & omnes populos comprehendit, sicut probatum est. Quare ex autoritate Augustini sanè intellecta inferri non potest, quod magis sit credendum summo Pontifici Canonũ Conditori, quam Evangelio, & per consequens, per eam probari non potest, quod major fides sit exhibenda sacris Canonibus, quã Evangelio Christi. Concednnt tamen, quod magis credendum est Ecclesiæ, quæ est multitudo Catholicorum omnium, qui fuerunt à tempore Prophetarum & Apostolorum usque modo, quam Evangelio, non quia de Evangelio sit aliqualiter dubitandum, sed quia totum est majus sua parte. Ecclesia igitur, quæ majoris autoritatis est, quam Evangelista, est illa Ecclesia, cujus autor Evangelij pars esse dignoscitur. Non est autem mirum, si major est autoritas totius, quã partis. Ideò major est autoritas totius cõgregationis cõprehendentis Evangelistas & omnes alios orthodoxos, usque ad hæc tempora, quam unins vel etiam plurium personarum congregationis ejusdem. Quod autem conditor Canonum non sit majoris autoritatis quam Evangelium, sed multò minoris, ipsimet Canonum conditores testantur apertè. Urbanus enim Papa, ut habetur 21. q. 1. cap. sunt quædam, ait: sciendum verò summopere est, quod inde novas leges potest condere Pontifex supple Rom. ubi Evangelistæ nequaquam aliquid dixerint, ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apostoli, vel eorum sequaces S. Patres sententialiter aliquid diffinierunt, ibi Romani Pontifices non novam legem dare possunt, sed potius, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debent. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, quod absit, destituere niterentur, non sententiã dare, sed magis errare convincerentur. Ex his igitur, colligitur evidenter, quod conditor Canonum minoris est autoritatis, quam Evangelium sacrosanctum, contra quod novam legem nequaquam condere potest, sed Evangelium defendere usque ad animã & sanguinem obligatur; contra quod, si novam legem dare præsumerer, esse de errore per Catholicos convincendus. His Fabianus

Papa concordat, qui, ut habetur 24. q. c. 3. ait: qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Evangelium, nec contra Apostolos, nec contra Prophetas, nec sanctorum Patrum instituta agere aliquid ullo modo consentit. Ex quibus verbis patenter habetur, quod conditor Canonum, si omnipotentem metuit, nihil contra Evangelium componere præsumit statuere &c.

TERTIO, Ipsos S. Patres contradicere sacrificio illi Missatico, quod introduxerunt Pontificij elucescit, quando *1. Docent*, In N. Testamenti decursu opponi sacrificia precum à Christianis offerenda, sacrificiis externis, à Judæis oblatis. *Athenagoras* in Apolog. pro Christian. p. 11. *Eusebius Pamphilus* de demonstr. Evangel. *lib.* 1. *c.* 6. *&* 10. *& lib.* 4. de Vita Constantini *cap.* 45. *& lib.* 1. *c.* 41. *Oecumenius* ad Hebr. c. 13. *Clemens Alexandrinus* lib. 7. Stromat. p. 805. *Iustinus Philosophus & Martyr* Apolog. 2. p. 46. *Tertullianus* adversus Marcion. hæret. lib. 4. c. 9. & lib. advers. Judæ. c. 5. *iterum* lib. 4. advers. Marcion. c. 35. lib. ad Scapul. c. 2. Apologetic. advers. gent. c. 30. *Cyprianus Carthagin. Episcop. & Martyr* ad Quirin. adv. Judæ. lib. 1. c. 16. *Origenes* lib. 8. contra Cels. *Lactantius* lib. 6. divin. Instit. c. 24. *Nazianzenus* in Orat. advers. Maxim. *Cyrillus Alexandrin.* contra Julian. lib. 9. in Levit. Comm. lib. 9. † 2. *Docent* Novi Test. incruenta sacrificia esse orationis devotæ suspiria & prædicationem verbi. *Athenagoras* loc. cit. *Eusebius Cæsariensis Episcop.* loc. cit. *Clemens Romanus* l. 2. Constit. Apost. c. 29. *Origenes Adamantius* in Josuam homil. 2. & Comment. in Ep. ad Roman. lib. 15. c. 10. *Chrysostomus* Tom. 3. serm. in Pentecost. de S. Sp. & Comment. in Epist. ad Rom. serm. 20. & 29. *Ambrosius Mediolan. Episcop.* Comm. in Ep. ad Hebr. c. 8. & 10. & lib. de Instit. Virgin. c 2. *Hieronymus Comment.* in Isai. c. 1. Comment. in Psal. 26. 49. 50. *Augustinus* lib. adv. Judæ. c. 6. † 3. *Vocant*, ea, quæ offeruntur à Christianis, multitudinis numero, hostias & victimas. *Clemens Romanus* lib. 2. Constitut. Ap. c. 29. *Augustinus* lib. 10. de Civitat. Dei, c. 4. & alij. † 4. *Vocant* ea, quæ offeruntur Deo in sacra cœna panem & vinum sanctificanda. *Clemens Romanus* lib. 8. Constitut. Apostol. c. 17. *Irenæus* lib. 4. c. 34. *Iustinus* in dialog. cum Triph. Judæ. p. 269. *Eusebius Cæsar.* de demonstrat. Evang. lib. 5. c. 3. & lib. 8. cap. 1. *Cyprianus* de eleemosyn. serm. I. *Macarius Ægyptius* homil. 27. *Eucherius Lugdun.* Ep. lib. 2. in Genes. c. 18. *Primasius* Comment. in Epist. ad Hebr. c. 5. † 5. *Docent*, non sacrificari propriè Deo ab homine aliquid, hominem autem seipsum Deo cum omnibus viribus offerre. *Clemens Alexandrinus*

Marginalia: §. 18. *Patres Missæ sacrificio contradicere.* — §. 19. — §. 20. — §. 21 — §. 22.

drinus lib. 7. Stromat. p. 782. *Eusebius* lib. 3. de demonstrat. c. 5. *Basilius Magnus* Comment. In Ps. 115. *Cyrillus Alexandrinus* lib. 9. contra Ju-
§. 23. lian. c. 10. † 6. *Docent* sacrificia Novi Testamenti, à Christianis oblata à Deo pura reputari. *Irenæus* lib. 4. c. 34. & alii. 7. *Vocant* sacrificia, quæ offerunt, primitias creaturæ. *Irenæus* lib. 4. c. 34. *Cyprianus* de opere & eleemosyna. 8. *Docent*, altare, ad quod Novi Test. sacrificia offerenda sunt, esse in cœlis. *Irenæus* lib. 4. c. 34. *Origenes* in Josuam homil. 17. *Gregorius Nazianzenus* in Pascha Orat. 2. *Epiphanius* contra Melchisedecianos hæres. 55. *Chrysostomus* Com-
§. 24. ment. in Epist. ad Hebr. homil. 12. † 9. *Docent*, Unicum Christum hostiam, unicum sacerdotem, unum templum, aram & aliorum propriè sacerdotum non meminerunt. *Tertullianus* lib. advers. Judæos c. 14. *Origenes* Comment. in Numer. hom. 17. & 24. In Levit. hom. 3. c. 3. *Eusebius* lib. 1. de demonstr. Evang. c. 19. *Athanasius* contra Arianos sermo. 3. *Basilius* Comment. in Esa. c. 1. *Gregorius Nazianzenus* Orat. in Pascha. *Epiphanius* adversus Marcionitas hæres. 24. advers. Melchisedecianos hæres. 55. *Chrysostomus* Comment. in Ps. 91. Tom. 5. adversus Judæ. orat. 4. *Cyrillus Alexandrinus* de recta fide ad reginas lib. 2. & Comment. in Lev. lib. 5. & 9. *Theodoretus* in Comment. ad Hebr. c. 10. *Ambrosius* Comment. ad Heb. 10. *Hieronymus* Comment. in Psal. 19. *Augustinus* de recta fide ad Petrum
§. 25. Diacon. c. 2. & lib. 4. de Trinit. c. 14. † 10. *Docent*, Sacrificia Novi Testamenti ab omnibus Christianis offerri posse. *Autor Anonymus*, de Cardin. Oper. Chr. qui Cypriano tribuitur, serm. de unct. chris. *Concilium Nicenum* ex actis *Gelasij Cyziceni* diatyp. 5. p. 173. *Chrysostomus* Comm. ad Rom. c. 19. *Cyrillus Alexandrinus* in Levit. lib. 9. ab init. *Augustinus* Comment. in Ps. 94. & lib. 20. de Civit. Dei,
§. 26. c. 11. † 11. *Docent*, sacrificium in cruce non minus hodiè efficax, quam ipso mortis Christi articulo. *Cyprianus* de baptis. Christi. *Origenes* Comment. ad Rom. lib. 2. c. 2. & 6. *Epiphanius* Tom. 3. homil. 1. de cruce & latr. *Chrysostomus* in Johann. hom. 17. & ad Hebr. 15. *Augustinus* de Tempore Serm. 130. 12. *Docent*, Memoriam sacrificij cruce præstiti Deo pro sacrificio, quanquã non propriè dicto, offerri. *Eusebius Emissen.* de Paschat. hom. 5. *Chrysostomus* Hom. 26. in Matthæum. & hom. 17. in Joann. *Cyrillus* Epist. ad Nestor. de excommun. Tom. 4. p. 30. *Theodoretus Comment.* in Epist. ad Hebr. c. 8. *Ambrosius* l. 4. de sacrament. c. 5. *Augustinus* lib. 2. q. Evang. q. 33. & lib. 10. de Civit. Dei, c. 5. & lib. 20. contra Faustum Manichæum c. c. 25. *Bernard.* in Vigilia Natal. Dom. serm. 6.

QVAR-

QVARTVM, quod explicandum, est, PARTES sincerioris puriorisque ævi, in iis, quæ ex suis antecessoribus magno numero, adduxit *Herberus*, nobis non rectè opponi aut stabiliendæ missæ supponi. *Illud enim certum est, quæ hûc è patribus accersuntur extra controversiam & certaminis æstum dicta esse omnia. Quantum & quatenus innitendum iis, in puncto de transsubstantiatione moto docuit Bellarminus. Fatemur itaq; lubentes in explicatione mysterij Eucharistici in Scriptis Patrum subinde occurrere vocabula*, sacrificij, victimæ, immolationis, oblationis, hostiæ, *& similia. Dicimus verò* sensum *in his vocabulis mysterio Eucharistico applicatis* debere esse subordinatum sensui literarum sacrarum. *Et cum* sacris literis *incognitum & improbatum esse constet sacrificium missæ, nec hæc vocabula à Patribus in Eucharistiæ mysterio usurpata, sacrificium aliquod* propriè dictum *introducere aut sensu, sacrificio Missæ faventi, explicari debent.* † *Proinde omnis in hoc vertitur controversia,* An proprè illa vocabula ibi usurpata fuerint? Decidit Origenes Adamantius super Leviticum hom. 5. *Non est nobis nunc secundum literam instaurare sacrificia.* Augustinus lib. 10. sentent. Properi: *Sicut ergo cœlestis panis, qui Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi, illius vid. quod palpabile, mortale, in cruce positum est, vocaturq; ipsa* IMMOLATIO CARNIS, *quæ sacerdotis manibus fit, Christi paßio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio* &c. *Nos præsuppositâ clarißimâ demonstratione illâ, quâ,* detorta fuisse illa testimonia, *docuimus, quæ pro Missæ idolo stabiliendo corrasit Herberus, dicimus,* longè alias causas *movisse Patres, ut vocabula* sacrificij, victimæ, &c. *sacramento Eucharistiæ accommodarent, quam sacrificium Missæ.* Respexerunt enim *vel* ad eleemosynam, quam amplissimè & uberrimè ad sacram mensam contulit communicaturus populus, Vide c. 8. §. 35. ex Canone quem vocant Apostolorum, *vel* ad preces, quas longa serie pro mundi ordinibus variis etiā juxta dispensationem testamenti Dominici Ecclesia effudit. Idque partim ante consecrationem, partim in consecratione, partim post consecrationem, quod ultimum fiebat dupliciter, tum benedictione populi, tum Eucharistia. Augustinus epist. 59. *Omnis vel pene omnis frequentat, Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici.* Hoc primum est. Subnectit statim: *Orationes cum benedicitur & sanctificatur & ad distribuendum comminuitur* &c. hoc secundum est. Rursus paulo post:

§. 27. Patres licet verbis videātur favere missæ, non tamē sensu favent.

§. 28. Cur Patres vocabulo sacrificij usi fuerint?

I. *II.* *III.*

post: *Interpellationes autem sive postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Advocati susceptos suos per manus impositionem, misericordißimæ* offerunt *potestati*: Quartò subjicit: *Quibus peractis & participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit.* Vide supra ex ipsis liturgiis c. 7. annotata. *Vel* ad gratiarum actiones, quas cultu & admiratione divinæ majestatis seriâ & recensione beneficiorum divinorum & inenarrabilium in-
IV. stituit. Origenes hom. 5. in Levitic. *Quisnam est tantus ac talis, qui sacrificium salutare & sacrificium laudis offerat Deo? Ego illum esse arbitror, qui in omnibus actibus suis facit laudari Deum &c. Ille ergo obtulit sacrrificium laudis, pro cujus actibus, pro cujus doctrina, verbo & moribus & disciplina laudatur & benedicitur Deus. Vel* ad prædicationem & annunciationem mortis Dominicæ, quam celebratio-
V. ni Eucharisticæ adjunxerunt. Prædicationem namque Evangelij disertè Paulus *sacrificium* vocat, Rom. 15, 16. *Vel* ad concursum va-
VI. riarum Christianæ virtutis exercitationum, quem Deo Ecclesia exhibuit, & pij singulari quadam consecratione se totos quasi in Deum effuderunt & eidem se tribuerunt devotissima medita-
VII. tione contemplantes sacrum hunc thesaurum: Augustinus C. D. X, 6. *Hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento altaris noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipse offeratur. Vel* ad sacrosanctas illas & divinissimas actiones, quæ in sacræ cœnæ exhibitione occurrunt, quæ actiones sacrificij nomen jure sibi, la-
VIII. tiori tamen & in sacris non infrequenti sensu, vendicant. Ille enim operationes vocantur ἱερυργίαι, ἱερουργήματα, ἱεροτελέσματα &c.
IX. *Vel* ad ipsam repræsentationem sacrificij unici illius & propitiatorij, *imò* ad certissimam exhibitionem atque sacramẽtalem præsentiam corporis & sanguinis Dominici, tanquam sacrificij in ara
X. Crucis exhibiti. Augustinus contra Faustum XX, 21. *Christi caro & sanguis post adscensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Idem de C. D. X, 5. *illud, quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij.* Idem epist. 23. *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur &c. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Et sicut Eucharistia sacramentum, signum, designatio, similitudo sacrificij Christi

dicitur,

icitur, itaquoque dicitur *commemoratio & memoria.* Augustinus, eu potius Fulgentius ad Petrum Diaconum. *In isto sacrificio gratiarum actio atq;* commemoratio *est carnis Christi, quam pro nobis obtulit.* Idem in Ps. XX. In memoria *nostrâ sit omni anno, quoties pascha celebratur, nunquid toties Christus, occiditur?* Non: *sed anniversaria recordatio repræsentat, quod olim factum est, & sic nos facit moneri, tanquam videamus* &c. Chrysost. in ep. ad Hebr. hom. 17. Τί οὖν, ἡμεῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν οὐ προσφέρομεν; προσφέρομεν μὲν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. *Quid igitur; annon nos quotidie offerimus? Offerimus utiq;, sed sic, ut commemorationem faciamus mortis ipsius.* Et rursus. Ἐκείνην θυσίαν προσφέρομεν καὶ νῦν, τὴν τότε προσενεχθεῖσαν, τὴν ἀνάλωτον: τοῦτο εἰς ἀνάμνησιν γίνεται τοῦ τότε γενομένου. Τοῦτο γὰρ ποιεῖτε, φησὶν, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. οὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ἀρχιερεὺς τότε, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ἀεὶ ποιοῦμεν: μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. *Illud sacrificium offerimus etiam nunc, id quod tum oblatum fuit. Hoc enim facite,* inquit, *in mei recordationem: non aliud sacrificium, quemadmodum olim faciebat summus Sacerdos, sed semper id ipsum offerimus, seu* potius memoriam *sacrificij celebramus. Vel* ad fidei singularem hîc operationem, quæ corpus & sanguinem Christi, certissimum redemptionis lytron, in sacra Cœna complexu firmo apprehensum intimè sibi applicat, inter peccatum & Deum interponit, proque solutione sufficienti offert Deo. Augustinus lib. 2. de symbolo Catech. c. 7. *Nunc dicamus, quomodo id, quod suscepit ex nobis, in cœlum levaverit, ad dextram Patris collocaverit, ac fidei nostræ certum pignus dederit, ut secura sint membra de tanto capite, fideliterq; sperent, ad ipsum se posse pervenire, quem jam credunt ad dextrã Patris sedere.* In hunc sensum tendit Oratio Thomæ Aquinatis post communionem factam: *Gratias ago tibi Domine, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine filij tui Domini nostri Iesu Christi, & precor, hæc sancta communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris* (sc. propter præsentiã sacramentalem corporis & sanguinis Christi) *ad veniam: Sit mihi armatura fidei & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio, motuum mearum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno & vero Deo firma adhæsio, atq; finis mei felix consummatio.*

Hi re-

§. 29. Hi respectus sufficientes omninò fuerunt, qui movere debuissent atq; adeò moverunt Patres, ut illiusmodi vocabula commodâ applicatione ad sacramentum Cœnæ traducerent. Facilè verò esset eiusmodi respectus singulos in scriptis Patrum demonstrare, si Herberus non in trãscursu tantum & obiter attigisset Patres.
§. 30. † Opponit verò se illis respectibus Bellarminus, electo adversario Magno illo Chemnitio, cui tamen nullatenus satisfacit. Inquit enim I. non posse hæc vocabula de eleemosynis, precibus, gratiarum actione, annunciatione mortis Dominicæ & exercitationibus Christianis intelligi, tùm quia solis sacerdotibus tributũ est, offerre sacrificia, eleemosynæ verò & preces, &c. à populo quoque offeruntur: tùm, quia ipsum corpus Domini vocatur sacrificium.
§. 31. † At, inquam ego: eleemosynæ, preces, eucharistia, annũciatio mortis Domini, & similia sunt etiam populi quidem: Solius tamen hujus sacramenti administri est & erat tùm eleemosynas Deo publica voce commendare, preces praeunte voce solenniter moderari, publicè annunciare in Ecclesiæ cœtu mortem Dominicam, gratias claro sonitu, ad sacram mensam aut cathedram Deo agere, exercitia pietatis Christianæ sua administratione excitare. Quando verò ipsum etiam corpus Dominicum patres vocant sacrificium, nec solum illud ita vocant, nec ideò illud ita vocant, quasi acquisivisset hoc nomen incruenta aliqua etiam oblatione: sed quod vim & efficaciaas perrennem sacrificialem secum ad sacramentum afferat & fruendam communicet.

Quomodo corpus Domini in Eucharistia vocetur sacrificium?

Inquit II. non posse vocabulum sacrificij & oblationis mysterio Eucharistiæ attribui propter sacram actionem: quia aliàs baptismus, tanquam sacra actio etiam deberet vocari sacrificium, quod tamen Patres non faciant: & quia sacra actio quævis oblatio non est, etiamsi sacrificium dici queat. Eucharistia autem à Patribus vocatur oblatio.
§. 32.
§. 33. † At, inquam ego, non audet tamen Bellarminus absurdum vocare, si omninò quispiam baptismum sacrificium appellaret. Et falsum est, quod tamen ter repetit c. 15. baptismum non vocari à patribus sacrificium. Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Bapt. p. 379. edit. Billianæ ipsum baptizatum in baptismate Deo offerri ait, & p. 411. ad baptismo initiandos ait, Omnia membra, quæ sunt super terram, Deo demus, omnia consecremus, non autem fibram solam hepatis, non fibram cum hepate, non partem quandam corporis, non hoc, aut illud: verum nos totos offeramus, simus holocausta ratione prædita, hostiæ perfectæ. Est igitur baptismus ejusmodi sacra actio sensu Nazianzeni, quâ sacrificatur & offertur

An Baptismus etiam vocetur sacrificiũ. vel, quod plus, oblatio?

offertur Deo. Basilius T.*1.* de baptismo p.*534.* comparat trinam adspersionem baptismi ipsi affusioni aquæ in sacrificio Eliæ. *Consentit* Nicetas Setronius *Comment. Naz. ad h. ait enim,* baptizandi corda per confessionem sacerdotibus offerenda esse, ut per Sacerdotes ad Deum offerantur, &c. Clemens *Ep.* 4. *ad Iulium & Iulian. citatus* à Canisio p.178. *Catechef. ait*: Est in aquis istis misericordia ejus quædam, quæ ab initio ferebatur super aquas, & agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum quoddam, offerens Deo animas per baptismum consecratas. Damascenus *IV. de orthodoxa fide* C. X. confert Baptismum cum sacrificio Eliæ, quo Baalitas confudit. Conf. Durandum Rationali l.*6.* c.84. n.*15.* *Nicetas Setronius Scholiastes Nazianzeni.*

Inquit III. ob solam repræsentationem mortis Dominicæ non posse Eucharistiam dici sacrificium: *quia* Augustinus ita cõmemorare dicat Eucharistiam mortem Domini, sicut sacrificia V. T. eandem commemorarunt: *quia* patres in numero multitudinis dicunt victimas, quod nunquam dixissent, si solius repræsentationis causâ nomẽ sacrificij Eucharistiæ tribueretur: *quia* quod repræsentatur, unum est: *quia* etiam baptismus repræsentat mortem Domini. *quia* non diceretur verè ad Deum in Missa, *offero tibi hoc munus,* si solùm oblationis esset quædam commemoratio: *quia* epitheta Eucharistiæ sacrificio addita talia sunt, ut non solum commemorativum sacrificium suadeant: *quia* sacrificium Evcharistiæ est cultus latriæ. † *At, inquam ego, falsum est, eodem modo sacrificia V.T. quo Eucharistia, mortẽ Domini repræsentare.* Eminẽtior enim & divinior est repræsentatio & cõmemoratio Eucharistiæ, etiamsi sacrificium ea non statuatur, quam sit commemoratio sacrificiorum V.T. *Imò, non negante* Bellarmino, *Eucharistia,* quà sacramentum *etiam, perfectius repræsentat mortem Domini, quam id agunt sacrificia V.T. Adde, ipsum baptismum melius commemorare mortem Domini, quàm sacrificia V. T.* † *Quòd verò Patres numero multitudinis utuntur & dicunt, victimas offerri in sacra cœna, respiciunt* partim *ad Symbola, partim* ad adjunctas actiones sacras. *Non enim respicere possunt ad corpus Dominicum, quod unicum est: nec aliud atq; aliud subinde offertur. Aut, si vocent etiam ipsam materiam cœlestem, corpus & sanguinem, victimas; respiciunt* principaliter *ad divisionem seu separationem corporis & sanguinis* in cruce *factum, ut supra ex Salmerone didicimus, juxta illud,* hoc accipimus in pane, quod pependit in cruce: hoc accipimus in calice, quod effluxit è latere.

§. 34. §. 35. §. 36.

latere. *Baptismum esse repræsentativum mortis Christi, supra acerrimè Huntlæus Iesuita negavit, cum quo transfigat Bellarmini defensor.* †
§. 37. *Oblatio autem, cujus in celebratione Eucharistiæ mentio fit*, partim *est symbolorum, quæ commendantur Deo, & petitur, ut dignari in nostram salutem illa unione cum corpore & sanguine filij sui Deus velit*: partim *est orationum, quibus ille Christus, qui in sacramento est & ibi amoris sui perenne statuit in Ecclesiâ monumentum*, sed non quatenus in sacramento est, *adoratur & invocatur, ut necessitatibus humanis succurrat. Vide* Dionysium *c.3. Hierarch. Eccles.* Ambrosium *lib. 10. in Luc. c.22.* Gregor. Nazianzenum *in Pascha orat. 2. & ibi* Nicetam Setron. Scholiast. Origenẽ *homil. 5. in divers. loc. Evang. p.*441. Cyrillum (*ut fertur, utrum enim verus sit autor Mystagogicarum Catecheseon, dubitatur jure*) *Catech. Mystag. 5.* Ambrosium *lib. 3. de Sp. S. c.12.* Augustin. *in Ps.*98. Chrysostomus *in Marc. hom. 13. eodem sensu ait, Christum in baptismo adorari; & annuit Augustin. Epist.* 146. Tertullianus *verò advers. Hermog. c.22. ait*: se adorare scripturarum plenitudinem: *hoc est, Deum, in scriptura tonantem.*

§. 38. *Epitheta Missæ quæ Bellarm. & Herb. proferũt, quid notent.* Epitheta *tandem*, quæ Patres ad nomen sacrificij adjiciunt, *eum in finem tantùm sunt adjecta, non ut sacrificium aliquod novum incruentumq; notent, sed ut*, tùm *admirabilem & excellentissimam corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento propositi dignitatem confirment*, tùm *ut discrimen inter figuras adumbrationesq; V.T. & sacramenta N.T. atq; mysteria indicent*, tùm *ut ad sacrificium crucis omnem vim sacræ huic cœnæ tribuens meditationes nostras erigant. Nihil igitur opus est speciatim ad testimonia singula respondere, cùm & quadrent ad institutum Pontificium minimè, & delibata tantùm carptimq; proposita sint.*

§. 39. *Passio Andreæ supposita.* *Illud QVINTO LOCO evidentissimum est*, miscuisse Herberum genuinis Patrum supposititia quædã scripta. *Nam certè* passionis S. Andreæ librum, à Presbyteris Achaiæ, spectatoribus & auditoribus, scriptum esse, falsum est & antiquitati puriori contrarium. *Sixtus Senensis sanè* lib. 2. Biblioth. Sanct. p.6. *refert historiam de S. Andrea ex mente* Gelasij Pontificis *reprobatam, à* Nexocharida & Leonida Philosophis *ementitam, ex mente* Philastrij *H.C. c.*48. *à* Manichæis *intrusam: ex mente* Augustini & Eusebij *rejectitiam esse judicatam: nec verbum Senensis ait, de passione aliqua Andreæ ab alijs conscripta: ignorasse eum illam, quæ Presbyteris Achaiæ tribuitur, creditu difficile est.* Hoc igitur ejus de illa judicium est. † Bellarminus
§. 40. quamvis *Tom.3. l.1. de Sacr. Euch. c.1. p.*184. præcipitatius tulerit judicium

dicium *de infallibili & nunquam in dubium revocata ejus antiquitate, tamen libro de Sc.Eccl.Cent.1.p.69. fatetur*, se aliquando magnū virum, eam historiam in dubium revocantem, audivisse: *nec audet Apostolorum vel Auditorum Apostolicorum temporibus inserere ætatem ejus: ait tantum*, videri sibi, negari non posse, quin uera, antiqua & utilis historia sit. *Ita dißimulanter agit. Et pro ejus antiquitate testimonia* Petri Damiani, Joannis à Lovanio & Aloysij Lipomani *allegat: quæ testimonia antiquitatis sufficientia nequaquam sunt. Nam* Petrum Damiani *ante sexcentos annos floruisse, falsum est secūdum* Baronium & Possevinum. *Igitur ipse* Possevinus *ex* Bellarmino *alias pro Antiquitate horum auctorum vehementer pugnans*, Damiani *testimonium omittit.* † Baronius *Tom.1. Annal. ad Ann. Chr. 69. sect.34.p.734. valde se torquet & tandem concludit*, quæ de Andreæ Martyrio in Epistola Presbyt. Achaiæ habentur expressa, digna existimata sunt, ut in Ecclesia recitentur. † *Quanquam, si vel maximè fidem antiquitatis tribueremus dicto Andreæ, nihil nobis obstaret. Ecce enim varietatem Pontificiorum in allegando loco illo!* Bellarm. Card. *l.1. de Miss. c.15. §.10. ita allegat.* S. Andreas Apostolus dixit Ægeæ Proconsuli, Ego immaculatum agnum in altari offero, cujus carnes postquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui immolatus fuit, integer perseverat & vivus. *Herberus habet.* Omnipotenti Deo agnum immaculatum quotidiè sacrifico, qui cum verè sit sacrificatus & carnes ejus verè à populo sint manducatæ, integer perseverat & vivus. *Vbi inserit Herberus particulam* verè, *& in ea victoriæ suæ monumentum statuit, de qua tamen altißimum est apud Bellarminum silentium.* † *Imo apertißimū tam Bellarminus, quam Herberus commisere crimen falsi in allegatione loci. Omisere enim voculam* crucis *& pro verbis*, in altari crucis sacrifico, *scribunt*, in altari sacrifico, *& deinde supprimunt verba*, & sanguinem ejus biberit. Videatur Surius *in Martyrolog.* Franc. Costerus *in Enchir. Controv. p. 342.* Simon Felix in Muscis p.68. & alij purgant Bellarminum, *quod is sententiam illam non ex Surio, sed ex Breviario Romano, excerpserit, quod in lectionibus festi S. Andreæ itidem nec vocabulum* crucis, *nec verba* & sanguinem ejus biberit *habet.* At quæ hæc purgatio? quod Breviarij autor falsavit, Papa R. toleravit, Cardinalis Bell. erravit, id Herberus deliravit. Bellarminus tamen, ubi hunc locum de Missa l.1,15. adducit, vult videri inspexisse historiam. Ait enim; *S. Andreas Apostolus, ut scribunt Presbyteri & Diaconi Achaiæ in ejus passione, dixit Ægeæ Proconsuli &c.* Ad-

§. 41.

§. 42. *Varietas Pontificiorum in dicto Andreæ.*

§. 43. *Crimen falsi.*

dit Felix: *teste Baronio in not. Martyrolog. 30. Novembr. Romæ extare manuscripta exemplaria, multum à typis discrepantia.* Annon verò, quæ acta passionis S. Andreæ ediderũt, Surius, Lipomanus, Mombritius, etiam aliquando manuscripta fuerunt? Cur non monuit Baronius Bibliothecarius ad ann. Chr. 69. n. 34. ubi passionis S. Andreæ meminit, aliter verba & prout Breviarium habet & Bellarminus usurpavit, non ut Martyrologi ediderunt, haberi? Dicunt, *Breviario illam mutilationem non esse vitio dandam, quia sensum pium servat, ad verba jure alligari nequit. Præsertim cum magnas sæpe causas habeat depravata corrigendi: qualia etiam acta passionis S. Andreæ fuisse, testatur Baronius, quia irrepsit in ea Græcorum error de processione Spiritus Sancti à solo Patre; cum tamen in antiquis manuscriptis ea verba non habeantur, nec in editis à Mombritio.* ℞. non Breviarium, sed Breviatorem accusamus, ut causam depravationis, quia sensum integrum & genuinum non retinuit. Sed etsi depravata correxit Breviator, quomodo pium sensum retinuit? Insuper nondum produxerunt Jesuitæ aliquem librum manuscriptum, in quo sic legeretur, quemadmodum legit Breviarium, ex quo Bellarminus allegavit. Dicunt, *etiamsi integrè revocaretur dictum S. Andreæ, tamen ad Missam pertinere, non autem ad sacrificium cruentum.* Cõtroversia autem est de istis verbis, *Immaculatum agnum quotidie in altari crucis sacrifico*: & de dictis: *cum verè sacrificatus sit, & verè carnes ejus manducatæ sint à populo & verè sanguis ejus sit haustus, tamen integer permanet & immaculatus & vivus.* Jesuitæ per *altare crucis* mensam S. cœnæ intelligunt, per actionem sacrificandi ipsam celebrationem Eucharistiæ I. *quia altare Eucharisticum crucem refert, & ita altare crucis aliud non est, quam altere ipsum: nam S. Andreas in ipsa cruce quotidie non sacrificavit.* ℞. 1. nunquam in universa antiquitate *altare crucis* pro mensa eucharistica sumitur. 2. Hoc est, quod nos asserimus, S. Andream, quotidie celebrata memoria passionis & crucis dominicæ, meditationibus suis revolutum esse ad altare crucis, de quo Hebr. 13. atque illud immaculatum perfectissimumque sacrificium, pro peccatis generis humani semel consummatum, fiducia indubitata sibi fidelibusq; in specie applicavisse atque ita Deo obtulisse. Sic in V. T. sacrificiis debebat esse. Erat sacerdos, qui mactabat, comburebatque holocaustum Deo pro peccatis, adeoque sacrificium ratione actuum externorum coram Deo consummabat. Aderat reus peccator, vidit hoc sacrificium, tanquam typum & imaginem magnæ & ca-

tholicæ propitiationis, in eo igitur illam ſibi applicabat, & eam tanquam ſatisfactionem pro ſuis peccatis Deo offerebat, itaque ſacrificabat. Dicis, *altare illud euchariſticum crucis altare vocatum dici poſſe, quoniam S. cruci fuit conſecratum.* ℞. 1. Unde probant Jeſuitæ illam altarium conſecrationem tempore Apoſtolorum factam? 2. S. Andreas Apoſtolus Oecumenicus, adeoque certæ Eccleſiæ particulari diu non adhærens, quomodo quotidie ad altare crucis pertigiſſet, ſi omninò illa conſecratio altarium tunc obtinuiſſet? II. *quia talis ſacrificatio h.l. intelligenda, quæ cū manducatione conjungitur; qualis non eſt cruenta, ſed incruenta. Item talis, qua facta integer & vivus agnus permanet, cum in cruenta agnus fuerit quoad corporis & animæ ſolutionem de integritate ſua & vita dejectus.* ℞. 1. inter ſacrificium cruentum & manducationem ſufficit coordinatio, non opus eſt, ut in idem incidat tempus. Noſtra è S. lit. ſententia eſt, ita ſemel in ara crucis Domini Jeſu ſacrificium nobis præparatum eſſe, ut ſine ulteriori ſacrificatione ad conſummationem uſque ſeculi ſpiritualiter & ſacramentaliter manducantibus ſufficiat. 2. S. Andreas hoc non dicit, agnum immaculatum in ſacrificando integrum vivumque permanſiſſe, ſed, licet ſacrificatus ſit, h.e. non obſtante illa horrenda laniena & morte in ara crucis. Sicuti & loquitur de hac re Ep. ad Hebr. c. 7, 25. 28.

Abdiæ Babylonici *hiſtoriam, quam commendat* Herberus, *& pro miſsâ allegat, repudiat* Salmeron *Comm. 2. Tim. 2. diſp. 2. pag. 585.* Baron. *Card. l. 1. Ann. ad Ann. 51. n. 51. & An. 44. p. 358.* Poſſevin. *T. 1. Appar. p. 3. & T. 2. p. 399.* Bellarm. *l. 2. de bonis Operibus in part. c. 24. & de Scriptor. Eccl. p. 69.* Joh. Heſſelius *in Cenſ. 6. 4. & 10.* Sixtus Senenſ. *l. 2. Biblioth. S. p. 61.* Molanus *in præf. Martyrol. c. 20. & l. 1. de fide hæret. ſervanda c. 6.* Claud. Eſpencæus *l. 6. de Continent. c. 2. licet aliàs ad errores Papales ſtabiliendos citetur ab* Hardingo *Reſp. ad Ivellum art. 1.* Greg. de Valent. *l. 1. de miſs. c. 4. §. Abdias, &c. pag. 730.* Guil. Lindano *l. 4. Panopl. c. 48.* Bellarm. *l. 2. de Monach. c. 27. p. 172. licet in Recognitione ad hunc locum aliter ſcribat, & l. 2. de operib. bon. in part. c. 24. confidenter dicat*, ſe nullum teſtimonium ex illis Abdiæ libris petiiſſe. *Interim magni fit autor hic à* Jacobo Archiep. Genuenſ. *l. Annuar. ſolenn. & à* Petro Epiſc. Equilino l. *9. Cat. Sanct.* §. 44. *Abdiæ quæ autoritas? Contradictio.*

Quod autem hypobolimæus ille Abdias dicit, *S. Matthæum ſacris ad aram operantem Apoſtolicum martyrium conſummaſſe*, non neceſſario ſacrificium aliquod propriè ſic dictum deſignat. Etiam ſacris ad aram euchariſticam operatur, qui occupatur in præparandis

randis & sanctificandis & dispensandis sanctificatis, qui necessitates Ecclesiæ tum universales tum singulares Deo commendat.

§. 45. *Ignatius vindicatur.*

† Ignatij *ex ep. ad Smyrnenses* locus partim supposititius est, & ex Clementin. Constit. l. 2. cap. 26. irrepsit, partim impertinens est, quoniam non ostendit proprij sacrificij προσφερόμενον. non enim sequitur, sacrificium immolatur; E. propriè dictum sacrificium immolatur.

§. 46. *Testimonia Hygini & Pij expenduntur.*

† Ex *secundo seculo* de locis Justini Martyris & Irenæi egimus supra, ubi de Vaticinio S. Malachiæ tractavimus. Quæ ex Hygino, Pio & Sotere Papa citantur, adulterina sunt. Vide cap. 6. §. 9. Nominatim cap. Omnes de Consecr. dist. 1. ut observat Scholiastes, incerti autoris est. Verba sunt. *Caput hoc usq; ad vers.* consecrari *apud plerosq; Collectores citatur ex Evaristo, aut ex decretis Evaristi. Reliqua autem verba alio capite relata ab iisdem tribuuntur Hygino.* Deinde nil est in illo capite de sacrificio aliquo propriè dicto. *Omnes basilicæ*, inquit, *cum Missa debent consecrari.* Quomodo exinde deducitur; *E. debet in iis præter unicum sacrificium in ara crucis cruentum, aliquod etiam incruentum proprij nominis sacrificium celebrari.* Anne basilicæ seu loca sanctis congressibus dedicanda non sufficienter consecrantur per preces & sacramenta, cum primis S. cœnæ? Verba *Pij Papæ* nomine venditata nobis nihil adversantur. *Si*, inquit cap. 27. dist. 2. de consecr. *per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambetur & tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usq; ad tertium, novem diebus pœniteat & linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice supposito & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur.* Nihil omninò hic de sacrificio. Et ob id Herberus verba non apposuit.

§. 47. *De Felicis testimonio.*

† Ex *tertio seculo* si sacrificium Missæ nullo alio teste constat, quam ep. 2. Felicis Papæ & Martyris, male constat. Nam epistola illa est tota supposititia. Impostor Julij, Leonis, Chrysologi, Gregorij, Martini I. Adriani I. Conciliorum, Africani, Carthaginensis III. Romani III. sub Symmacho, Hispalensis II. Codicis Theodosiani, Novellarum & Aniani interpretis corrasit. Deinde consulatum vitiosum adscripsit. Notat ep. datam 5. Id. August.

Claudio

Claudio & Paterno V. Clariſs. Conſul. Obiit autem Dionyſius Papa demum An. D 272. 26. Decembr. cui ſucceſſit Felix: quomodo ergo ſub illis Conſulibus, qui An. D. 270. fuerunt, jam ut Papa potuit ſcribere epiſtolam; Denique memoriæ Martyrum non ſolum ſunt ſepulcra Martyrum, ſed etiam ædificia μνήμης χάριν erecta, teſte Aug. C. D. XXII, 10. ea cum frequentare ſolitos ſciret veteres Chriſtianos, impoſtor, pontificialis verba mutuatus, fingit morem antiquum in legem verſum, decernente Felice: quaſi verò non licuerit poſtea alibi convenire, quam in Martyrum monumentis. Vide Bedam *hiſt. l. 2. c. 1.* & Johann. Diacon. *Vit. Greg. l. 1. c. 20.* Neque verba Felici ſuppoſita quicquam probant pro ſacrificio. Ita habentur. *In præfata conſtituimus ſynodo vobisq; & omnibus Eccleſiis tenendum & agendum mandamus, ut ſuper memorias Martyrum Miſſæ celebrentur, ne memoria eorum extingui, aut veneratio poſſit prohiberi.* Sicut baptiſmus olim celebrabatur ſuper eorum corpora, qui pie in Domino defuncti æternæ beatitatis hæreditatem adierunt, ad teſtificationem communionis ſanctorum: Habuerunt enim veteres per Italiam, Græciam & alias orbis partes non publica cœmiteria duntaxat, ubi ſub prætextu ſepelitionis Chriſtiani ſua ſacra peregerunt, ſed & privata & ædibus adnexa ſine attigua, aut in hortis, ubi tam non horrere mortem docuerunt, ut etiam, cum ea ſit melioris vitæ apud piè functos vitâ origo, principium ſpiritualis vitæ in ejuſmodi cryptis, dormitoriis & cœmiteriis ſumere voluerint: quem ritum apud Chriſtianos jam Pauli ætate, inprimis in Aſia invaleſcere potuiſſe, quomodo negabitur? Sanè S. Paulus 1. *Cor. 15, 29.* ex eo argumentum pro reſurrectione nectit. Cui non ſatisfaciunt, qui ὑπὲρ τῶν νεκρῶν βαπτίζεσθαι putant idem eſſe, ac ad conſervandam defunctorum memoriam, nomina eorum in baptiſmo capere. Nervum namque concluſionis Apoſtolicæ obſcurum aut nullum faciunt. Sed & illi non attingunt vim concluſionis Apoſtolicæ, qui exiſtimant, Apoſtolum ad illum morem ſpectaſſe, quo unus pro altero defuncto baptiſabatur. Tertullianus tradit iſtum fuiſſe Marcionitarum libr. de Reſurrect. carnis cap. 48. *Si autem*, inquit, *& baptiſantur quidam pro mortuis, videbimus, an ratione? Certè hoc eos illa præſumtione inſtituiſſe contendit, qua alij etiam carni vicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis, quæ niſi corporalis, non aliàs ſic baptiſmate corporali obligaretur.* Conf. lib. 5. contra Marcion. cap. 10. p. 465. Chryſoſtomus h. l. de Marcionitis inquit: *Cum quis*

Memoriæ Martyrũ.

apud

apud ipsos initiatos obit, unum aliquem sub mortui lectum recondunt, mortuum circumstant, alloquuntur, rogant, velitne baptizari? deniq; cum nihil respondet, is qui subtus latet pro illo respondet, baptisari velle: eum deinceps pro mortuo baptisant. Epiphanius hæres. 48. quæ est Corinthiorum: *In hac*, inquit, *regione, Asia, imò etiam in Galatia valdè viguit Cerinthianorum doctrina, de quibus etiam ex traditione res quædam ad nos pervenit, quod quidam apud ipsos de vita decesserant, morte praeoccupati citra batisma, alij pro ipsis in nomen ipsorum baptisentur, ut ne ubi resurrexerint illi in resurrectione, pœnas dent, eò, quod non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati, quæ mundum fecit. Et hac de causa traditio hæc, quæ ad nos devenit, eundem S. Apostolum dixisse ait, si omninò mortui non resurgunt, cur & baptizantur pro illis.* Conf. & Theophyl. Com. ad 1. Cor. 15. h. l. Itaque moris existentia certa est. An mos tam antiquus sit, ut originem dederit argumentationi Apostolicæ? an verò mos hæreticus à falsa interpretatione Apostolica originem deduxerit, quæritur. Prius non affirmant Tertullianus, Chrysostomus, Epiphanius, Theophylactus. Sed & Cerinthiani, qui hunc morem usurparunt, resurrectionem crediderunt. Paulus autem argumentatur contra eos, qui resurrectionem carnis negarunt. Hactenus igitur conclusio Apostolica læditur. Hoc enim illi tantùm relinqueretur roboris: *Quotquot in Ecclesia negant resurrectionem carnis, minus prudenter faciunt; quia Cerinthiani, ne qui ante baptisma moriuntur, ubi resurrexerint illi in resurrectione, pœnas dent &c. per Vicarium aliquem baptismum illis conferunt.* Sic verò responsio patuisset illis, qui cõtra resurrectionem pugnarunt, dicendi, se non constringi facto Cerinthianorum, utpote qui resurrectionis spe inflati erant. Et profectò syllogismus Paulinus hic debebat esse: *Qui credunt vicarium baptismum, illumq; pro mortuis etiam administrandum, illi non possunt negare resurrectionem mortuorum. At Cerinthiani credunt vicarium baptismum, illumq; pro mortuis administrandum.* E. &c. At hic syllogismus non ferit. Cerinthiani enim non negarunt resurrectionem, ut ex verbis Epiphanij liquet. Videtur igitur, salvo aliorum judicio, dicendum, probati devotique moris consuetudinem, etiam ab illis ad huc retentam, qui sinisterius judicarunt de resurrectione mortuorum, ab Apostolo assumtam ad probandam resurrectionem mortuorum. Sanè in una eademque interrogatione Apostolica conjungantur duo facta, unum eorum, qui baptisantur super mortuos, & alterum eorum, qui periclitantur omni hora. Hoc

ra, Hoc posterius probatissimum est. Omninò igitur & prior interrogatio non improbati moris est. Moris sc. qui ex communione resurrectionis mortuorum gloriosæ super piè defunctorum ossa januam salutis quærebat. Quod enim dicitur, *si Christiani in locis publicis & cœmiteriis notis sua dispensassent sacra & administrassent baptismum, seipsos prodituri fuissent, nec opus fuisset, ut à Tyrannis tanta industria quærerentur*: Respondetur, *tum*, non semper tyrannorum inquisitiones illas & persecutiones viguisse, adeoque aliquando halcyonia fuisse Ecclesiæ; *tum* Apostolum loqui de periculo aliquo, quod cum baptismo super mortuos fuerit conjunctum. Postquam enim dixit, τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; subjungit ℣. 30. τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν? Quasi diceret, *si in universum mortui non resurgunt, quid faciunt, qui baptisantur super mortuis? cur baptisantur sc. cum tanto periculo præsentissimo persecutionis, captivitatis, mortis, ob insidias ubiq; instructas, super mortuos? Cur & nos, non minus nimirum atq; illi, omni hora immanibus periculis exponimus, contemtores huius fragilis vitæ, & qui sola immortalia magnifacere & custodire didicimus? tum*, ut dixi, Christianos etiam prætextu alieni operis, sc. sepulturæ, suum opus in cœmiteriis ursisse, adeoque extra suspicionem sese collocasse. Et notum est, Maximinum libertatem conveniendi Christianis in cœmiteriis adimere cōatum, quæ sunt domicilia mortuorum. In illis verò conventibus non etiam alicubi baptismi fuisse peractam dispensationem, quis ibit inficias? Docet Eusebius H. E. IV, 15. ad sepulchrum Polycarpi conventus institutos memoriales. Et apud Cyrillum Alexandrinum lib. 10. sect. 3. Julianus Apostata ita contra Christianos argumentatur: *Si immunditia* Jesus *esse dicit plena sepulchra mortuorum, quomodo vos apud illa invocatis Deum?* sed & in privatis sepulchris illa sacrarum ceremoniarum dispensatio fieri potuit. Equidem sapientiorum legibus non semel cautum, ut sepulchra extra urbem submoverentur. Sic Numam in Janiculo humatum, præter Livium, Plutarchum, Dionysium & alios, etiam Plinius testatur, qui lib. 13. c. 13. ex Cassij Heminæ l. 4. Annal. refertur *Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset.* Atqui Janiculum ab Anco Martio primum urbi additum. Sed & Servius Tullius extra urbem elatus est, ibique sepultus, teste Dionysio l. 4. A. R. Præterea P. Valerio Publicolæ & A. Posthumio Tuberto, qui ad lacum Regillum contra Latinos prosperè

pugnavit, virtutis causa sepulcrum in urbe à Senatu esse concessum, tradit Cicero de LL. 2. Idem de Judæis, Atheniensibus, Smyrnæis, Sycioniis, Deliis, Syracusanis, &c. probat Kirchmannus *de Funer. Rom. lib. 2. cap.* 20. Sed primum illud observandum est, sæpius illud omissum fuisse etiam ibi, ubi antea gravissimis legibus fuit sanctũ. Romæ ille mos, cum in luxũ civitas solveretur & licentiam, adeoque mutationem subiret gravissimam, translata ad Imperatores potestate, privatarum sepulturarum consuetudo invaluit. Romam imitatæ sunt provinciæ. Hinc leges Adriani, Antonini, Diocletiani & Maximiani Impp. *ne quis intra urbem sepeliatur.* Deinde non obtinuisse illum morem, sub interdicto, ne quis aliter ageret, ubique apud Gentes, quas Christianæ religionis occupavit ab initio sanctimonia. Præterea de Corintho, non liquere, cautum fuisse, ne quis intra urbem sepeliretur. Pausanias sanè *in Corinthiacis lib.* 1. id non docet. *Qua verò*, inquit, *adverso clivo ad Corinthum acceditur, & alij sunt in via tumuli, & ad ipsam portam Diogenis Sinopensis, quem cognomento Græci Canem appellant.* Loquitur de tumulis non ordinaria sepeliendi ratione excitatis, sed à summa antiquitate factis & cum veneratione prætereuntium conspectui expositis. Confirmat id Diog. Laertius *lib. 6.* ubi notat, *Corinthios super tumulum Diogenis columnam erexisse ex lapide Pario & canem desuper sculpsisse.* Denique solebant antiqui in agris & hortis sepulchra extruere, ut probat Kirchmannus *l.* 1. *cap.* 22. Itaque & ibi poterat iste religiosus Christianorem congressus fieri tutior & à persecutionum vestigationibus remotior. Sed redeundum ex diverticulo in viam. Sicut igitur baptismus super memorias martyrum & aliorum etiam piè defunctorum celebratus est, ita & S. cœna juxta illud mortalitatis theatrum & euthanasias exercitamentum instituta est. Id antiquis est super memorias martyrum celebrare. Unde Augustinus de C. D. XXII, 10. *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum spiritus vivunt, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo ac martyrum & nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum sua confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat,* (h. e. tum præparat δῶρα eucharistica & eorum consecrationem à Deo impetrat, tum sacrificium laudum precumque offert) *invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos*

dos est, non illorum &c. Conf. eundem contra Faustum lib. XX, 21.

Quarti seculi testimonium ex Ambrosij *lib. 4. de sacram. c. 6.* accersitus, ubi præter alia insignia mysterij eucharistici elogia hanc Canonis sancti sententiam habet: *Offerimus tibi hanc rationabilem hostiam, immaculatam hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum & calicem vitæ æternæ.* R. 1. esse inter eruditos, qui vehementer dubitāt, sintne genuini Ambrosij libri, quos *de sacramentis* habemus. Ant. Possevinus *in appar. v. Ambrosius*, ait, *pene omnes eos pro legitimis Ambrosii fœtibus agnoscere.* Sunt sanè in illis libris multa falsa, quædam ridicula, unum sine dubio hæreticum, & alterum repugnans dogmati ob Ambrosio alibi tradito. *Lib. 2. cap. 2.* dicit; Christum dixisse ad paralyticum Joh. 5. *descende sc. in piscinam.* De mandato descensu verò nullum est Christi verbum in Hist. Evang. Lib. 4. c. 5. multa congerit verba, tanquam Evangelistæ & Christi, quæ vel Evangelistæ vel Christi esse nemo purioris ævi scripsit. *Lib. 5. cap. 1.* tribuitur Paulo Apost. quod quæsiverit, *ubi sint, qui Filium Dei dicunt esse de tempore?* At nullibi ita quærit S. Paulus. Cap. 4. dicit Autor, Christum ita penultimam petitionem orat. Dom. præscripsisse, *ne patiaris nos induci in tentationem*; contra Græcorum & Latin. Codd. fidem. *Lib. 6. cap. 1.* verba faciens de colloquio Christi cum Judæis de esu carnis ipsius, solum Petrum dixisse, ait; *Verba vitæ æternæ habes, & ego a te quo recedam?* At non dixit Petrus, *quo ego à te recedam*, sed *quo nos à te recedamus*, ut ex Theophyl. Maldonatus etiam observat Com. Joh. 6, 68. Idē *cum lib. 2. de sacr. c. 2.* verba paralytici Joh. 5. *hominem non habeo*, exponit, quasi per hominem paralyticus intellexerit *Christum mediatorem*, perquam leviculum est: sicut & cum l. 6. c. 3. *per ostium* cum oramus claudendum *Os* intelligit & subjicit; *Utinam mulieres audirent.* Idem cum peccata propria *lib. 3. de sacramentis* relaxari dicat, hæreditaria verò per lotionem pedum, cum Theologia & Ecclesiæ doctrina non convenit, ut ipse etiam Maldonatus Jesuita in cap. 13. Johannis monet. Cumque annotante etiam Bellarmino *de Baptismo cap. 3.* Ambrosius genuinus *l. 1. de Spiritu S. cap. 3.* existimet, sufficere ad baptismum invocationem unius personæ divinæ tantùm, Autor *lib. 2. de sacr. cap. 5. & 7.* rectè urget, in baptismo exprimendas esse tres personas. Denique *caput 4. lib. 5. de sacr.* apud Augustinum integrè habetur *serm. 28. de verbis Dom.* Bellarminus equidem propugnat, libros esse B. Ambrosij, *quia ab iis, qui ante hoc 500 annos vixerunt, Lanfranco, Guitmundo* &c. *hoc*

§. 47. *Ambrosij an sint libri de sacramentis?*

nomine citantur. Sed bonis illis viris hoc non est infrequens. E. g. *homilia 5. de pascha,* inter homilias *Eusebij Emisseni* citatur sub Emisseni nomine à Gratiano *de consecr. dist. 2. c. quia corpus*, Petro Lombardo 4. *sent. dist.* 8. Guitmundo *de sacram. lib. 2. & 3.* Algero *de sacram. lib. 1. c. 5. & 12.* qui omnes ante 500 annos vixerunt, & tamen non est illa homilia Emisseni. Vide Bellarmin. *Lib. Recogn. p. 64. & L. 2. Euch. cap. 30. & de script. Eccles. ad ann. 430. & de sacram. Conf. lib. 2. cap. 6.*

§. 48. *Basilius vindicatur.* Quod Basilium M. concernit, Herberus nullum locum assignat. Quæ è Liturgia producuntur, supra *cap.* 7. expedivimus. Citat Gaultherius Jes. *in Chronolog. p. 312. ex orat. in S. Gordium Martyrem* hæc verba: *Domus orationum profanorum manibus diruebantur, altaria subvertebantur, nec erat oblatio, nec thymiama.* Nihil de sacrificio aliquo propriè dicto. Altaria & oblationes non negamus. Addit locum *ex serm. 2. de bapt. cap. 3.* Si *tales minæ adversum eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tale ac tantum mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid est templo, secundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius est, in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes ac tauros.* Fundat se Gaultherius in comparatione Eucharistiæ cum sacrificiis. ℞. collatio non est *in esse formali*, sed *in æstimatione dignitatis & pretiositatis*; ubi sanè etiamsi non sit sacrificium eucharistia, infinitis tamẽ modis dignior est omnibus V. T. sacrificiis.

§. 49. *Gregorius Nyssenus vindicatur.* *GREGORIUM NYSSENUM* Herberus quoque duntaxat nominat, Quæ testimonia Gaultherius l. c. adducit, de præsentia reali corporis & sanguinis testantur, non de sacrificio. Bellarm. *lib. 1. de Miß. cap. 15.* adducit locum Nysseni, sed valde mutilum. Extat is Orat. 1. de resurrect. Disputat ibi Nyssenus de triduana commoratione Christi in corde terræ, & ita tandem definit. *Suspice ad majestatem & sublimitatem divinæ virtutis, & non te fugiet id, quod in loco quæritur. Memento Dominici dicti, quid de seipso pronunciet is, à quo rerum universarum vis atq; potentia pendet, quomodo ex plena summaq; potestate, ac non ex naturæ necessitate animam à corpore sejungit illis verbis, Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso, potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo rursus sumendi eam. Hoc mihi stet firmum & quæstio declarata atq; explicata fuerit. Nam qui omnia pro Dominica potestate atq; autoritate administrat, non expectat vel ex proditione necessitatem, vel Iudæos grassatorum in*

modum adorientes, vel Pilati judicium iniquum, ut illorum scelus ac malitia communis hominum salutis principium & causa esset. Sed pro ineffabili arcanoq; & qui ab hominibus cerni nequit sacrificij modo, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem pro nobis ac victimam offert, sacerdos simul & agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quando hoc accidit? Cum *suum corpus ad comedendum & sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim hoc perspicuum est, quod vere vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit. Qui igitur dedit discipulis suis corpus suum ad comedendum jam,* (ita vertit Laur. Sifanius & conjicit legendum τὸ ἤδη, cum in Græco sit τῷ εἴδει ipso fatente, quod esset in imagine, voto, præsentatione ad cruentam sc. mactationem) *perfectam & absolutam factam esse immolationem. Non enim ad edendum idoneum esset corpus victimæ animatum. Cum igitur de corpore suo ad edendum & de sanguine ad bibendum præberet discipulis, jam latenter pro potestate mysterium administrantis ineffabiliter & invisibiliter corpus immolatum erat, & anima illic erat, ubi eam potestas administrātis collocaverat, cum immixta sibi divina virtute in loco illo terræ cordis observans. Igitur si quis ab eo tempore, ex quo hostia Deo oblata est à magno Pontifice, qui suum agnum pro communi peccato ineffabiliter & invisibiliter sacrificavit, numeret tempus in corde terræ immorationis, is à veritate non aberrabit.* Ubi ex omnibus textus Gregoriani circumstantiis liquet, eum loqui de ea immolatione & sacrificatione, quæ est basis atque fundamentum redemtionis totius generis humani, ne, ut dixit Gregorius, crucifigentium *scelus ac malitia communis hominum salutis principium ac causa esset*, in qua ipse *ut agnus tulit peccata mundi*, quæ est q. initium separationis corporis ab anima & *immorationis animæ cum divina virtute in corde terræ.* Dicit Nyssenus, ejus initium esse in eo tempore factum, quo cœnam novam. Dominus adornavit, consummatio demum est facta in ara crucis & resurrectionis etiam, respectu corporis, initio, quo totus exinanitionis Christi status absolutus est. Nonauté dicit Nyssenus, Christum seorsim cum pane corpus, & cum vino sanguinem suum Patri suo cœlesti obtulisse. Non dicit, hanc oblationem, de qua loquitur, à Sacerdotibus esse continuandam usque ad finem seculi. Non dicit, esse separatam aliquam oblationem. Paucis; loquitur de oblatione, quam decreto, voto, humiliatione, destinatione, præsentatione sui, tum in incarnatione, tum in aditu S, ministerij fecerat, maximè verò decla-

raverat in ultima, qua prodendus erat, nocte, ubi ita de se tanquam jam mactato, mortuo, sanguine consperso & vacuo, ob certitudinem & acceptationem loquitur. Sanè nisi ita explicaveris Nyssenum, statuere necesse habebis, quia Nyssenus dicit, Non enim ad edendum idoneum esset corpus victimæ animatum, Christum jam tum animam à corpore separatam habuisse; item concomitantia negabitur, si peculiaris aliqua immolatio eucharistica separat animam à corpore & inanime corpus constituit. Paucis concludamus. Eam immolationem intelligit Nyssenus, qua posita, corpore ineffabiliter & invisibiliter oblato, anima illic est, ubi eam potestas administrantis collocat, ut cum immixta sibi divina virtute in loco cordis terræ obversetur, ut ex peculiari sua opinione Nyssenus loquitur. At hæc non est immolatio ad eucharistiæ constitutionem & continuationem pertinēs, uti manifestum est. E. nec de ea Nyssenus loquitur. Vides, quid Bellarminus sub mutilata Patrum allegatione occultet.

§. 50. *Cyrillus Hierosolymitanus vindicatur.*

CYRILLUM HIEROSOLYMITANUM pariter Herberus solo nomine jactat. *Gaultherius* ad Catecheses mystagogicas confugit. In Gesneri Bibliothec. monuit *Ioh. Simlerus*, istas Catech. Mystagog. attribui Johanni, nescio cui, Episcopo Hierosolymitano. *M. Welserus* in catalogo MS. Augustanæ Biblioth. etiam hæsitabundus illas Catecheses tribuit Cyrillo. Sed videatur hac de de Joh. Raynoldus Anglus *in Censura lib. Apocryph. Tom. 1. pag. 328.* Quæ autem Gaultherius ex illis producit, omnia ad corporis & sanguinis Christi realem præsentiam pertinent; excepto unico loco, qui est ex Catech. 5. verba sunt; *Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum* &c. Vocat πνευματικὴν θυσίαν & ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ θυσίας τοῦ ἱλασμοῦ. Quænam est illa πνευματικὴ θυσία & λατρεία ἀναίμακτος? Cyrillus explicat Catech. 1. ubi vocat, ἐπίκλησιν τῆς προσκυνητῆς τριάδος, ante quam panis & potus est λιτὸς simplex, per quam ὁ ἄρτος μὲν γίνεται σῶμα Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος, αἷμα Χριστοῦ. Conf. & Catech. 3. quam etiam Catech. 4. vocat μεταβολὴν, θαυματουργίαν, παραδοξοποιΐαν &c. Notandum sanè, quod θυσίαν πνευματικὴν & ἀναίμακτον λατρείαν spirituale sacrificium & incruentum cultum vocet, id quod fit in Eucharistia ἐπὶ τῆς θυσίας τοῦ ἱλασμοῦ supra hostiam propitiationis sc. in ara crucis oblatam, ut ea nobis dispensetur & salutariter applicetur. De Epiphanio supra dictum est cap. 6. §. 91. pag. 226. & cap. 3. §. 78. p. 78.

§. 51. *Optatus Milevitanus.*

† *OPTATUS MILEVITANUS,*

NVS, quem nominat Herberus, à Gualtherio *in Chron. p.315. §.15.* citatur, *ex init. lib. 6. contra Parmenianum Donatistam*, ubi in hunc modum loquitur. *Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt. quo Deus omnipotens invocatus est. quo postulatus descendit Spiritus Sanctus unde à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, in quibus fraternitatis munera non jussit poni Salvator, nisi quæ essent de pace condita. Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, & redi prius, concorda cum fratre tuo, ut possit pro te Sacerdos offerre. Quid est enim altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* Et post. *Quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari consueverat? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat?* Applicentur ad locum Optati Milev. respectus illis, quibus S. Patres in Eucharistiæ negotio vocab. sacrificij usurpasse diximus, & res erit clarissima, nequaquam autem suffulcietur novum illud & commentitium sacrificium, Herbero tam charum. Ecce inter sacrificia altaris Eucharistici nominantur, *vota populi portata coram Deo*, *membra Christi* commendata Deo, invocatio *omnipotentis Dei & descensus Sancti Spiritus*, adeoque sancta illa procuratio, qua ex promissione divina nobis proponitur corpus & sanguis Christi, tanquam ἁγίαι μερίδες sanctissimæ portiones ex magno illo & catholico redemtionis sacrificio. §.52.

Gaudentius Brixiensis vindicatur.

† *Gaudentius*, quē nominat Herberus, nihil habet in hoc negotio, quod nobis advertsetur. Nam locus quē ex ejus *tract. 2. de Exodo* adducit Gaultherius, de reali præsentia & unione sacramentali corporis & sanguinis Christi cum pane & vino loquitur, qua *panis & vinum fiunt agni caro & sanguis: omneq; vinum, quod in S. cœna ceu figura passionis ejus offertur, & sanguis Christi*, qua *naturarum creator & dominus de pane efficit proprium corpus & de vino sanguinem suum.* Locus verò, quem Bellarmin. *lib. 1. cap. 17.* producit ex eodem tractatu, nil etiam nobis obstat. Ita autem se habet. *Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari.* Bellarminus urget voc. *Sacerdotis*: sed frustra. Nam vocabulum *Sacerdotis* de Ministro N.T. in S. literis nunquam usurpatur. Non tantum, quia noluerunt eo divini Viri uti tempore stantis adhuc templi & cultus Hierosolymitani, ut garrit Bellarminus, sed etiam ideò, quia

Ministri

Quo ſenſu Miniſtri N.T. ſacerdotes? Miniſtri N.T. propriè ſacerdotes non ſunt, ſi primariũ eorũ actũ, qui eſt ſacrificare, cõſideremus. Eũ n. ſolus Chriſtus ſibi vindicavit, ἀπαράβατον ἔχων τὴν ἱερωσύνην, Heb. 7, 24. ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας v. 27. Sunt quidẽ in diſpenſando Sacerdotibus V. T. ſimiles, tanquam œconomi myſteriorum divinorum, ſicut & V. T. Sacerdotes fecerunt κοινωνοὺς θυσιαστηρίου 1. Cor. 10, 18. Sed hic actus duntaxat Sacerdotem propriè dictum non conſtituit. Neque tamen ſequitur, ſi Patres vocabulo ſacerdotis non pro ſacrificante, ſed pro diſpenſatore verbi & ſacramentorum uſi ſunt, eos vel vim hujus vocis ignoraſſe, vel ea de induſtria abuti voluiſſe. Neq; n. ignorarant eam vim, quam vox ad naturam & proportionem novi Teſtamenti retinere poterat. *Auguſtinus vindicatur.* Quando verò Auguſtinus de C. D. XX, *10.* dicit, *Epiſcopos & Presbyteros propriè dici ſacerdotes*, non hoc dicit in ordine ad ſacerdotes V. T. aut ſacrificantes, ſed in ordine ad omnes fideles, qui & in hac vita ſunt ſacerdotes coram Deo, Apoc. 1, *6.* Rom. 12, 1. *1.* Petr. 2, *9.* ſed & in altera vita, Apoc. 20, *6.* ceterum nullo officio ordinario, publico, in verbi prædicatione & ſacramentorum diſpenſatione occupato functuri, adeoque merè ſpirituales ſacerdotes. Epiſcopi autem & presbyteri omninò officio funguntur publico & circa tractationem rei externæ aliis applicandæ ad ſalutem occupantur.

§. 53. *Hieronymus vindicatur.* † *Hieronymus*, ſolum ab Herbero nominatus, à Gaultherio citatur pro Miſſæ ſacrificio l. ex *l. adverſus Luciferianos cap. 2. Quamobrem oro te, ut aut ſacrificandi licentiam tribuas ei, cujus baptiſmum probas, aut reprobes ejus baptiſma, quem non exiſtimas ſacerdotem. Neq; enim fieri poteſt, ut qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit apud altare peccator.* Quo ſenſu verò *ſacrificare* & *altare* ſit capiendum, ex ſuperioribus conſtat. *Lib. 1. adverſus Pelag. c. 9. quæ ſunt rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem, ſi Epiſcopus, Presbyter & Diaconus & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint?* Et poſt. l. 3. c. 5. *Sic docuit Apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio credentes audeant loqui. Pater noſter, qui es in cœlis* &c. *& in ep. Pauli ad Tit. 1.* Epiſcopus *quotidie pro ſuis populiq; peccatis illibatas Deo offert victimas:* & *adv. Iovinian. c. 19. l. 1. Sacerdoti ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia.* Hæc teſtimonia ex ſuperioribus explicare facile eſt. Et notatur hic mos veterum qui poſtea occaſionem dederat euchariſtiam in ſacrificium propitiatorium transmutandi, quo ad præparationem & celebrationem euchariſtiæ precari ſoliti ſunt pro neceſſitatibus totius Eccleſiæ, ea ſpe freti, Deum propter

pter filium suum orbis redemtorem propitium futurum, cujus corpus & sanguinem nunc in S. cœnæ epulo admirando dispensat. Neque enim non miserturum Deum in reliquis necessitatibus, qui contra spirituales hoc sacramentum dedit. Porrò Gaultherius adducit locum ex libr. Hieronymi *adversus Vigilantium cap. 3.* Is, fortassis commotus superstitionis increbrescentis importunitate, qua nimirum in defunctorum reliquias homines sui seculi cœperunt exardescere, reliquias extenuabat, vilem pulvisculum vocitabat, quem sine ratione tanti æstimarent homines. Huic acriter, ut solet in adversarios etiam moderatius sese habentes, respondet Hieronymus, inter cætera his etiam verbis. *Malè ergò facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum* &c. Nolumus inficias ire, Vigilantium intempestivo zelo abreptum, nec ad salutem Ecclesiæ in hoc negotio versatum esse. Causas tamen reprehendendi non defuisse, liquet ex facto ipso. Et progressu seculorum innotuit. *De quo videsis Sceletomaniam nostram.* Si ad vetustissimi moris pietatem revocetur institutum, facile patimur, ut passionis dominicæ memoria eucharistica celebretur ad μνημεῖα sanctorum, sc. eo consilio, de quo superius. Sed hic locus non docet Hieronymum de sacrificio propriè dicto loqui. Citat *Gaultherius*, tanquam in desperata causa, quicquid in Hieronymi Operibus obvium; sive genuinum sit, sive adulterinum parum attendens. Et quidem unum locum cum magno elogio, cum ait: *Os Missæ osoribus demum opprimere, ut cor aperiant, cupio divina illa doctrina, qua idem S. Hieronymus in caput Proverbiorum undecimum, non modo sacrificij Eucharistici, etiam expresso Missæ nomine, veritatem, sed etiam admirabilem ejus, tam in vita functos, quam in viventes, efficacitatem breviter complexus est:* Etsi, *inquit*, impiis post mortem spes veniæ non est, sunt tamen, qui de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolvi, vel pœnis vid. castigati, vel suorum precibus & eleemosynis, vel Missarum celebrationibus. hæc ex Hieronymo, ut putat, Gaultherius. At verò insolens Jesuita contra conscientiam decipit. Nam Commentaria in Proverbia D. Hieronymo mala fide esse tributa, jam olim in schola Papali quoque

Hieronymi non est Cōment. in Proverb.

Sf fuit

fuit extra controversiam positum, quod Gaultherium latere non potuit, dec debuit. Ita sentit Sixtus Senens. *Bibliothec. sanct. l. 2. verb. Hieronymus.* Melchior Canus Episcop. *lib. 2. Locor. Commun. cap. 15.* Marianus Victorius *in Censura Tom. 8. operum Hier.* Cornel. Schultingus *in censur. ad Conf. Hieronymianam.* Dominic. Bannes 2. 2. *q. 1. a. 10. col. 72.* Deniq; ipse Bellarmin. *de script. Eccles. ad ann. 390. in Hieronymo.* Cætera ex Hieronymo in hanc controversiam deducta superius sunt exposita, cap. 5. pag. 175. † *Ex quinto seculo*

§. 54. *Augustino falsò tribuitur Manuale.* nominat Herberus *B. Augustinum*, producto ex *Manualis ejus cap. 11.* loco, quem & Thom. Hardingus *in replica promissa* habet *pag. 121.* & Gaultherius *in Chronolog. pag. 389.* At verò Augustini nomine venditatum Manuale, est unum ex illis opusculis, de quibus Bellarminus *de scr. Eccl. in Tom. 9. August. observ. 3.* memorat, *se nihil certi habere.* Lovanienses *Cens. Tom. 9. Aug.* in appendicem Tom. 9. rejecerunt, ubi ea continetur, quæ constat non esse Augustini. Unde libera Erasmi censura: *Hic liber consarcinatus est ex libris Meditationum & Soliloquiorum* (At liber Meditat. à Garetio, Erasmo, Bellarmino, Lovaniensibus inter incerti autoris collocatur, ut & soliloquia) *per quempiam nec eruditione nec eloquentia præditum. Proinde non video, cur lectu admodum dignus videatur. Cap. 26. ponit in potestate hominis, ut promereatur regnum cœlorum, quam sententiam ubiq; detestatur Augustinus.* Sed & verba ex *Manuali* producta explicari possunt ex rationibus superius explicatis. Gaultherius *l. 1.* adducit *Conc. 1. in Psal. 33.* ubi sacrificium secundum ordinem Melchisedeci dicit esse corpus & sanguinem in S. cœna oblata & dispensata, id quod nos non negamus, nec tamen S. cœna propterea est sacrificium propriè dictum. Dicitur sacrificium materialiter & ratione rei contentæ. Corpus enim & sanguis Jesu sunt adhuc sacrificium & in consummationem usq; seculi erunt. Et quia in S. cœna peculiariter sunt, inde illa sacrificium nominatur à nobilissimo & divinissimo comprehenso. Locus ex *l. 4. de Trinit. cap. 14.* quatenus à Gaulthério producitur, totus ad sacrificium crucis pertinet. Locus ex *lib. de* C. D. 18. *cap. 35.* vindicatus est cap. 5. pag. 178 Loca *ex serm. 91. & 251. de tempore* sunt supposititia, fatentibus Erasmo, Lovaniensibus & Martino Lipsio. Ejus notæ est *sermo 32. de verbis Apostoli.* Sed in hoc seculo quinto subsistimus. Quæ ex reliquis seculis adducta sunt, aut ex superioribus liquent & facilem habent interpretationem, aut tanti momenti non sunt, ut nos à sententia S. literarum dimovere possint.

CAPUT

CAPUT X.

QUOMODO SACRIFICIUM MISSÆ PROPITIAtorium sit apud Pontificios, expenditur, varia absurda excutiuntur.

ASSERTIO. *Vt sacrum Missæ, hoc est, precationes, exhortationes, gratiarum actiones, quæ ab antiquiori Ecclesia celebrationi sacramenti dominici præmissæ fuerunt, suo modo sacrificium Eucharisticum dicimus, ita Missam sensu Pontificio intellectam propitiatorium esse sacrificium, in sacris nescitur literis.*

EXEGESIS. *Herberi hæc est decima assertio.* Sacrificium missæ non solum est Eucharisticum, id est, laudis & gratiarum actionis, juxta communem verbi notionem; verum etiam propitiatorium; idque sua nativâ quadam & propriâ ratione, quâ, ceu insigne religionis obsequium, divinæ majestati acceptatissimum, eandem ex *operato opere*, ut scholæ loquuntur, flectere valet ad bene faciendum, vel peccatis remittendis, vel aliis hominum necessitatibus sublevandis. *Quam assertionem probat* 1. *ex* mentione remissionis peccatorum in verbis Institutionis factâ: 2. *ex* loco Hebr. *5.* ꝟ. 1. quo dicitur omnem Pontificem ex hominibus assumtum pro hominibus constitui in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. 3. autoritate Justini, Cyrilli, Origenis, Augustini, Primasij, Damasceni, Liturgiarum Jacobi, Basilij, Chrysostomi. † *Nos non minus hic infinitas possumus contradictiones Pontificiorum proponere, quam alibi proposuimus, nisi festinandum nobis & ex arenâ digrediendum tandem esset. Pauca delibabimus, ut Hebero satisfaciamus.* §. 1. §. 2.

Vide Ariã Montanũ ad h. l. Herbero contradicentem!

Primò, *satis supra disseruimus contra propitiatoriam Missæ vim. Et jam refutavimus opinionem de sacrificio missatico conceptam. illa igitur de propitiatione simul cecidit.* † Deinde. *Remissio peccatorum, ut supra audivimus, quæ in institut. verbis commemoratur, est effectus sacrificij cruenti, qui in sacramento cœnæ dominicæ oblatione corporis Christi ad edendum & sanguinis ad bibendum obsignatur & confirmatur, in fidelium animis. Nihil proinde hîc agit missæ sacrificium.* † Tertiò, *Patres allegati*, vel loquuntur *de precibus adnexis dispensationi sacramentorum, quibus Deus ad remittenda peccata per* §. 3. §. 4. §. 5.

certa ſua media exoratur : vel loquuntur de ipſa ſacræ cœnæ fideli
§. 6. participatione. Nihil proinde hîc agit Miſſæ ſacrificium. † Quartò,
quod ex Epiſtola ad Hebræos allatum eſt , Eccleſiam N. Teſtamenti
Conf. c. 9 non ſpectat, in quâ non ſunt ſacerdotes ſpeciali & ſtricto illo ſenſu. Ipſe
Bellarminus & alij fatentur, ſacerdotis nomen in N. Teſtamenti codice
§. 7. nullibi notare miniſtrum aliquem N.T. † Quintò. Herberus ſibi con-
Contra- tradicit. In fine ſect. 31. fatetur, non novum propitiationis precium
dictio acquiri per miſſam, ſed applicari tantùm ſacrificium crucis Chri-
Herberia- ſti. In ipsa aſſertione ait. Miſſam eſſe propitiatoriam nativâ quâ-
na. dam & propriâ ratione , ceu inſigne religionis obſequium , ex
opere operato. Non igitur propter unicum ſacrificium Chriſti , ejuſq;,
ut ito loquar, activam ſeu actuoſam paſſionem Miſſa propitiat : ſed pro-
pter ipſas operationes Miſſaticas , ad illius complementum & ſubſtan-
tiam requiſitas , quarum ea eſt nativa & propria virtus , ut flectant
§. 8. Deum. Quæ ſanè nimis luculenta eſt contradictio. † Adde, Herberum
dicere , nos per miſſæ ſacrificium dignos reddi precio cruenti ſacrificij.
Aut igitur illam, dignos nos faciendi , virtutem ſacrificium Miſſæ Deo
offerendum habet ex ſe, aut ex ſacrificio crucis. Si prius, geminat con-
tradictionem: ſi poſterius, evertit miſſam & nugatur. Qualis enim hæc
eſt locutio: ſacrificium miſſæ per ſacrificium crucis dignos nos facit ſa-
crificio crucis? Quodnam autem ſacrificium dignos nos facit , ut ſa-
crificium miſſæ dignos nos faciat ſacrificio crucis? Anne ſacrificium miſ-
ſæ ſua quadam nativa & propria virtute illam habet dignitatem? An-
ne in infinitum ſacrificia conſtituenda ſunt ? An potius ſacrificium
crucis unicum eſt ſacrtficium, è quo tùm in ſacramenta , tùm in ipſam
fidem omne ſalutis noſtræ & genuinæ dignitatis chariſma fluit ? Ita
quidem verbum Dei ſuadet Herberus verò nec ſtantibus ſuis dogmati-
§. 9. bus id concedere, nec ſalva conſcientia negare poteſt. † Sextò , Her-
berus ſtatuit, Miſſam ideò dici propitiatorium ſacrificium , vel quia ad
remiſſionem peccatorum pœnarumq; temporariarum, hoc aut futuro ſe-
culo reſtantinm, plurimum valet , vel quia peccatoribus converſionis
§. 10. initium impetrando iram Dei in miſericordiam convertit. † Hoc in
Alfonſus pronunciato Herberiano variè inter ſe pugnant Ieſuitæ. Salmeron
Salmeron Tom. 9. tr. 30. p. 233, ſtatuit. 1. Non omnia peccata ſacrificio miſ-
ſæ aboleri. 2. Non pro peccatis ante baptiſmum vel ante pri-
mam gratiam offerri, quia eſt myſterium fidei, quod fidelibus tan-
tùm prodeſt. 3. Non offerri pro Paganis, Judæis, Infidelibus, &
Catechumenis. 4. Eccleſiam tamen pro talibus preces funde-
re. 5. Non offerri tantum pro venialibus aut levioribus deli-

ctis,

ctis, aut pœnis lethalium delictorum, ſed etiam pro gravium cri-
minum culpis, quæcunque illa ſint, quæ poſt baptiſmum admit-
tuntur. † Greg. de Valent. *l. 1. de Miß. c. 5. p. 713. ait*, 1. fuiſſe ex §. 11.
Pontificiis, qui ſtatuerent, miſſæ ſacrificium ad pœnarum tantùm *Gregorius*
relaxationem valere, quæ donatâ culpâ reſtant exolvendæ: 2. fuiſ- *de valen-*
ſe, qui ſtatuerent, valere quidem etiam ad remiſſionem culparum, *tia.*
non tamen mortalium, ſed venalium. 3. fuiſſe, qui ſtatuerent,
ſacrificium miſſæ ad culparum mortalium remiſſionem valere.
Ipſe ſtatuit, primariò ſacrificium miſſæ remiſſionem culparum
venialium & pœnarum temporalium, ſecundariò & ex acciden-
ti remiſſionem mortalium conciliare, ſi contingat, ut ij, pro qui-
bus hoc ſacrificium fit, mortali aliqua culpa obſtricti ſint. † §. 12.
Heinr. Heinriquez *l. 9. c. 13. 14. & ſeq. ſtatuit* 1. *Miſſam primò & per* *Heinricus*
ſe ordinari in ſatisfactionem pœnarum. 2. *pro expiatione autem cul-* *Heinri-*
parum venialium non eſſe efficacē immediatè ſe ſolâ: pro qua ſententia *quez.*
citat Sotum *diſt. 13. q. 2. art.* 1. Ledeſmam *q. 23. art. 5. & 7.* Cano *c. 12.* *Sotus.*
ad 9. Durandum *diſt. 12. q. 4.* Cordubam *l. 1. q. 3.* Ayalam *part. 3. con-* *Ledeſma.*
ſid. 5. Lindanum *l. 1. Panopl. c. 51.* Caſſalium *l. 2. de ſacrif. c. 8.* Vigue- *Cano.*
rium *cap. 16. §. 3. ℣. 15. &c.* 3. *Iuvare ad bonos motus, quibus augetur* *Durandus*
gratia. 4 *facere ad adeptionem gloriæ.* 5. *præſervare à peccato &* *Corduba.*
impetrare donum perſeverantiæ: 6. *pro rebus temporalibus prodeſſe.* *Ayala.*
7. *Hujus oblatione placatum Deum dimittere peccata etiam ingen-* *Lindanus.*
tia. 8. *Non prodeſſe excommunicatis contumacibus.* 9. *Non obtine-* *Caſſalius*
re primam gratiam cum remiſſione pœnarum æternarum impio attri- *Viguerius.*
to, cui ſententiæ tamen favent Catharinus *Epiſc. Compſ. l. de ſacr.*
Miſſ. Biel. *lect.* 85. Natal Beda *annot. contra Fabr.* 113. Tapper. Santius
Ep. Segobienſ. Mantius, Soto, Corduba, &c. 10. *Hæreticis ſtante*
Eccleſiæ prohibitione & Paganis nihil prodeſſe. † Septimò, *Ægid. Co-* §. 13.
ninc. Tr. de ſacr. q. 83. pag. 316. dub. 7. & ſeq. varias difficultates propo-
nit, cum quibus confligunt. I. Utrum hoc ſacrificium conferat *Prima*
ſuum effectum ex opere operato, an per modum impetrationis, *pugna.*
an verò utroque modo? *Tractatur à Valentiniano, Bellarmino, So-*
to, qui tamen eam non ſatis explicant, judice Ægidio Conincio: qui do- *Ægidius*
cet, ſacrificium miſſæ habere vim operandi effectum propitiato- *Conincius*
rium, partim ex opere operantis, idque vel per modum meriti de
condigno & congruo, vel per modum ſatisfactionis, vel per mo-
dum impetrationis; partim ex ratione excellentiæ rei oblatæ: §. 14.
partim, ratione Eccleſiæ, in cujus perſona ſacerdos offert, partim *Secunda*
ex inſtitutione & voluntate Chriſti, primarij offerentis. † II. U- *pugna.*

trum sacrificium missæ conferat aliquando immediatè gratiam habitualem? *Vbi triplex est Scholasticorum sententia, quidam ajunt* conferri primam gratiam & remitti peccata mortalia: *quidam ajunt*, conferri tantùm augmentum gratiæ: *quidam ajunt*, nulli hoc sacrificio conferri ullam gratiam habitualem, nisi pio motu mediante. † III. *Vtrum* hoc sacrificium remittat immediatè iis, pro quibus offertur, ea peccata venialia, quibus nec actu, nec virtute inhærent? *Vbi rursus sententiarum pugna.* IV. *Vtrum* hoc sacrificium conferat aliquando ex opere operato gratias prævenientes iis, pro quibus offertur? *Durandus hoc negat. Alij affirmant.* V. *Vtrum* hoc sacrificium remittat pœnam temporalem peccatis remissis adhuc debitam non modo ex opere operato, per modum satisfactionis, sed per modum impetrationis? *Quod aliqui Catholici negant, aliqui affirmant.* † VI. *Vtrum* existentibus in purgatorio hoc sacrificium prosit ex opere operato? *Quod quidam Scholastici negant, ut Soto in 4. dist. 13. q. 2. art.* 1. *Conincius affirmat.* VII. *Vtrum* omnes, qui sacrificium hoc offerunt, ex eo aliquem fructum ex opere operato percipiant? *Vbi tres Scoti, Cajetani, & aliorum adversariæ sententiæ producuntur.* VIII. qua ratione fructus, qui ex opere operato respondet oblationi, quam facit sacerdos in persona Christi, pendeat ab ejus applicatione? *Vbi quatuor Pontificiorum dissentientes sunt sententiæ.* † IX. *Vtrũ* sacerdos inter celebrandum validè applicet fructum Missæ ei, quẽ Deus scit post aliquot dies hoc vel illud bonum facturum? *Pugnant hìc inter se Corduba & Suarez.* X. *Vtrum* hic fructus crescat pro majore dispositione ejus, pro quo sacrificium offertur? *Dimicant iterum inter se Scholastici, Thomas, Durandus, Suarez, & alij. Hic scilicet est Labyrinthus variarum contradictionum, ortus ex unico illo absurditatis fonte!* † Octavò, *Notandum & illud, missam prodesse, non efficientia Physica, sed morali, juxta Iesuitam* Conincium *loc. cit. Sacramenta prosunt autem efficientiâ Physicâ, juxta* Bellarminum. *Cur igitur applicatio sacramentalis non antefertur applicationi sacrificiali missaticæ, secus, quam facit Huntlæus pag. 286. Controv. 9. qui sacramentalem applicationem imperfectam, sacrificialem autem perfectam facit. Videtur excellentiam sacramentorum supra missam agnovisse* Heinriquezius *lib. 9. Theol. Mor. cap. 14. n. 3. pag. 250. ubi privilegium efficientiæ Physicæ & moralis sacramentis attribuit & excellere missam supra sacramenta concedere non vult.* † Nonò *Pontificij vim propitiatoriam missæ ex eo probant, quia eadem*

[Margin notes: §. 15. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* §. 16. *Sexta.* *Septima.* *Octava.* §. 17. *Nona.* *Decima.* §. 18. *Bellarminus.* *Huntlæus.* *Conincius.* *Heinriquez.* *Contradictio.* §. 19.]

dem est res oblata in missâ, quæ in cruce, Salmeron *Tom.9.pag.233. tract.30. Eadem ratione posset probari, esse missam* omnium omninò peccatorum propitiatricem: *quod* & Salmeron & Bellarminus & Conincius & Heinriquez *negant. Ita etiam probat* Salmeron, *missam propitiare mortalia peccata. Ita enim loquitur.* Si missa venialia peccata extinguit, quia Christus est illis major, etiam mortalia extinguet, quibus Christus major est. *Addo ego! E. etiam omnia extinguet, quibus Christus major. Si ex majoritate Christi deletionem peccati concludere fas est.* † Decimò. *Disputat ex quorun-* §.20.
dam Pontificiorum sententia Salmeron *pag.236. Tom.9.* Sacrificium *An sacri-*
missæ etiam expiasse delicta Vet. Testam. fidelium. *& quanquam* *ficium*
ipse opinionem illam non firmam statuat, tamen hoc firmum judicat, *missæ à*
Christum in primâ cœnâ obtulisse seipsum ut hostiam propitia- *Christo in*
toriam, pro peccatis fidelium Veteris Testamenti. *Quæ opinio cre-* *prima cœ-*
berrimis Salmeronis *assertionibus, hypothesibus Pontificiis & ipsi adeò* *nâ oblatū*
Institutioni Christi repugnat, ejusq; meritum in cruce enervat fundi- *V.T. pec-*
tus. † Undecimò. *Consideremus hoc quoq; Pontificiorum argumen-* *cata ex-*
tum. Ajunt Christus non venit solvere legem, sed implere. E. habe- *piarit?*
mus legem. E. illam prævaricari possnmus. E. illa prævaricatio no- §. 21.
bis imputatur. E. debet & potest expiari. E. eget novo sacrificio,
quo expietur, SINE QUO NEC IPSA VALENT SACRAMENTA. NB.
& illo quidem repetito, sicut peccata iterantur. E. est Eucharistia NB.
sacrificium expiatorium. *Obtestor tuam conscientiam, Herbere, annon hoc argumentum, quod* Salmeron *etiam habet Tom. 9. pag. 233. sanctissimum crucis Christi sacrificium non dicam lædere, quod atrocissimum, sed evertere, quod abominabile, moliatur? annon vim nervumq; sacramentis subtrahat? Sed hæc aliàs pluribus ex ipsis Pontificiis deducenda sunt. Verè hæc est Camarina, quæ vehementius mota densissimas nebulus in universum Christianismum halaret.*

CAPUT XI.

AN IN MISSA PRO SANCTIS ET DEFUNCTIS orandum, consideratur.

ASSERTIO. *Sicut idololatricum est, sacrum corpus & sanguinem Domini in Eucharistia in honorem sanctorum offerre: ita pro defunctis offerre idem corpus & eundem sanguinem Christi, ut à pœnis in purgatorio sustinendis liberentur, absonum est.*

EXEGESIS.

§. 1. EXEGESIS. Libera fuit Patrum quorundam institutio, non ne-
cessitatis cujusdam opinione introducta lex, non divinis scripturis in-
nitens præceptum, sed pio sensu introductus ritus, quo Martyres
gloriosi olim in solennibus Ecclesiæ sacris, ut & alij de Ecclesia

Cur pro defunctis fidelibus in publ. Ecclesiæ sacro oratum fuerit?

Christi eximiè meriti commemorarentur. Putabant pij Patres,
posse hoc modo fideles in terris sacro quodam fervore succendi, ut ani-
mitùs Christi vestigia premerent & ad sanguinem etiam mundo illi-
cienti, Satanæ rugienti, carnis desideriis æstuantibus, resisterent. Imò
in continuis illis horrendæ tyrannidis suppliciis à calcato semel Christi
tramite non desisterent. Volebant etiam communionem Ecclesiæ tri-
umphantis in Christo Iesu arctissimam testari. Conabantur pro-
fiteri desiderium arctioris cum Christo unionis & translationis in san-
ctum illum & quietum statum. Annitebantur etiam declarare, se in
eadem fide cum sanctis venerari Christum. Hic erat pijs patribus scopus.
Quem etiam aliquatenus indcat, licet in eo non acquiescat, Bellarmi-
nus lib. 2. de Missa, cap. 8. & testatur etiam Dionysius, quem falsò A-
reopagitam credunt in expositione Liturg. quam protulit ex eo Clau-
§. 2. dius Sanctesius in Lyturg. pag. 70 & seq. † Vt autem hoc piorum Pa-
trum consilium non improbamus, ita repudiamus idololatricum Pa-
pistarum studium, qui Sanctos animo cultus divini & religiosi in missæ
celebratione nominant. Vnde cognitionem rerum humanarum in ter-
ris gestarum sanctis tribuunt Bellarminus & Costerus. Quam cognitio-
nem haberi à sanctis putant, vel per relationem angelicam, vel per ce-

Conf. disp. ad 1. Tim. 6. præfixã Pentadecadi nostræ.

leritatem naturæ, vel per speculum divinæ essentiæ, vel per relationem
divinam, in qua requiescit Bellarminus. En verò absurditatem. Deus re-
velat sanctis necessitatem intercessionis pro hominibus apud se? Inter-
cedit apud intercessores, ut intercedant! Porrò ex hoc fonte sanctos ex
dono gloriæ ubiq; esse, asserunt, ut missæ præsentes esse possint, Bellarmi-
nus & Costerus. Vnde eandem potestatem Sanctis tribuunt, quæ Chri-
sto tributa est. Costerus, Blasius Viegas, Petrus Damiani. Vnde San-
ctos, tanquam beneficiornm cœlestium datores venerantur. Censura
Colon. Lindanus, Bellarminus, Osorius, Costerus. Vnde Sanctos præ-
sides rerum humanarum & cum primis Ecclesiæ asseverant. Fabricius,
Salmeron, Costerus, Bellarminus. Vnde fiduciam aliquam in sanctos
auxiliatiores ponendam asseverant, Bielius, Bellarminus, Hosius,
§. 3. Cornelius à Lapide, Salmeron, Gregorius de Valentiâ. † Hæc sin-
gula infert illa sanctorum in missa commemoratio, quam Pontificij ur-
§. 4. gent. Esse verò idololatria hæc plenissima jam dudum evictum est. † Cõ-
sideretur tantùm illa ineptissima Canonizatio, quam in hunc finem
excogi-

excogitavit Christi adversarius: quam rationibus & exemplis in Papa Romano suo Bzovius ita explicavit, ut magis magisq; ejus barbaram ineptitudinem demonstraverit † II. Heinriquez lib. 9. pag. 519. c. 14. ait, 1. Christum pro suo mortali corpore, cum animam haberet beatam, in cœna obtulisse sacrificium. 2. Prodesse missam, ut sanctis acceleretur gloria & resurrectio corporum eo novo titulo: sicut Christus etiam titulo meriti & sacrificij in cœna & cruce oblati ex devotione offerentis obtinuit corporis gloriam, liberatus à passibilitate & pœnis carnis: sicut sancti V. T. accelerationem Incarnationis meruerunt & B. Virgo meruit accelerationem resurrectionis Christi. Hæc Heinriquez.

§. 5. An Christus etiã pro suo corpore mortali missæ sacrificium obtulerit?

Iam, quod oblationem pro defunctis in purgatorio attinet, illam stabilit Herberus I. ex 2. Maccabæor. c. 12. ubi Iudas Maccabæus XII. millia drachmarũ pro militibus defunctis in sacrificij usum destinavit. R. Fatetur Herberus, nos hunc Maccabæorum librum ex Canonismo divinorum Codicum excludere: cur igitur non notavit Canonicam ejus & divinam autoritatem? Alibi sufficienter docent Theologi, inconsideratissimum esse Pontificiorum consilium, qui hunc librum inter Canonicos recensere non dubitant. Nos itaq; tandiu gravissimis moti causis Canonicam illis detrahimus Maccabæorum libris autoritatem, donec aliud demonstratum fuerit. Adde, quod clausula illa facti videatur glossema adjectitium, quod è margine in textum irrepsit. Et si vel maximè Iudæ factum esset certissimum, non probaretur tamen esse laudandum & sequendum. Videtur hac de re prolixè post omnes differens Magnus Gerhardus, Tom. 8. Loc. Comm. à sect. 244. & seqq. p. 315.

§. 6.

Conf. Theol. Zacharianæ part. 1. p. 75.

Objicit Herberus, Aërium hæreticum Ecclesiæ judicio damnatum sententiam de missa pro defunctis offerendi oppugnasse. Resp. Falsissimum hoc est. Non cogitata tùm temporis fuit missa pro defunctis oblatio. Erat, ut diximus, usitatum, ut in publico & solenni officio Ecclesiæ, defunctorum commemoratio institueretur, ubi defuncti precibus unanimibus Ecclesiæ & Deo commendati fuerunt. † Hanc consuetudinem oppugnavit Aërius, teste Epiphanio, Augustino, Philastrio. Non fuit Aërius tanquam hæreticus hac ex causa damnatus. Fuit enim teste Epiphanio & Augustino, Arianus, teste Castrio, Tatianus. Consuetudinis, de qua loquimur, oppugnatio, non fecisset illum hæreticum. Illa enim non est aliquid, quod sacrarum literarum innititur testimonijs. Potest igitur absq; hæreseos nota oppugnari. Modò non fiat animo maligno & hâc occasione alia fundamentalia dogmata Ecclesiæ evertendi. Quod videtur fecisse ex relatione Epiphanij Aërius, ob id hæreticus & schismaticus.

§. 7.

§. 8.

§. 9. *Cur in Missa pro defunctis olim oratum?*

Non autem missæ sacrificium antiquitùs obtulit Ecclesia pro defunctis, sed ante sanctißimam communionem defunctorum in oratione memoriam recolebat, non quod ex amburentibus purgatorij flammis sint liberandi, sed 1. testimonij causâ. *Debet enim Ecclesia militans testari apud Deum de agone fidelis spiritali militia defuncti, quantum ipsa externis signis novit. Sicut & electi judicaturi sunt in extremâ & censoriâ illâ die testificando de malis. Hoc autem fecit Ecclesia Vetus suo quodam consilio, formâ orationis.* 2. gratitudinis. *Deo enim illâ defuncti commendatione aguntur gratiæ, quod voluerit militem in statu viæ gratioso suo munimento adversus imminentia terriculamenta stabilire.* Conf. Elmenhorstum *in notat. ad Arnobij dissertat. adv. gentes pag. 78. & 79.* 3. Submissionis. *Omnia hac ratione Deo transscripserunt soli, largitori boni, dum continuationem misericordiæ ejus erga defunctum exorare voluerunt, non quod de continuatione dubitarent, sed ut omnia à Deo dependere indicarent.* 4. Voti. *Non quod non poßideri illud à defuncto, quod vovent, crederent, sed ut testarentur, quod triumphantem ex hac militiâ in cœlos ingressum lætißimis prosequantur animis.* 5. conjunctionis. *Voluerunt indicare, non abscissos esse ab Ecclesia, qui defunguntur in fide vitâ, sed præmissos tantùm & quidem ita, ut adhuc capiti Christo inserti sint.* 6. Incitamenti. 7. Solatij tùm *erga alios,* tùm *inprimis erga eos, quos in luctum constituit & desiderium defunctus. Hæ causæ pios Veteres ad introducendum hunc ritum extimularunt*

§. 10. *Tertullianus.*

† *Hinc* Tertullianus *de Coron. Milit. cap. 3. & 4. pag. 180. fatetur,* non stabiliri hunc ritum autoritate scripturæ & annumerat illum traditioni non dogmatum, sed rituum, ut exorcismo, uti vocant, trinæ immersioni, signationi crucis, geniculationi, &c. *Vide ad illum locum* B. Rhenanum *in Annotat. p. 63.*

§. 11. *Epiphanius.*

† Epiphanius *loc. cit. non ad dispositionem dominicam, sed* ad statutum Ecclesiæ illam oblationem deducit. *cui ex Pontificijs subscribit* Ludovic. Nogarola *de Apostol. instit. tradit. 32.* & Bellarminus *l. 2. de Miß. cap. 7. §. At nos etiamsi: ait.* At nos etiamsi solùm *Chrysostomum* haberemus, (*quo oblationem pro defunctis Apostolicam traditionem crederemus*) mallemus illi, quam *Chemnitio* credere. Plus enim multò valet illius autoritas, quam omnia hujus argumenta. Nam quod dicit in scripturis id non reperiri, quis negat? Neque enim nos ad scripturam, sed ad traditionem non scriptam Apostolorum referimus hanc eorum traditionis constitutionem.

Contradictio.

Immemor sui est Bellarminus, qui alibi magno apparatu ex scripturis pro hac sententiâ pugnat.

§. 12.

† *Non*

autem

autem animo liberandi ex purgatorio Pios Veteres *ejusmodi oblationes instituisse patet, quia* anniversariæ erant illæ oblationes, *ut* Tertullianus *loco cit.* Cyprianus *Ep.33. fatetur; imò* pro quibus offerebantur, requieverunt in Domino. Epiphan. *contra Aer. loc. cit. Vnde etiamnum Romana Ecclesia* orat pro omnibus in fide dormientibus. *Non autem credibile est, Martyres, aut eos, qui in fide dormiunt; esse in purgatorio. Quod autem eo animo, quem nos supra indicabamus, fecerint, docet* Origenes *in Iob. l.3.* Nazianzen. *Orat. in funus Cæsar. pag. 58. 59.* Chrysostomus *ad pop. Antioch. hom. 70. & in Matth. hom. 32. & in Act. hom. 21. & 1. Cor. 15. hom. 41.* Anrbrosius *de obitu Valentiniani Imperat. Tom. 3. pag. 12. Ita* Augustinus *pro Matris suæ obitu voluntaria oris sui offert, quæ approbari petit, non quia dubitet de illius salute, sed pio erga eam ductus affectu.* † *Ita* Salmeron *Tom. 14. tract. 26. pag. 235. ait*, Eclesiam certam quandam precandi rationem complecti, qua nihil novi à Deo petamus, sed ea tantùm, quæ jam actu facit Deus & quæ semper faciet, & quæ aliter efficere non potest, etiamsi maximè velit, tamen, ut illud faciat, seriò rogamus, &c. *Et non necessarium esse, ut animo liberandi à purgatorio rogasse V. Patres pro defunctis statuamus, docet* Bellarminus *l. 2. de purgat. cap. 5. Possumus enim ex illius sententia dicere*, orasse Patres propter judicium generale, in quo qui in fide obierunt secundam sententiam accepturi sunt. Quocirca, *inquit Bellarminus*, Ecclesia orans, ne in extremo judicio anima cadat in obscurum, néve absorbeatur à tartaro, non orat pro re, quam accipit, sed quam acceptura est. † Salmeron *Tom. 14. pag. 220. tr. 25. hac ex causa fatetur*, non esse bonam consequentiam, pro aliquo oratur. E. est in purgatorio, quia sæpè precationes fiunt pro eo, qui vel in cœlis, vel in gehenna est. *Ita ipsis Pontificijs asserentibus incerta est pro defunctis oblatio. Contra* Card. Baronium *Tom. 1. Annal. An. Chr. 34. sect. 319. pag. 277. hac consequentia utentem. Non itaq. credibile est, Patres propitiatoriam & liberatoriam aliquam voluisse statuere in sacramento cœnæ oblationem.*

Tertullianus. Cyprianus Epiphanius. Origenes. Nazianzenus. Chrysost. Ambrosius Augustinus. §. 13. *Bellarminus.* §. 14. §. 15.

CONCILIA, *quæ crepat Herbertus, ipsius causam nulla parte juvant. Nam* VASENSE *vel* Vasionense Concil. *in Gallijs tempore Leonis I. ut refert* Crabbe *Tom. 1. Concil. pag. 338. erat tantùm octodecim Episcoporum, nec loquitur* de oblatione Missæ, *sed* de oblatione alimoniæ & aliorum ex legato defuncti distribuendorum. *Ita Canon* 4. Qui oblationes defunctorum retinent & Ecclesiis tradere morantur, &c. † CARTHAGINENSE III. *Episcoporum quadraginta*

Concilia examinantur. §. 16. *Carthaginense.* III.

quatuor cap. 29. facit mentionem commendationis Episcoporum & aliorum defunctorum, *sed quæ* solis orationibus fiat, non celebratione sacramenti altaris, *ut expressè præcipitur. Absq; judicio ergò Herberus cum Bellarmino illud adducit.* † CARTHAGINENSE 4. *Canone 79. pag. 258. iterum non loquitur* de oblatione aliqua missatica; *sed loquitur* de eo casu, ubi is, cui pœnitentia publica injuncta est, absque absolutione publica interea temporis, periculo quodam præventus, ita moritur, ut tamen constet, eum leges pœnitentiæ attentè observasse, *& dicit Concil.* illius memoriam non esse excludendam ab Ecclesia, sed commendandam tùm in universum orationibus, tùm sigillatim oblationibus: *quibus oblationibus missam intelligi nullo charactere probari potest.* † BRACCARENSE I. *Tom. 2. Concil. pag 112. iterum nihil* pro oblatione missatica. *Can. 34. Ait enim* eos, qui sibi ipsis violentas intulerunt manus, non esse commendandos Ecclesiæ in oblationibus, precum sc. *Can. 39. ait*, id, quod in festivitatibus Martyrum & commemorationibus defunctorum ex collatione fidelium offertur, diligenter colligendum & inter Clericos dividendum. *Vbi hîc Missa? ubi?* † *VALENTINVM Galliæ nihil habet* de oblationis aliqua saltem specie. *VALENTINVM verò Hispanicum sub Theod. R. T. 1. Concil. pag. 558. cap. 4. nihil etiam continet, quod hûc trahi posset, nisi,* quod Episcopus mortuus non statim sit humandus, sed honorificè commendandus. *Sed quid hoc ad Missam?* † *AVRELIANENSE sub Clodovæo Tom. 1. pag. 565. Can. 16. & 17. loquitur quidem* de oblationibus, sed non missaticis, verùm de donationibus bonorum temporalium à fidelibus vel ad altare factis, vel in terris, vineis, atque peculiis. † *WORMATIENSE, quo anno celebratum sit, non constat: videtur certè multis de causis non esse valdè antiquum: habetur Tom. 2. Concil. sect. 2. pag. 117. Missam autem adeò non tuetur pro defunctis offerendam, ut mirum sit, eo impudentiæ progredi potuisse Bellarminum, ut Concilium hoc eò allegaret. Nam Herberum id non inspexisse, Bellarmino & Coccio credidisse, extra dubium est. Bellarminus citat cap. 6. Sufficit ad rem detegendam titulus. Est talis.* De oblationibus fidelium, seu de redditu Ecclesiæ, quod portiones fieri debeant. *Iterum quæro, ubi Missa?* † *In TRIBVRIENSI, quod antiquum etiam non est, & alia habet, quæ improbari jure queant, nihil habetur* de oblatione in Missa pro defunctis facienda: *cap. 15. ait*, posse defunctum sepeliri, juxta locum congregationis Monachorum aut Monialium, ut illorum intercessionibus levetur. *Sapiunt hæc nimium*

§. 17. *Carthaginense. IV.*

§. 18. *Braccarense. I.*

§. 19. *Valentinum.*

§. 20. *Aurelianense.*

§. 21. *Wormatiense.*

§. 22. *Triburiense.*

mium Papismum, ideoq; deserimus. Interim Conciliorum *allegationem impertinentissimam Herberus quî tutabitur? Nam quod ad Oecumenica*, Lateranense, *Anno* 1215. Constantiense, Florentinum, Tridentinumque *attinet, meritò magni illa non fiunt.*

Græcos *quod jactat*, sibi *in hoc capite* de oblationibus Missaticis, pro defunctis in purgatorio, instituendis consentientes, *est contra* Johannis Episcopi Roffensis *confessionem, qui in refutat. articul. Luth. art.* 18. *recenset*, quod non tantum purgatorij & oblationum missaticarum, pro iis, qui ibi purgantur, apud priscos Patres, vel nulla vel rarissima facta fuerit mentio, sed & in hunc usque diem à Græcis non sit creditum. Neque etiam à Latinis simul omnibus, sed sensim receptum. *Id habet etiam* Alfonsus Castrensis adversus hæreses *tit. de Purgat. pag.* 382. atque adjungit Græcis Armenos. *Subscribit* Sixtus Senensis *lib.* 6. *Biblioth. Sanctæ annotat.* 259. *pag.* 223. *ubi* meminit Marci Ephesini Episcopi: Ille verò *in Apologia pro Græcis Concilio Basileensi exhibita ait*, Ignem purgatorium & expiationem per ignem ad tempus & finem habentem in universum neque à nostris doctoribus accepimus, neque Ecclesiam Orientalem scimus sentire. † *Videatur* Nicolaus Cabasilas Græcus *in expositione Liturgiæ* Gentiano Herveto *interprete, qui cap.* 45. *pag.* 142. *&* 143. vocat eos, pro quibus, dum celebratur sacramentum cœnæ, publicè Ecclesia orare solita est, promptius & melius se habentes ad servatoris participationem, quam viventes: *dicit* illos esse multò aptiores ad fruitionem mysteriorum, quam si corporibus adhuc tecti essent: esse in diversis mansionibus pro diversa virtutum ratione: esse mediocres in quiete collocatos, melius se habere, cum è corpore recesserint, quam cum vixissent in corpore. *adde* Germanum Archiepiscopum Constantinopolit: *in rer. Eccles. Theoria pag.* 102. *b. Quicquid tandem Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus dicat. Nos brevitatis in his, aliàs fusè disputatis, studiosi, pergimus ad.*

§. 23. *Græcorũ autoritas.*

§. 24.

CAPUT XII.

MISSARUM PRIVATARUM INANITAS ostenditur. Linguæ Latinæ in ſacris ubique introductus uſus reprehenditur, ritus breviter excutiuntur.

ASSERTIO. *Miſſas privatas ſolis conjecturis leviuſculis nixas antiquitas ignorat: Conſecrationem verò ſanctiſſimæ hujus cœnæ linguâ ſolùm latinâ celebrari ineptiſſimum eſt. Tandem rituum indigeſta illa, gentilis & inimica congeries non reſpondet admirandæ tanti myſterij dignitati.*

§. 1. EXEGESIS. *Tria ſunt, quæ in hoc capite duodecimo breviter, properamus enim, ſunt expedienda.* I. *De Miſſis privatis:* II. *concernit latinæ linguæ in Occidentalibus Eccleſiis inter* celebrandum uſus: III. *Ritus varios.*

§. 2. *De miſsâ privata. Heinriquez.* *PRIVATAM MISSAM Herberus definit* ſacrificandi rationem, à Sacerdote factam, nullo eorum, qui præſto ſunt, communicante. Ad hanc non neceſſarium eſſe, *ait* Heinriquez *l.9. 9.Theol. Mor. cap.30.pag. 557.* ut multi miniſtrent: ſatis *inquit* eſt, ex conſuetudine unus, qui miniſtret ſacerdoti: ſed expediret eſſe plures, juxta cap. hoc quoque; *de conſecr. diſtinct.* 1. quia ad plures dicit, Dominus vobiſcum. At unus reſpondet nomine totius Eccleſiæ: ſi ſacerdos careat miniſtro, ſatius eſſet etiam in feſtis, non facere ſacrum, niſi feſtum valde ſolenne & neceſſitas videantur concedere interpretativam Papæ licentiam.

§. 3. *Miniſter miſſæ privatæ.* † Qui miniſtrat, debet eſſe vir: feminæ, ut moniales, poſſunt à longè miniſtrare reſpondentes miſſæ: ſed ſecluſo Papæ privilegio, quod concedit, ut moniales urgente neceſſitate per feneſtellam altari propinquam miniſtrent, potius ſacerdos deberet ſibi miniſtrare urgente

NB. neceſſitate, in miſſa privatâ, quam uti feminæ miniſterio. *Hæc* Heinriquez *ex* Democharis Monchiaceni *de Miſſ. lib. 4. c. 30.* 31. Navarro Azpilcueta *in conſ. 36 l. 1. t. 11.* Bellarmino, *l. 2. de Miſſ. cap. 9.* Torrenſi *lib. 4. Conſ. c. 7.* §. 11. Dominico Soto *diſt. 13. q. 2. art. 5.* Ayala Pereſio *de trad. div. part. 3.* Ledeſmio *q. 24.*

§. 4. *Antiquitas miſſa-* *Varias conquirunt autem Pontificij conjecturas, ut ejuſmodi miſſas privatas mantelo quodam antiquitatis involvant & cohoneſtent. Herberus ex* Bellarmino & Coccio *adducit exemplum* S. Luciani,

qui

qui in carcere ita catenis humi pressus & districtus, ut erigere se *rum pri-*
non posset, pectore suo pro ara ad celebrandam Eucharistiam *vatarum.*
usus fertur à Nicephoro. † *Resp.* Nicephorum *sæpè aliàs etiam Ponti- S. Lucia-*
ficij non magni faciunt. Baronius *Tom.1. Annal.ad Ann. Christi.* 41. *nus.*
dist.16.& Ann.63. dist.2.& Tom. 2. Ann. 110. *sect.*10. *& Ann.258.dist.* §. 5.
18.*qui & in universum de antiquioribus rerum Ecclesiasticarum ob- Nicepho-*
servatoribus conqueritur, difficile esse invenire aliquem, qui in *rus quan-*
omnibus verum assecutus fuerit. Cæsar Baronius *in præfat. ad tus Baro-*
Annal. §. At major ex alijs. † *Vt ut sit, non constat ex* Nicephoro, *nio.*
solum in carcere detentum Lucianum fuisse: potuit aliis, id quod con- §. 6.
secravit, quoq; distribuere. Et si sibi soli administravit, non fecit eo ani-
mo, quo Pontificij hodie, ut vel nomine Ecclesiæ offerret, vel certam per-
sonam aut seipsum, paulo post interficiendum, ex purgatorio libera-
ret. † *Profert Herberus* Ambrosium, *qui asserat*, Græcos quotidie §. 7.
celebrasse Eucharistiam & tamen non nisi post annum commu- *Ambrosi.*
nicare consuevisse. *Resp. Aut loquitur* Ambrosius *de diversis secu-*
lis Orientalis Ecclesiæ, aut de diversis locis. Alias contradicit Basilio,
Nazianzeno, Chrysostomo, *& alijs, quos luculentiores de Orien-*
tali Ecclesia testes judico. † *Addit Herberus*: etsi probandum fo- §. 8.
ret, quod in Ecclesia INFANTILI (*ô infantilem hominem*) factum *Primitiva*
condiscimus, ut populus quotidie cum sacerdote communicet, *Ecclesia*
nullam tamen sacrificij mutilationem admitti, si quando po- *Herbero*
pulo non communicante sacrificatur. † *Resp.* 1. *Nondum id pro- infantilis.*
batum est. Exempla enim adducta nil arguunt: talia sunt etiam Bel- §. 9.
larmini; ut quod de missa in memoriam S. Osvvaldi Regis *commen-*
mentum ex Beda *commemorat & quæ sunt alia, certè indigna, qui-*
bus aliquid considerationis seriæ impendatur. Itaq; Bellarminus *tan-*
dem fatetur l.c. NUSQUAM LEGI EXPRESSÈ, à Veteribus obla-
tum sacrificium sine communione alicujus, vel aliquorum præ-
ter ipsum sacerdotem. *Vnde ad* conjecturas *confugit. At quis* con- Ivo Car-
jecturis *niteretur in re tam sacrosancta? præsertim tàm inanibus?* notensis
Affert ex Ivone Carnotense *Concilium* Nannetense, *cap.* 30. *ubi part. 3. c.*
Presbyteris injungitur, ne soli celebrent Eucharistiam, sed ha- 70.
beant aliquem, qui respondeat. *Resp.* Concilij Nannetensis *Acta Conciliũ*
non habentur: Ivoni *autem summam fidem non tribuimus. Vt ut Nanne-*
autem sit, Nannetense Concilium *non loquitur* de communione *tense.*
populi, sed administratione sacerdotali: *& vult*, non debere u-
num sacerdotem sacram populo administrare Eucharistiam; re-
quirit igitur, ut ad minimum alter ex ordine sacro adsit, qui in
testimo-

§. 10. testimonium adstet missæ. † *Concilium* Toletanum XII. *& ex eo* Canonem 5. *adducit porrò*, ubi reprehendit Concilium Sacerdotes, qui in celebratione Eucharistiæ ipsi non communicant. *Resp. Sacerdotes illi, vel* Bellarmino *judice, impegerunt in sacros canones & essentiam sacrificij sustulerunt, secundum* Becanum. *In quem finem igitur allegantur. Tum non sequitur, si ipsi sacerdotes non communicarunt, neminem communicasse. Populus enim nihilominus communicavit. Id vult* Concilij *ratio. Ait*, quale erit illud sacrificium, in quo ne ipse sacrificans participat. *quasi diceret.* Quomodo alij ex hoc sacrificio participabunt, si ne ipse sacrificans? † *Ait* Paulinum Nolanum *Presbyterum fuisse creatum & tamen nulli certæ Ecclesiæ alligatum: sacrificasse itaq; absq; communione populi. Resp. Cur non concludit* Bellarminus, *ipsum planè non sacrificasse? Aut, annon potuit interim accersitu Episcopi inservire diversis Ecclesiis, celebratione & communione?* † *Conjicit ulterius Bellarminus ex eo, quod plurimi Sacerdores quotidiè celebrarint & populus rarò communicarit, sæpius illos absque communione celebrasse. Resp. Probetur, ibi sacerdotes quotidiè celebrasse, ubi non quotidiè erant communicantes. Id nunquam probabitur!* † Ultima conjectura Bellarmini *est pro Missa privata absq; communione celebrata, quia* missæ fiebant pro causis & negotiis particularibus, ut pro defunctis & fuga dæmonum. *Resp. Quomodo pro defunctis obtulerint, jam supra dictum est. Fallit, qui asserit, priscos Ecclesiæ purioris Sacerdotes ob defunctorum memoriam solùm instituisse missam. Accessit commemoratio defunctorum celebrationi Eucharistiæ, sed non erat scopus institutæ Eucharistiæ. Fuga autem dæmonum per Missam tentata anile est delirium. Facilè hinc conjicere licet, quid de missis illis privatis & angularibus sentiendum sit, quarum fundamentum sunt tam frivolæ conjecturæ.*

Concilium Toletanum. — §. 11. *Paulinus Nolanus.* — §. 12. — §. 13.

§. 14. *Qua lingua consecrandum?*

De LINGVA porrò, quâ sacra Eucharistia celebranda sit & silentio in sacris mysteriis necessariò exhibendo, *respondet Herberus*, non vernaculam unicuique genti linguam in sacris mysteriis consecrandi adhibendam, sed unam ex illis, quas crux Christi consecravit. *Silentio verò opus esse*, ne imperitissimis ea vilescerent & riderentur, quia etiam Patres Catechumenos & Energumenos & publicè pœnitentes ejecerunt, obseratisque foribus administrarunt: quia in V. T. solus sacerdos in S.S. ingressus Deum consulebat: *quia* sufficit inter mortales etiam, si legatus id idioma usurpet in supplicatione pro populo, quod Rex intelligit, etiamsi populus id non intelligit. *Graves profectò rationes & ad centrum*

etiam

etiam terræ, ubi Papistarum infernus, penetrantes! Bellarminus *pro*
latinâ linguâ *pugnat. idq; ideò: quia* aliàs crebrò essent mutanda
missalia & unius gentis homo ad aliam gentem veniens non pos-
set sacrificium missæ celebrare, nisi prius illius gentis idiomate
cognito.† Salmeron *similiter ait, quia* Hebræa lingua in totum de- §. 15.
fecit, Græca tota est schismatica, solam Latinam esse in sacris re-
tinendam, *idq; partim* ne sanctum projiciatur canibus & marga-
ritæ exponantur porcis, *partim quia* Christus sacrificium incruen-
tum celebrans ait, Eli, Eli, lama sabacthani, lingua Romanis &
Judæis pariter ignotâ. † *Resp.* I. *Cum Pilatus* CRUCI *titulum* §. 16.
Christi tribus *illis* linguis *affixit, non hoc intẽdit*, ut has linguas in sa- *Lingua in*
cris tandem usurpari debere indicaret, sed ut, *censente* Didaco *cruce.*
Stellâ *in Luc. pag. 286. quibusvis nationibus tum Hierosolymam confluẽ-*
tibus consuetudine ita obtinente mortis patefaceret causam, &
obliquè Judæorum importunitatem traduceret. *Nec ad commen-*
dandas & sacris vindicandas has linguas divinus quidam instinctus in
Pilato ostendi potest: licet divinitùs ad majestatem Christi declaran-
dam impulsum fuisse, nemo dubitet. † *Si crux Christi hanc habet* §. 17.
vim, ut has tantum linguas ad mysteria Eucharistica adstringat, se-
clusis reliquis, cur non ad prædicationem Evangelij quoq; adstrinxit?
Faceret hæc res mirificè ad fidem Pontificiam, quàm per ignorantiam
Bellarminus mavult definire, q̃ per scientiam: quamq; Carbonariã Ho-
sius Cardinalis, & Greg. Valentian. *mercatoriam dicunt.* † *Si ex* §. 18.
singulari quadam sanctificatione linguarum in sacris usus pendet, cur
nõ illas linguas potius sacris attribuamus, in quibus incensore divino
spiritu die Penticostes magnalia Dei celebrata fuerant? Cumprimis,
quia, tum primã missam ab Apostolis celebratam, *quidam è Papa-*
tu asserunt. † Baronius Cardin. *Tom. I. Ann. varius est in commen-* §. 19.
danda Latina lingua. Et ut illam sacris mysteriis quam maximè adju- *An in cru-*
dicet, putat supremo eam loco, inter tres linguas in cruce cele- *ce lingua*
bres collocatam fuisse; *contra fidem amanuensis divini. Imò con-* *latina su-*
tra seipsum, ad Annum Christi XVI. commentantem, scribit ad An- *premo lo-*
num XXXIV, frustum ligneum è titulo crucis inter sacras reliquias *co posita?*
repositum esse, cui titulus inscriptus & supremo loco Hebraicè. *Baronius*
† *Indignum est, quod de auditoribus suis ajunt*, sanctum projici ca- *sibi con-*
nibus, si sacra vernacula celebrentur lingua, quæ ab ipsis intel- *tradicit.*
ligi potest. *Certè maxima Sacerdotum pars in missis suis habet au-* §. 20.
ditores non peregrinos, *sed* ordinarios. *Illos* aut omnes judi- *Sanctum*
cat esse canes & ideò sanctum illis non projicit: aut aliquot in- *canibus nõ*

projiciendum quomodò. ter eos habet canes. *At cur hos non ejicit, aut corrigit? Cur continuò hos tolerat, ut ita impediant, quo minus reliquis proponatur sanctum? Habeat licet peregrinos, non tamen justum est, unius aut alterius canis causa sacrum occultare peregrinitate linguæ.*

§. 21. *Quorsum autem illud, Christum verbis* Eli, Eli, lama sabbachtani, *sacrificium cruentum obtulisse? Explicet Herberus Salmeronianum hoc effatum, aut absurdorum sequetur seges.*

NB.

§. 22. Mutatio Missaliū? † *Illud verò insinis ignaviæ est specimen, quod conqueritur* Bellarminus, *sacrorum in vernacula linguâ usum crebram Missalium allaturum mutationem. Quid enim ad sacra Christiana* Cento ille missaticus? *Aut quid incommodi sequetur, si ad declinantem linguam & variantem accommodemus verba, quibus sacrum hoc dominicum administratur? Euangeliorum certè explicatio dialecto varianti accommodatur. Si hîc nihil periculi, nec ibi periclitabimur? Ac, cur sic timet sibi à mutatione? Quotusquisq; ex Pontificibus, intra seculum cathedram iniquitatis qui possederunt, non aliquam addidit Missali correctionem? Taceo variationem in superioris seculi missalibus. Piget nimirum ignavissima pecora laboris, quem impendant in sacro Evangelij sonitu clarè fidelibus Iesu Christi intonando. Alia mens erat & etiamnum est fidelium Iesu servorum, quorum ope in celeberrimas quasq; linguas Evangelicus scripturæ Codex transfusus est. Celebrarunt sacram Eucharistiæ liturgiam* in lingua Syriaca Syri, in Aethiopica Aethiopes, in Mozarabica Mozarabes in oris Hispaniæ, in Sclavonica Sclavi, in Ruthenica & Moscovitica Rutheni & Mosci, *in alia, alij, absque tamen periculo aut naufragio exinde parto.*

§. 23. † *At* impedit vernaculæ linguæ in sacra introductio, ne ex Hispania aut Italia in Germaniam profectus Sacerdos missam ibi celebrare queat. *Quid tum? Utinam ex Italiæ & Hispaniæ oris tot errorum in Germaniam sparsa non fuissent semina. Sat habet unaquæq; terra, quos operationi sacræ ex suis præficiat! Sed hæc de linguarum in Eucharistiæ sacro necessariarum qualitate controversia alibi latius est deducta: unde Herberus discutienda quærat plurima.*

§. 24. Silentiū aut Murmur potius missæ: † Cæterū de silentio, quod majestatem mysteriorum conservat & ne evilescant, curat, *fatetur* Salmeron, olim ea, quæ hodiè submisso murmure & tacito labiorum agitatu significantur, etiam altâ voce dicta fuisse. *Tom. 9. pag. 252. An silentium prohibeat, ne vilescant mysteria, dubito. Existimo autem longè vilius sentire homines de murmure illo & obscurissimo susurro, quam si claro sonitu magnalia Dei in mysteriis proposita demonstrentur. Ferit arcano contactu & secretissimâ vi animum,*

non

non penitùs immersum malo, vox divina mysteria resonans, & symbolis illis, quibus ad communicationem sui utitur Deus, existimationem rebus dignam conciliat. † *Quam egregium verò est Herberi de legato* §. 25.
simile. Passim, *ait*, inter mortales sufficere experimur, dum modò *Simile*
legatus regi pro plebe supplicabundus illud idioma usurpet, quod *dissimile.*
tam ipse, quam rex percipiat, cujus deinde fructus peræquè in circumfusam plebem, etsi ignaram idiomatis, redundet. *Atqui verò legatus peregrino & plebi ignoto idiomate utens in supplicatione ad Regem pro plebe, ideò illud facit dubio procul, quia Rex plebis linguam vel idioma aut nescit, aut fastidit. Nulla enim aliàs esset ratio, cur legatum, in propriæ gentis idiomate supplicantem, audire nollet Rex. An verò Deus seu nesciat, seu fastidiat alia præter Latinum idiomata, Herberi judicium esto. Meus apud Deum legatus me præsente mea lingua utatur, aut deceptorem suspicor, jure dicat populus Papisticus.*
† *Libro 2. de Sacram. cap. 31. Bellarminus ait*, ideò Sacramentum §. 26.
Matrimonij non esse latina lingua administrandum, quia inter conjungendos requiritur consensus. An non verò arctissima *sit per sacrum hoc Eucharistiæ opus Dei & hominis conjunctio? Nonne igitur consensus requiritur? Vtiq;. Cur igitur non removetur Latina lingua, quæ tanquam velum quoddam plebeculam à conjunctione firmiori arcet.*

RITVS, *quos paulatim attexuerunt antiquiores celebrationi S.* §. 27.
Cœnæ, non omninò nec omnes repudiamus. Decet tamen, nihil intro- *Ritus Mis-*
ducere in hoc sanctissimum sacramentum, quod non admirandæ *satici.*
ejus dignitati, Institutoris infinitæ sanctitati & Christianæ gravitati conveniat. *Violat etiam tremendam mysterij dignitatem multitudo rituum & occupant gesticulationes illæ simpliciorum animos, ne ad ipsum rerum nucleum penetrent. Certè major videtur esse necessitas modestæ rituum sacrorum paucitatis, quam silentij. Verè projicitur sanctum canibus, quando ineffabile & inexplicabile sacramentum obnubitur & gesticulationum variarum gyrationes populo ostenduntur.* † *Certè si ritus Pontificios intueamur, multum declinasse illos à* §. 28.
sanctitate & gravitate antiquâ elucet. Ethnicismum subinde redolent. *Ethnicis-*
Conqueritur id Lilius Gregorius Gyraldus Ferrariensis *in præfat.* *mus.*
de Vita Herculis ad Herculem Ducem IV. Ferrariensem *pag.* 44. *Lilius Gre-*
Ideò lubentiùs has fabulas agere volui, quod in his literis sine ul- *gorius Gy-*
lo piaculo læsæve pietatis & religionis crimine aliquid aliquan- *raldus.*
do vel tollere vel elevare liceat. Si enim novam aliquam arbitratu meo in sacris literis interpretationem, vel ita ut sit alienam à no-

à nostra pietate historiam ad ornatum ritúmve ac ceremonias aliquando afferrem, à quibus videri possent nostra, si non deducta, aliquo saltem modo derivata, vel deflexa, UT CERTE NON PAUCA OBSERVAVI: vel si quando, quod interdum effugere non possumus, in viventium Pontificum Antistitumque mores, si non potiùs abusus, inveherer, me extemplo impium & cum facinorosis hominibus aqua & igni interdictum imprecationibus dirisque ut devotum extra Christianorum consortium morosi isti incur-
§. 29. vicervices ejiciédum proclamarent. † *POLYDORVS VIRGILIVS,*
Polydorus *Scriptor Pontificius in præf. l.* 4. de Inventoribus Rer. *pag.* 239. *ait,*
Virgilius. Cæterum deinceps sylva Judaicarum ceremoniarum sic paullatim agrum dominicum occupavit, ut periculum sit, ne aliquando ipse Dominus illud agricolis crimini det, ab eisque petat; Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris? Verum ut non parum multa à Judæis, ita non modica ab aliis gentibus instituta, aut casu ratione ve accepta tam in frequentem usum consuetudinem ve venêre, ut pro nostris haberentur. *Hæc* Polydorus: *quem hac de causa* Expurgatorius index Madritianus Bernhardi Sandovalij Cardinalis Toletani *pag.* 723. *perstrinxit & aliàs plus quam* centum loca *ex eodem expungere jussit; quod & præstitit* Gregorius
§. 30. XIII. † *BEATVS RHENANVS in Annotat. ad libr.* 5. Tertulliani
Beatus adversus Marcionem *ait pag.* 105. Lustrationis februalis loco mor-
Rhenanus tuorum baptizatio fortassis fuit apud quosdam Christianos & ex illo lustrandi ritu solenni irrepsit. Equidem, quod negari non potest, ceremoniæ ardentium cereorum, quos *hodiè* Christiani eo die, qui purificatæ Mariæ dicatus est, ex more circumferimus, à Februalibus Romanorum sacris originem traxêre. Pertinaci Pagnanismo mutatione subventum est, quem rei in totum sublatio potiùs irritasset. *hæc* Rhenanus, *qui licet in* Indice Romano *totus prohibitus sit: ut fatetur* Possevinus *Tom.* 2. Biblioth. sacræ Apparat. *pag.* 150. *tamen in* Indice Hispanico Madritiano *non totus reprehenditur*: quindecìm *autem* loca *tantùm annotantur ex-*
§. 31. *pungenda, inter quæ tamen is, quem adduximus, non est.* † *Consen-*
Iacobus de *tiunt IACOBVS DE VORAGINE & CORNELIVS AGRIPPA.*
Voragine. *Ille quidem Sermone* 82. *de Sanctis ait*: Festum illud (*quod Proserpinæ*
Cornelius *dictum erat*) in honorem matris luminum transtulerunt, ut in
Agrippa. ejus honorem deferamus lumina, quæ nobis verum genuit lumen, ut jam non fiat in honorem proserpinæ sponsæ Dei infernalis, sed ad honorem sponsæ Dei cœlestis. *His verò cap.* 56. de scientiarum vanitate *ait*, Bona pars ceremoniarum, teste Eusebio, ab

Ethnicis in nostram religionem migravit. *Subscribit IVS CANONICVM, cap.* Decretis, *dist.* 21. *pag.* 62. *verba sunt.* Inter Pontifices quædam discretio servata est, ut alij appellentur simpliciter sacerdotes, alij Archipresbysbyteri, alij Chorepiscopi, alij Episcopi, alij Archiepiscopi, seu metropolitæ, alij primates, alij patriarchæ: alij summi Pontifices: horum discretio à GENTILIBUS maximè introducta est, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellarunt. Martinus à Roa Hispanus in singularibus suis totus in eo est, ut Christianos ritus ex Ethnicismo derivet. Sic de ornatu ramorum, quo templa adornantur, inquit, *l.* 2. *cap.* 11. *pag.* 169. *& seq.* Moris fuerat, ut nubentes puellæ, simul ut venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, unde Virg. velleribus niveis, & oleo ungerent, unde uxores dictæ, quasi unxores. Hæc Servius, sed ut verè, ita non aptè. Hinc enim non nuptiarum, sed sacrorum ritus, quò Sichæum uti numen aliquod inter divos relatum in templo marmoreo venerabatur, & eo quidem vittato, & festa fronde vestito, quò illa Ovidij spectant: *Martinus à Roa.*

Est mihi marmoreâ sacratus in æde Sichæus,
Appositæ frondes, vellera & alba tegunt.

Vittis autem aras, & templa, & Deorum simulacra, & victimas cingi solita, obscurum nō est, vel leviter eruditis: Virgil. Eclogâ 8.

Molli cingi hæc altaria vitta.

Et Statius ad Julium Menecratem:

Pande fores superum, vittataq; templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Virgilius Æneid. 2.

Vittæq; Deûm, quas hostia gessi.

Ubi Servius ipse: vel quæ habentur, inquit, in honore Deorum, vel quas habent ipsa simulacra. Festam autem frondem intelligit laurum, olivam, aut hederam, quibus templa festis diebus, & januas per urbem, ædes in nuptiis, aut urbis muros in lætitiâ publicâ, & in triumphis ornari mos erat. Æneid. 2.

Nos delubra Deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Et *lib. de die Natali, cap.* 18. *p.* 91. 92. Multi olim in his ritus ANTIQVI, sed Christiano more EXPIATI. Templa perinde, atq; olim ædes in lætitia publica, magnificè exornata: exhibitum epulum natalitium: data, & accepta munera: bona verba, læta gaudia, faustæ

precationes imperatæ: EADEM circa templa, & sepulchra Martyrũ, quæ olim circa genios, superstitione sublatâ; de quibus mihi singulis pauca dicenda, quæ B. Paulinus Episcopus maximè, & Prudentius poeta piissimus mihi suppeditabunt. Bona itaque verba, priore illo ævo, id est, læta, & benè ominata, cùm in omnibus sacris, tũ maximè natalitiis usurpata; eadem in nostris, *Et pag.93.* de Ethnicorum templis Tertullian. *in lib. de corona militis.* Ipsæ denique fores, ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. Festus autem hic ornatus in honorem martyrum quæsitus, atque ut sacra majori cum splendore peragerentur; non ut epulæ fierent; quæ seorsum à templis, tametsi aliquando intra illa. *Tertul. de corona milit.* Pro natalitiis annua die facimus, id est, diebus sanctorum natalibus sacrificamus: sive memorias Martyrum, ut ait *August. lib. 20. contra Faustum c. 21.* religiosâ celebritate cõcelebramus, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consociemur. *Audiatur etiam Baronius ann. 200. §. 5.* Templa festâ fronde ornari consuevisse, Ethnici scriptores frequenter demonstrant, & templorum signa, quæ in antiquis lapidibus passim Romæ sculpta visuntur: quod sibi nefas esse Christiani putabant. Unde Tertullianus in libello de corona militis: At enim Christianus nec domum suam laureis infamabit. Rursus verò idem auctor in libro quem scripsit de Idololatria, Postes à Christianis coronari, divinitùs fuisse vetitum docet his verbis: Scio fratrem per visionẽ eâdem nocte castigatum graviter, quòd januam ejus subitò annũciatis gaudiis publicis, servi coronassent: & tamen non ipse coronaverat, aut præceperat: nam antè processerat, & regressus repræhenderat factum. Adeò apud Dominum in hujusmodi etiam disciplinâ familiæ nostræ æstimantur. Hæc ipse. Sed (quod superius tomo primo Annalium dictum est) Christiani nonnulli haud facilè ejusmodi contineri poterant disciplinâ. Nam idem Tertullianus de iisdem hæc ibidem superius exprobrans, ait: at luceant (inquit) opera vestra. At nunc luceãt tabernæ & januæ nostræ, plures jã invenies Ethnicorũ fores sine lucernis & laureis, quàm Christianorũ. Quamobrem consultò quidem postea introductum videtur, ut, quæ erant gentilitiæ superstitionis officia, eadem veri Dei cultu sanctificata, in veræ religionis cultum impenderentur. *Idem ann. 44. §. 86.* Sed quid? Non licuit, quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre? ut majori Diaboli contumeliâ, quibus ipse coli voluerit,

Christus

Christus ab omnibus honoretur? ut inter alios fecisse constat
Magnum illum Gregorium, ob præclaras ab eo res gestas cogno-
mento Thaumaturgum, qui Gentilium ferias superstitionibus
cumulatas in festa ac celebritates sanctorum Martyrum commu-
tavit; §. 87. Ea quippe licentiâ, qua deorum delubra in Ecclesias
Christianorum sunt laudabiliter commutata, alij quoque ritus
Gentilium à nobis benedictionibus expiati, divino sunt cultui cō-
secrati. *Conferamus rem propiùs. Ethnici tamquam vis inesset præsens* §. 32.
*simulacris adulabantur, affabantur ea, sacrificabant coràm illis: ut lo-
quitur Arnob. contra gentes l. 1. Vnam ipsius etiam Mariæ imaginem Pō-
tificij honorant vehementius, quem alteram, coram unà sacrificari effi-
caciùs putant, quam coràm aliâ. Polyder. Virgil. de rerum Invent. lib. 1.
c. 3. p. 544. quem locum etiam expungere jubet Index Expurgatorius Hi-
spanicus. Gregorius de Valentiâ disputat. 6. de Idololat. q. 11. punct. 6. Eth-
nici coram idolis thus incendebant, Arnobius cōtra gentes lib. 7. libami-
na & thymiamata offerebant, Socrates lib. 2. hist. Eccl. c. 4. lampades &
Ceros accendebant, Lactantius lib. 6. Instit. divin. cap. 25. honorabant
statuas coronis & sertis, Arnob. libr. 7. vestiebant, circumgestabant,
Clemens Alexandr. in Parænet. ad gentes, in loco sublimi constituebant,
Augustinus Epistol. 49. altaria illis erigebant, Arnobius advers. gentes
lib. 7. vovebant illis. Augustinus. Ep. 45. Valer. Maximus lib. 1. Memorab.
c. 1. Hæc singula ritibus Pontificijs celebrari, compertissimum est. Hæc in
ornamentum missarum adornari, certissimum est.* † *Recenset rituum* §. 33.
illorum molem Ivo Carnotensis, *licet non universam. Vide Centur. XI.* *Ivo Car-*
Magdeb. cap. XII. p. 273. Graphicè quoq; eosdem delineat lumen in hi- *notensis.*
storiâ Germ. Sleidanus *& ex eo* Johannes Creccelius *libro singula-* *Creccelius*
ri. ut & doctissima Anatomia Missæ *è Gallicâ lingua Latinè versa, ex-* *in descri-*
cusa Anno 1561. Audiamus tantùm Ordinem Romanum, apud Hittor- *ptio. cerē.*
pium, cap. qualiter missa celebretu. Diebus solennibus Acoluthi re- *Solenni-*
gionis tertiæ & defensores omnium regionum convenientes di- *tas Papa-*
luculo in Patriarchio Lateranensi præcedunt Pōtificem pedestres *lis Missæ.*
ad stationem: stratores autem Laici à dextris & sinistris equi am-
bulant. Equitantes præcedūt Diaconus, primicerius & duo notarij
regionarij, defensores regionarij, subdiaconi regionarij. Post equū
Pontificis Romani vicedominus, Vestiarius, Nomenclator, & Sa-
cellarius. Unus ex acoluthis præcedit equum, gestans sacrū chri-
sma: si quis adire vult Pontificem dum equitat, descendit de equo:
petita benedictione discutitur à nomenclatore. Notarius in die
resurrectionis indicat ei numerum baptizatorum, portantur unà
Apostoli

Apostoli Epistolæ & Evangelium: aqua manus, patena, calix, scyphi, & pugillares, alij aurei, alij gemelliones argentei, cum colatorio argenteo & aureo, & alio majore argenteo: amæ argenteæ, cantatorium & cætera vasa aurea & argentea: expectant eum exeuntes acoluthi, & defensores & presbyteri ejus Ecclesiæ, ad quam proficiscitur. Pater diaconiæ & alij cum thymiaterio ei occurrunt, quidam præcedunt Pontificis sellare, quidam subsequũtur. Ingreditur secretarium, sustentatus à Diaconibus, qui eum susceperant de sellario descendentem. Ibi Pontifex mutat vestes & ipse & unà acoluthi, subdiaconi & reliqui se ad missam parant. Accenduntur cerei, subdiaconus tenens thymiaterium aureũ pro foribus ponit incensum. Cantores & pueri in duas acies dividuntur, cantatur antiphona ad introitum. Pontifex sustentatus ab Archiadiacono & aliis ingreditur, præcedunt septem cereostatæ, ipse salutat sancta, aliis innuit, alios osculatur: alij cantant: alij stant: alij sedent. *In alijs diebus minor erat olim solennitas, sed operosus semper apparatus. Multæ lotiones, adspersiones, cõsecrationes, processiones, retrocessiones, significationes, uno verbo, gesticulationes.*

§. 34. † *Defendunt ritus eosdem pro virili* Salmeron *T.9.p.249.* Bellarm. *lib.2. de Missa.* Huntlæus *Cõtrov. 9.c.7.& 8. Sed inani ausu, q. n. hîc sarciunt, alibi dissilit. Quia verò non placuit Herbero sollicitùs inquirere in veritatem omnium sigillatim rituum, nec nos id agemus: id monemus, ut idololatricam hostiæ elevationẽ ex scripturis & antiquitate curet Herberus impensiore cura. Est n. in firmamentum singulare mõstri missatici conficta.*

§. 35. † *Addimus superpõdij instar,* Apostolo & Priscos Antistites, simpliciùs lõgè & planiùs celebrasse missam, ut sic dicam, & ad recitata verba Institutionis solã orationem Dominicam annexuisse, *ut refert* Greg. M. Pontifex *in Registro lib. 7.c.63.* Platina *in Vitâ Sixti I.* Walfridus Strabo *de rebus Ecclesiast.c.22.* Berno Augiẽsis *de reb. Eccl.c.2.* Remigius Altisiodorẽsis Episc. *de celebrat. Missæ, c.1.* Rupert⁹ Tuitiẽsis *doctissim⁹ sui seculi Abbas lib.2.c. 21.* Durandus *in Ration. lib.6.c 1. Vide supra c.7.p.257. subscribit* Bellar. *lib.1. de Missa, c.27. licet* imemor sui *iterũ neget lib.2. de Missa, c.7. ut & illud negat* Greg. de Valentia *lib.1. de Miss.p.704. edit. Paris. & inprimis* Salmerõ *T.9. tr.32. p.253. Quã contradictione firmmus hoc, quicquid est laboris & exercitationis adversus Herberũ institutæ. Rogamus DEVM ter optimũ Max. ut ex arctissimo illo tot contradictionum involucro, quo se miseranda illa sua apostasia implicit, evolvere eum & in serenissimam divinissimæ, lucis apricitatem reducere velit.*

[Margin: *Gregorius Magnus. Platina. Walafrid. Berno. Remigius. Rupertus. Durãdus. Bellarminus sibi contradicit.*]

AD

AD
Mysariam Missæ appendix
DISSERTATIO
DE
AGNO PASCHALI
JUDAEORUM.

In cursu dissertationum Academicarum A. Chr. 1628. dissertationem aliquam de agno paschali placuit instituere, tum ut in gravissimo argumento exercitatione utilissima occuparemur, tum, ut ostenderemus, neque isto typo fulciri posse mysariam Missæ Romanensium. Illam ergo nunc subijciemus.



§. 1. *Resp. Conrado Rungio, Weimarsheimensi Norico.*

USTINUS, φιλοσοφίας μὲν ὁ ἀνὴρ τῆς δὲ καθ' ἡμᾶς καὶ μάλιστά γε τῆς θύραθεν εἰς ἄκρον ἀνηγμένος, πολυμαθείας τε καὶ ἱστοριῶν περιρρεόμενος πλούτῳ, ut loquitur Photius in Biblioth. p. 115. in Dialogo cum Triphone Judæo (quem in commentariis Thalmudicis *Tarphonem* appellari, sacerdotem divitem fuisse, *R. Aquibæ* conjunctissimum, &c. conjicit *Drusius* de trib. sectis lib. 2. c. 2. & tempore belli cum Barchocheba fictitio Judæorum servatore ex Syria profugisse Ephesum, meminit *Baron.* T. 2. Annal. p. 80.) pag. 232. Judæis mutilationem sacratissimi V. T. objecturus, inter reliqua, ita loquitur: Ἀπὸ μὲν οὖν τῶν ἐξηγήσεων, ὧν ἐξηγήσατο Ἔσδρας εἰς τὸν νόμον τὸν περὶ τοῦ πάσχα, τὴν ἐξήγησιν ταύτην ἀφείλοντο. Καὶ εἶπεν Ἔσδρας τῷ λαῷ. Τοῦτο τὸ πάσχα ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ ἡ καταφυγὴ ἡμῶν, καὶ ἐὰν διανοηθῆτε, καὶ ἀναβῇ ὑμῶν ἐπὶ τὴν καρδίαν, ὅτι μέλλομεν αὐτὸν ταπεινοῦν ἐν σημείῳ καὶ μετὰ ταῦτα ἐλπίσομεν ἐπ' αὐτὸν, οὐ μὴ ἐρημωθῇ ὁ τόπος οὗτος εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. Λέγει ὁ θεὸς

τῶν δυνάμεων. Ἐὰν δὲ μὴ πιστεύσητε αὐτῷ, μηδὲ εἰσακούσητε τοῦ κηρύγματος αὐτοῦ, ἔσεσθε ἐπίχαρμα τοῖς ἔθνεσι. *Ex verbis, quæ Eſdras de lege & conſtitutione Paſchæ commemoravit, hunc locum abſtulerunt.* Et dixit Eſdras populo. Hoc paſcha Salvator noſter & perfugium noſtrum. Ac ſi in animum induxeritis & in cor veſtrum adſcenderit, quod humiliaturi eum ſimus in ſigno, & poſtea ſperaturi in eum, non deſolabitur locus iſte in omne tempus, dicit Deus virtutum. Si in eum non credideritis, neque audieritis annunciationem ejus, deridiculum eritis gentibus. Eſdræ locum hunc à vulgata ed. abeſſe, notat *Perionius* in Annot. ad Juſt. *quærendumque* putat, *primum, unde Iuſtinus integra hæc habere potuerit: Deinde, cur ipſe & cæteri Chriſtiani ea in exemplaribus, quibus utebantur, non adduxerint, ut per temporum gradus ad nos ſalva pervenirent. Sylburgius* citat Eſdræ, cap. 6. v. 21. Atqui non habentur illa verba in editione Romana, quæ vetuſtiſs. exemplarium collatione ſuam integritatem probat, neq; Regio Operi illa inſerta ſunt ullibi apud Eſdram. Neque tandem in tertio libro Eſdræ tributo, quem *Benedictus Pariſ.* & *Gilb. Genebrardus* contra alios Pontificios in Canonem ponunt, *Iulius Rugerius & Th. Stapletonus* in eum à Papa acciri poſſe ſtatuunt, inveniuntur, quem libris ſub titulo Eſdræ notis omnibus præponit Græca ed. Romana, & Athanaſius in Synopſi primo ordine nominat. Vnde error *Fr. Vatabli, Fr. Iunij, Fr. Lucæ,* negantium, tertium Eſdræ extare Græcè. Nec Salmeron T. 1. proleg. 4. ubi undecim loca à Judæis ablata ex V. T. jactat, hunc proferre audet. Nec Hieronymus, qui poſt Juſtinum Eſdram ex Hebræo vertit & annotationibus illuſtravit, eum introducit. Neque in Eſdra apparet ullibi ille hiatus, quem verba à Juſtino prolata ſupplere poſſint. Nec credibile eſt, alijs clariſſimis chriſtianiſmi è V. T. firmandi fundamentis relictis hæc Judæorum conſilio abolita fuiſſe. Exiſtimamus

mus igitur, Justinum, ut in aliis, ita hîc quoque exemplaris cujuspiam Græci autoritate deceptum fuisse, ut hæc verba ad textum Hebræum pertinere statueret. Quoniam verò sententiam loci ibi non impugnat Tryphon Judæus, quæ est, Salvatorem generis humani in cruce exinanitum fidei objectum esse, & pascha N. T. mactandum esse salvatorem, placuit præmittere hoc monumentum vetustatis dissertationi nostræ, quam *de sacramento agni Paschalis* instituere, cum bono Deo, animus est.

SEDES sacramenti AGNI PASCHALIS, in sacris literis est Exod. 12. cap. & cap. 34. 25. & Lev. 23. 5. & Num. 9. à v. 1. usque ad 14. & cap. 28, 16. & Deut. 16, v. 1. & c. Josuæ 5,10. 2. Reg. 23, 21. 22. 23. 2. Paral. 30, 1. 2. 5. 15. 17. 18. & c. 35, 1. 6. 7. & c. Esd. 6, 19. Ezech. 45, 21. 22. 23. & c. Confer *Ioseph*. l. 2. ἀρχαιολογ. cap. 5. & *Philon. Iudæ.* de sacrif. Abelis & Caini, q. 108. & de migrat. Abrah. p. 307. & de vita Mos. p. 531. & de Decalog. p. 591. *Paraphrasis Chaldaica* Exod. 12. ex interpretatione *P. Fagij* ita loquitur. *Et dixit Dominus, &c. Mensis iste vobis principium mensium erit, primus erit vobis in mensibus anni, v. 3. loquimini cum tota synagoga Israel, dicentes, in decima die mensis hujus tollat unusquisque sibi pecudem juxta domum Patrum, pecudem pro domo, quod si minor fuerit domus, quam ut sufficiat ad vescendam pecudem, tollat ipse & vicinus ejus, qui propinquus est domui suæ, juxta numerum animarum, singuli pro esu suo numerabimini ad vescendum agnum. Agnus integer, masculus, anniculus erit vobis, quem ex agnis aut ex capris tolletis. Eritque vobis in custodiam, usque ad quartam decimam diem mensis hujus, mactabitque eum tota congregatio Israelis inter vesperas, & tollant de sanguine, ponantque super duos postes & in superliminari quæ sunt in domibus, in quibus comedent eum. Et carnem in nocte illa assam igni, & azymum panem cum amaris herbis comedant. Non comedetis ex eo crudum, neque coctum aqua, sed as-* §. 2.

ſum igni, caput ejus cum cruribus ejus, unà cum inteſtinis. Nec residuum quid facient, usq; mane, quod autem reſiduum manſerit ex eo, igni comburatis. Et ad hunc modum comedatis eum, lumbi veſtri accincti erunt, calceamenta in pedibus veſtris & baculi veſtri in manibus veſtris & comedetiis eum feſtinanter. Peſach eſt coram Domino, &c.

§.3. NOMEN communiter deſumitur ex Exod. 12, 11. פסח הוא ליהוה: quod chaldaicè dicitur פסחא הוא קדם ייי *tranſitus hic coram Domino.* SYRUS in N. T. פ in צ mutato פצחא Petzcha vocat. Nomen פסח à Græcis V. T. interpretibus in πάσχα deflexum eſt, excepto 2. Paral. ubi ea vox decies ſepties occurrit, & nunquam πάσχα, ſemper φασὲκ in Græco ſcribitur: unde ſuſpicari licet, hunc librum non ab eo autore, à quo Pentateuchus, tranſlatum fuiſſe. Cum præſertim aliàs conſtet, Græcam tranſlationem κοινὴν non eſſe integram illam ab interpretibus Ptolomæo Philadelpho Regi adornatam, ſed ex varijs Græcis verſionibus conſuſam, ut ex ſacrorum eorum librorum, quos è Græco tranſtulit in Op. ſuis Hieronymus, cum hac noſtrâ collatione & allegatorum inſuper Juſtini Martyris ex ſacris literis comparatione cum eadem facile oſtendi poteſt. Conf. *Perionium* in obſerv. ad Tryphonem Juſtini. Et ut פסח in φασὲκ ſive φασὲχ traducatur, *Theodotionus* (quem Ponticum *Hieronymus*, Epheſium *Epiphanius & Euthym. Zigabenus* nominant, Marcionitam prius, poſt Ebionæum factum, verſionem ſuam Marcionitis oppoſuiſſe tradit *Theodoretus.* Semichriſtianum vocat *Hieronymus*, aitque Eccleſias, Danielem non juxta LXX. ſed Theodotionem legere) verſioni conſentaneum eſſe, Theodoretus monet, ad Exod. quæſt. 24. Τὸ δὲ πάσχα ὁ μὲν φίλω ἡρμήνευσεν διαβατήρια, ὁ δὲ Ἰώσηππος, ὑπέρβασία, ὁ δὲ Σύμμαχος, ὑπέρβασις, ὁ δὲ Θεοδοτίων, φασὲκ, αὐτὴν τὴν ἑβραίων φωνὴν τεθεικώς. Philo Iudæus ſcribit lib. 3. de vita Moſ. πάσχα, lib. de Decal. πάσχα. Joſephus lib.

2. c. 5. πάσχα l. 5. c. 11. φάσκα. In N. T. Græco conſtanter πάσχα legitur. Latinus interpres in V. T. legit Phaſe, excepto Ezech. 45. & Eſd. 1. cap. 6. vbi Paſcha legitur. Quid ei venerit in mentem, ut, quod ab Hebræis dicitur Peſach, deflexerit in Phaſe, diſſerit *Ant. Nebriſſenſis* in annotat. cap. 33. p. 225. *P. exile*, inquit, *in aſpiratum verti, frequens eſt apud eos, qui de Hebræo ſermone transferunt in Græcum aut Latinum. Vt pro eo, quod Hebræi dicunt, Paro, Paſga, Paſur, Græci primum, deinde Latini tranſtulerunt Pharao, Phasga, Phaſur & mille alia. Scheva verò apex, qui ſubijcitur primæ literæ, cum ab ijs ferè ſemper per E. proferatur, Græci & Latini plerunque vertunt in A. ut pro eo, quod illi dicunt, Semuel, Zebulon, Rephaim, nos per A. proferimus*, & poſt. *Illud mirabile, quod placuerit Interpretibus Græcis & Latinis* ח, *quam Hieronymus duplicem adſpirationem vocat, ſubiecto patach ſive Camez ſemper vetere in E. ut Noah, Noe, &c.*

Originem vocabuli Hebræam, non Græcam eſſe, nec à πάσχω deſcendere, in hac luce literarum conſtat. Monuerunt idem olim Veteres, *Auguſtinus, Hieronymus, Nazianzenus, Iſidorus. Nebriſſenſis* animadvertit, *Ioan. Tortellium* & alios in Hiſpania ſuo tempore tradidiſſe, Græci fontis eſſe. Tribuit eundem errorem *Lactantio & Ambroſio. Lactantius* l. 4. c. 26. hanc quidem originationem tradit, ſed Hebræam etiam non obſcurè indicat. *Ambroſ.* l. 1. Hexaem. c. 8. & 1. de Cain. c. 8. tantùm docet, *Paſcha noſtrum eſſe tranſitum à paſſionibus ad exercitia virtutis, &c.* Tranſitum itaque nominat, licet à paſſionibus. *Irenæus* l. 4. c. 23. ait, *Paſcha nominatum diem, in qua paſſus eſt Chriſtus, prout præfiguratum fuerat per eandem.* Paulò clarius ejusmodi etymon Græcum aſſignaſſe videntur autor conflictus cum Serapione, qui creditur eſſe *Arnobius* non Africanus, ſed Romanus, & *Tertullianus* contra Jud. c. 10. Credi poteſt voluiſſe primum Græços ἐξελληνίζειν Hebræas quasdam voces,

ijsque propter ſimilitudinem ſoni Græcæ linguæ tribuere ſignificationem. Quod contigiſſe circa nomina Cephæ & Jeſu, quaſi caput & medicum ſignificarent, quia κεφαλὴ caput eſt, ἰᾶν mederi, patet. Fecit id *in primo* nomine *Optatus Melevitan.* l. 2. contra Parmenian. & autor ſuppoſititiæ Epiſtolæ 3. quæ Anacleto Papæ tribuitur. *Dionyſius* quem Areopagitam nominat vulgus, l. de div. nòm. c. 3. idem feciſſe dicitur, ſtatuente *Fr. Turriano* Jeſuita l. 2. pro Epiſtolis Pontificum, p. 166. ſed falſo. Vocat enim Petrum tantum κορυφαίαν καὶ πρεσβυτάτην τῶν θεολόγων ἀκρότητα pag. 281. ed. Pariſ. nullam autem mentionem facit deductionis ex Syriaſmo. *In poſteriori* præter alios fuit, *Cyrillus Hieroſolymitanus* Cateah. 10. quando ait, Ἰησοῦς ἐστι κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ὁ ἰώμενος. Sed *Epiphanius*, quem in hæreſi 29. Nazoræorum idem feciſſe Turrianus lib. cit. aſſerit, falsò producitur, ut & Philo ex l. de vita Contempl. Mos ergò fuit veterum, ut in vocibus peregrinis, quarum non ignorarent etymum, ſatagerent aliquid invenire, quod earum ſignificationi accommodarent, aùt, ut loquitur *Nazianz.* ſerm. 42. in S. Paſcha, traducerent τινὰ τῶν ὀνομάτων ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέρων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικοτέρων ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον. Sic *Ambroſius* Etymon duplex dat nomini Levites, lib. 2. de Cain & Abel. *In Levitis figuralis agni præceſſit myſterium, verum venturum Leviten, qui proprij corporis paſſione tolleret peccata mundi. Levites ſignificatur ſuſceptus pro me, vel ipſe mihi levis.* Sic *Anaſtaſius Sinaita*, Græcus, cum non ignoraret, unde vocabulum βάπτισμα deducatur, quod ſciret peccatum originale ſacro lavacro ablui, ſcripſit βάπτισμα dici, quaſi βάπτωισμα, ἐν ᾧ βάλλεται τὸ πταῖσμα. Sic ſcribit *Iuſtinus* in dial. cum Triphone, agnum qui totus aſſabatur, fuiſſe ſymbolum τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ, δι᾽ οὗ πάσχειν ἔμελλον ὁ χριστός. *Philo Iudæus*, etſi non dicit ille quidem expreſsè, πάσχα deduci à πάσχω, crebra tamen alluſione id videtur

detur significare, ut de herede rerum divin. pag. 345. & alibi.

Hebręam igitur voci originem præbuit radix פסח, quæ §. 5.
notat, transire sive transilire per intervalla, scil. è loco in locum, è latere in latus. Exod. 12, 13. & 23. Es. 31, 5. *Chaldæus Paraphrastes* reddit per חס, sive חוס. perpercit, ab ultione abstinuit. LXX. vertunt, per σκεπάζω protego. Exod. 12, 13. 27. παρέρχομαι. Exod 12, 23. διατρέχω. 3. Reg 18, 16. περιποιέομαι foveo. Es. 31, 5. χωλαίνω Claudico. 2. Reg. 4, 4. 3. Reg. 18, 21. Complutẽsis editio Fr. Ximenij, Archiep. Toletani secuta nonnullos ex Hebræis verbum Hebraicum פסח in toto hoc capite per misereri & parcere interpretatur, quia sic Onkelos quoque transtulit. Cæterum *Ant. Nebrissensis* l.c. innuit, *antiquæ Ecclesiæ sententiam esse, à transitu maris rubri hoc nomen factum, quia canit in hymno; post transitum maris rubri, Christo canamus Principi. Fr. Ribera,* Jesuit. eandem sententiam *Augustini* esse tractat. 55. in Johan. tradit. lib. 5. de Templo D. 3. Idem *Pererius* in Exod. p. 379. de Aug. asseverat. Sed nec *Ecclesiæ* nec *Augustini* ea est locis allegatis mens. Nam Ecclesia in hymno citato transitum maris rubri vocat baptismum ex 1. Cor. 10, 2. *Augustinus* verò ait quidem, *In Hebræa lingua Pascha transitus dicitur, propterea, quia tunc primum pascha celebravit populus Dei, quando ex Aegypto fugientes rubrum mare transiverunt*: sed hisce verbis tempus tantummodò nominis hujus, non causam ostendit, quam potius verbis sequntibus indicat. Philonem Jud. l. 3.. de vita Mosis & Joseph. lib. 17. Antiq. & Gregorium Naz. or. de pascha, à transitu Israelitarum ex Ægypto Pascha dici voluisse tradit Perer. Jes. in Ex. p. 379. Secundaria quadam notione hoc eos fecisse, didicisse debuisset Jesuita ex innumeris citatorum autorum locis. Itaque immediatè dicitur Pascha *à transitu sive transilitione* Domini, qua justo judicio pertinaciam Pharaonis punitu-

rus

rus primogenita Aegyptiorũ angeli percussoris potestati permisit, Israelitarum domos verò transilijt, & ab illarum ingressu vastatorem prohibuit. Hunc transitum transitus ex Aegypto & transitus per mare rubrum secuti sunt, ideoque tanquam miraculosa divinæ deductionis opera rectè conjunguntur.

§. 6. Quanquam autem PESACH sive PASCH a ratione originis notet transitum Domini cum percussore per Ægyptum, Ex. 12,27. tamen alias quoque ex usu formatore sermonis habet notiones. Itaque DEINDE notat חג *festum solenne & anniversarium*, in quo in memoriam horrendi transitus & gravissimæ percussionis agnus mactabatur comededebaturque, cujus institutio est Exod. 12,14. 2. Paral. 35. Ex. 12.43. c.34,25. Luc. 22. &c. TERTIO *totam* ei per septem dies adjunctam *azymorum solennitatem*, quæ eodem nomine dicitur, Act. 12,4. QUARTO singulariter ipsam *ceremoniam*, sacramque actionem, qua hoc sacramentum V. T. administrabatur, Ex. 12,43. QUINTO *agnum* in festo illa ceremonia conficiendum, Lev. 23,5. 2. Paral. 30, 17. 18. Matth. 27. SEXTO *antitypum* illius agni sacramentalis *Christum*, 1. Cor. 5,7. Vide hymnum *Damasceni* in dominicam Paschalis, ubi Dominus, postquam resurrexerat, dicitur pascha nostrum, & pascha æternum, ἀγαλλομένῳ ποδὶ πάσχα κροτοῦντες αἰώνιον. nisi malis accipere de ipsa festivitate & gaudio propter resurrectionem. Ibidem appellatur Pascha mysticum. *Socrates* lib. V. cap. 22. de Origine. ἐν πάσχα ἀληθινὸν γεγενῆσθαι λέγων, ὅπερ ὁ Σωτὴρ ἐπιτέλεσεν, ἐνεργήσας κατὰ τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων, διὰ τοῦ προσομιλῆσαι τῷ σαυρῷ. Socrati igitur sive Origeni pascha est sacrificium Christi in cruce. Aliquando etiam Pascha dicitur ipsa commemoratio hujus sacrificij, sive in Eucharistia, ut apud *Isidorum Pelusiotam* lib. 4. epist. 162. σπουδαῖον οὖν χρὴ τυγχάνειν τουτέσι φιλάρετον, τὸν μέλλοντα ἐσθίειν τὸ θεῖον καὶ ἀληθινὸν πάσχα. *Oportet studiosum esse,*

hoc

hoc est amantem virtutis eum, qui Pascha divinum & verum sit manducaturus. *Augustinus* contra literas Petiliani Donat. lib. 2. cap. 37. *Aliud est Pascha, quod adhuc Iudæi de ove celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Et *Greg. Naz.* Orat. 42. in Cœn. Dom. hoc sensu dixit communicantes μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα participare pascha, sive extra Eucharistiam, ut cum ait *Chrysostomus T.* 5. serm. 88. ἐπεὶ ἀεὶ δυνάμεθα τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλειν, ἀεὶ πάσχα δυνάμεθα ἐπιτελεῖν: *Quia mortem Domini semper possumus annunciare, semper possumus pascha agere.* SEPTIMO non prætermittẽdum, Pascha notare victimas, quæ septem azymorum diebus immolabantur. De qua notione ita loquitur *Serarius* ad Jos. cap. 5. p. 445. Bellarm. l. 4. de sacrif. Euch. Tolet. in C. 13, Joan. annot. 3. & 5. Suarez. Tom. 2. d. 4. s. 2. Tom. 3. d. 41. s. 1. Ribera l. 5. d. Templo. 3. ajunt, *Victimas, quæ septem azymorum diebus immolabantur, etiam vocari Pascha, Deut. 16. 1. & 2. Paral. 35, 8. & confirmari hoc putat locis indicatis Suarez ex Augustino, q. 24. in Deuter. Sed non queo annuere. Nam Deut. 16, 2. in Hebræo sic legimus. Immolabis Pesach Domino Deo tuo, oves & pecora. Vbi præceptum geminum est, unum de immolando pesach seu agno, alterum de ovibus & bobus immolandis, vid. quos Num. 28, 10. & 21. jusserat Dominus: & Suarez quidem T. 3. d. 41. s. 1. dicit, omninò concedendum, illic agi de agno paschali, sed in illis verbis v. 1. observa mensem, ut facias phase. Verum jam satis clarè ostendi, etiam v. 2. phase sumi pro agno. 2. Paral. c. 35. v. 8. in hebræo item sic legimus, Principes domus Dei sacerdotibus dederunt Lappesachim, id est, ut Paschata fierẽt, bis mille & sexcẽtos pecudes & boves trecentos. Vbi munus duplex videmus, bis mille sexcentos agnos, deinde trecentos boves, sed priores illi tantum, non isti vocabãtur paschata. Augustin⁹ verò quæstione citata tantũ dicit, boves adjici propter sacrificia diebus azymorũ immolanda, non autem dicit vocari paschata.* Hęc ille cum suis pugnat,

 cùm

cùm tamen uterque ſcripturæ textus ſignificato illi valde faveat. OCTAVO Alcuinus apud Thom. in Matth. 26. ipſos *azymos panes* appellari paſcha ait. Et certè in formula ſolenni, qua quilibet paterfamiliâs ad eſum azymorum domeſticos ſuos hortatur, paſchatiſmus vocatur azymorum eſus, ideoque & azyma paſcha ſunt. Ea verò formula eſt apud *Rambam* T. 1. l. 3. Hal. 1. Judæi etiam quatuor illa vini pocula, quæ in paſchali cœna exhauriunt, vocant paſchata.

§. 7. Cæterum circa hanc appellationem פסח הוא ליהוה hallucinantur I. *ſacrimentiperdæ*. Cum enim anxius hæreret *Zuuinglius*, ut copulam in verbis cœnę per ſignificat explicandam eſſe probaret, nocturni monitoris, quem ater an albus fuerit, ignoravit, impulſu hunc locum produxit, teſte ipſo in ſubſidio Euchariſtico: & in Coronide de Euchariſtia part. 2, Oper. p. 249. *Vera*, inquit, *narro, adeoque vera, ut celare volentem conſcientia cogat effundere, quod Dominus impertijt, non ignorans, quantis me contumeliis riſibusque exponam. Cum tredecima Aprilis lux appeteret, viſus ſum mihi in ſomno multorum cum tædio denuò contendere cum adverſario ſcriba, ſicque obmutuiſſe, ut quod verum ſcirem, negante lingua beneficium ſuum proloqui non poſſem, qui me angor, (ut ſolent nonnunquam ſomnia fallaci ludere nocte. Nihil enim altius, quam ſomnium narramus, quod ad nos attinet, quamvis leve non ſit, quod per ſomnium didicimus gratia Dei, in cujus ſolius gloriam iſta prodimus,) vehementer turbare videbatur. Ibi* ἀπὸ μηχανῆς *viſus eſt monitor adeſſe, ater fuerit an albus, nihil memini, ſomnium enim narro, qui diceret, quin ignave reſpondes, quî Exod. 12. ſcribitur, eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini, protinus ut hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergefio & è lecto exilio.* Hanc Zvvinglianæ informationis hiſtoriam repetunt *Beza* in Creophag. & *Lavat.* in hiſt. ſacram. Tractat & laudat ut divinum illud ſomnium Chr.

ZWinglij ſomnium ex Ex. 12.

Maſſo-

Massonius Anat. part. 1. p. 123. & seqq. *Paræus* l. 3. de Literâ & sensu verborum Eucharistiæ c. 9. p. 132. itidem statuit, *optimam & tutissimam eam interpretationem esse, quæ copulam Est exponit per significat.* Hi verò à sociennis suis satis refutati sunt. Vide *Crell.* l. 2. Isag. c. 2. dist. 7. *Keckerm.* l. 3. syst. Theol. c. 8. Can. 12. *Piscator*, qui olim Zvvinglij sententiam defenderat, in verbis his mutata sententia metonymiam ponit. Sic enim scribit ad C. 12. Ex. p. 140. Pascha est Jehovæ. Heb. פסח הוא ליהוה, id est, transitus ipsa Jehovæ. Quanquam vox Hebræa est generis masculini: ipse, scil. שה subaudi est transitus, vel potius transultio. Der Vberschritt / oder die vberhupffung / id est, signum memoriale ipsius transitus. Metonymia subjecti. Confer. infra v. 14. & c. 13, 9. Atqui quando in loco nostro dicitur, Pesach ipse Domini, non respicitur ad agnum comedendum per relativam, ipse, sed indicatur admirabilis eventus, qui coronidis instar decorabit comestionem Paschatos: nempe percutiens gladius Domini, præteritis Israelitis Aegyptios invasurus, cujus consideratione religiosè institutum sacramenti observandum. Sensus est, Comedite ex præscripto altissimi adhibitis ceremoniis agnũ. Ecce enim ille transitus Domini horribilis instat. Adde, si per חרא concederemus respici ad agnum, non tamen Zvvinglij errorem stabiliri, qui nititur copulâ est, quæ hîc non est, nec metonymiam Piscatoris firmari, quia, in nomine Pesach alia esse potest significatio, quia ut annotavimus, vel festum solenne, vel ceremoniam in agno sacramentaliter dispensando observandam, vel ipsum etiam agnum paschalem designat. Confer Ex. 12, 11. 21. 27. 43. 48. 2. Paral. 35, 13. 17. 18. Matth. 26, 2. 5. 17. 19. Luc. 22, 7. Joh. 6, 4. c. 18, 28. Act. 12. 4. Non habet ergò hoc loco fulcrum Calvinianorum esse significativum, quod à quibusdam *Pontificiis* etiam propugnari, non nemo tradit, qua in re te-

Yy 2 stes

ſtes producit duos, *Iohannem Teutonicum & Barthol. Brixienſem* in interpret. gloſſaria.

§. 8. II. *Sacramentirupæ* Pontificij. Quando enim verba פֶּסַח הוּא לַיהוָה à Chaldæo Paraphraſte ita redduntur פִּסְחָא הוּא קֳדָם יְיָ transitus hic coram Domino, colligunt exinde ſacrificiũ. *Lorinus* in Lev. p. 757. Ex iſta ſermonis formula colligi poteſt, agni paſchalis jugulationem ſacrificij rationem habuiſſe. Atqui 1. Chaldaiſmꝰ eſt, ut pro לַיהוָה & בַּיהוָה ſcribatur קֳדָם יְיָ Confer Lev. 6, 2. Ex. 16, 23. 25. Ex. 15, 21, 1. Ideoque actus aliquis religioſus ad Deum perficiendus, adeoque ſacrificialis non notatur, niſi textus ipſe evincat. 2. Si vocabulum originaliter & propriè velimus ſumere, pro tranſitu Domini cum angelo vaſtatore per Aegyptum, ille ſacrificialis operatio non eſt. Ita autem ſumendum eſſe vocab. Peſach & contextus docet & vulgata verſio innuit, quæ transfert, id eſt tranſitus Domini, & Serarius Jeſuita teſtatur l. c. hanc eſſe primariam propriamque vocis notionem. 3. Si demus, per phaſe intelligi agnum paſchalem, illumque dici phaſe coram Domino, non tamen erit ſacrificium ob hanc cauſam. Coram Domino enim, hoc eſt, in conſpectu Domini, juſſu & gratioſa Domini præſentia & ſacramenta celebrantur & alia religionis exercitia fiunt.

§. 9. INSTITUTIO hujus ſacramenti eſt à DEO tanquam *ſummo principio*. Quia enim ſacramenta ſunt inſtrumenta, per quæ Deus ſe ſuaque hominibus diſpenſat, homines ex ſuo ingenio illa Deo ſubminiſtrare nequeunt, Deo informatore & ſummo in ſpirituali architectonicâ Tactico opus habent. Ex. 12, 1. וַיֹּאמֶר יְהוָה. אָמַר dixit eſt radix celeberrimi illius nominis מֵימַר quod apud Chaldaicum *Paraphraſten* ſepiſſimè pro λόγῳ ὑποστατικῷ uſurpatur. *Pſ.* 110, 1. Dixit, יְהוָה לַאדֹנִי Dominus ad Dominum meum, Targum Chald. habet. Dixit יְיָ לְמֵימְרֵהּ Dominus ad verbum ſuum.

De cauſa efficiente principali ſacr. conf. ſupra cap. 8.

ſuum. Dixit autem Dominus olim ad homines πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Hebr. 1, 1. *Rabini referunt*, ſucceſſu temporis in Eccleſia Iſraelitica *quatuor fuiſſe genera*, quibus Deus hominibus loqueretur. *Vrim & Thymmim*, in primo templo. *Spiritus ſanctus*, cum quis integris manentibus ſenſibus, ut alius homo loquitur, ſed excitat ipſum ſpiritus excelſus & ſuggerit linguæ ipſius verba laudis & confeſſionis erga Deum. *Prophetia*. בת קול *filia vocis*, non vera ſeu ſolida vox, ſed quaſi echo, vocisve repercuſſio, repræſentatio, ſive vox ſubmiſſa de cœlo delapſa, qua Deus futura indicabat, quæ ſemper audita fuit tempore templi ſecundi. Targum Cant. 1. & Targum Hieroſol. in 38. Geneſ.

De quinto oraculorũ divinorũ vide obſervata in Vind. ad c. 3. Exod. p. 121.

יהוה eſt illud ſacroſanctum & מיוחד appropriatum Dei nomen, quod Judæi etiam externæ venerationis cauſa non delent, non frangunt, nec ſcribunt, nec legunt, ſed penè adorant. 1. *Non delent*, ut & alia ſex Dei nomina אלוה אלוהים אהיה אדני שדי צבאות & quidem adeò, ut tradente Rambam præfixas expungere liceat, non verò ſuffixas, quæ ab ipſo nomine ſanctificentur, dum in reſectæ finalis literæ locum quandoque ſuccedunt & atramenti maculam cum periculo raſionis ſancti nominis eradere non liceat; unde monet idem, ut ſcripturus nomen Dei ab aliqua voce præcedente intinctum calamum exercere incipiat. 2. *Non frangunt* aut ullo modo abjectius tractant ſuppellectilem, cui nomen ſanctum inſculptum, adeò ut ſi vel caſu illa contundatur, vel transformanda ſit aliàs ad uſum, illam partem, cui inſcriptum τετραγράμματον, eximant prius & pretioſi depoſiti inſtar aſſervent. Vapulationis etiam illius, cujus Deut. 25, 2 & 2. Cor. 11, 24. mentio fit, pœnam periculoſiſſimam illi infligunt, qui vaſi metallico & minerali inſculptum nomen unà cum vaſe liquefaciunt & comminuunt. Et in univerſum hoc decernunt in eum, qui vel unam literulam de ſeptem illis ſacroſanctis nominibus diſperdit,

De nomine Iehova confer. diſſert. 9. Vind. ad cap. 4. Ex.

 ſperdit,

perdit. Eo planè modò Jmpp. Theod. & Valent. gravissimam pœnam statuerunt in eum, qui signum Crucis solo, aut silici, aut marmori humi posito, unde irreligiosius haberi possit, insculpunt, inscribuntve. l. vnica. Cod. nemini. 3. *Nec scribunt* extra Codicem sacrum expressis literis ullibi, sed alijs modis illud exprimunt, vel finale ה in Daleth fulcro extrito mutando, vel duo jod substituendo cum subjuncto Camez, pro quibus Complut. Reg. & Bas. editiones Targum tria י sumunt, vel duo יי flammulâ quasi interrogationis symbolo claudendo, vel per ה cum signo abbreviaturæ exprimendo, ut indicetur השם nomen illud magnum. 4. *Nec legunt*, ne vilescat, sed vel synonymis suis circumscribunt, vel per consonas suas efferunt. Vide de nominis hujus dignitate *D. Hasenrefferum* in Templo Ezech. pag. 143. 144. 145. 146. &c. & *Lutherum* in digressione ad Ps. 5. p. 120. 121. 122. &c. Quia verò institutio sacramentorum, tanquam mediorum salutis, τῷ λόγῳ interpreti consiliorum salutis, Joh. 1, 1. *qui fuit heri & hodie, & est in secula*, Heb. 13, 13. & *est agnus* in typis à se ordinatis *occisus ab origine mundi*, Apoc. 13, 13. tribuitur, ideoque ipse, tanquam *sapientia à Deo Patre ab æterno genita*, Prov. 8, 24. sapientissimus sacramenti paschalis ordinator credendus est, utpote qui illos *etiam ex Ægypto eduxerat*, Es. 63. 9. Vnde refellitur error scholasticorum, *Alex. ab Al.* 4. p. q. 24. m. 1. & q. 54. m. 3. & *Bonaventuræ Cardinalis* 4. sent. d. 17. a. 1. q. 3. & *Marsilij* in 4. 14. negantium, omnia sacramenta divinæ esse institutionis, quos refutat ex Conc. Trid. *Bellarm.* T. 2. l. 1. de Sacr. c. 23.

§. 10. *Institutio hujus sacramenti* est à MOSE & AARONE, tanquam *principio Ministeriali*. De MOSIS nativitate & admi-

Mosis ortus. rabilibus virtutibus & *Pentateuchus & Stephanus*, Act. 7. & *Iosephus* in ἀρχαι. & contra Appionem Gramm. & *Philo* tribus integris libris agunt. Cur à nonnullis Moyses dicatur

expli-

explicat *Anton. Nebrissens.* in quinquag. cap. 25. Fuit patre natus Amram. Ita Hebraicè & in biblijs Latinis scribitur. Græci cum β Ἀμβρὰμ quia eorum orthographia non patitur μ cum ρ continuari. Ex hac LXX. Interpp. orthographia multi ex veteribus ἀντὶ τοῦ Ἀμβρὰμ Ἀβρὰμ extulerunt : ut vetustiss. scriptor Demetrius, citante *Euseb.* de præpar. Evang. l. 9. p. *348. 249.* quod mendũ non librario, sed autori adscribendũ, merito judicatur: constanter enim ita legitur. Quin etiam *Epiphanius* disertè Ἀβραὰμ Patrem Mosis vocat, non Ἀμρὰμ aut Ἀμβρὰμ: & ut distinguat eum à Patriarcha, Ἀβραὰμ ἔσχατον eum vocat. Ancorat. p. *515.* *Matrem Mosis* amitam fuisse Amrami *Cajetanus* asserit. Dicitur enim Exod. 6, 20. Amram accepisse uxorem Jochabed patruelem suam, sec. vulg. Patruelis filiam fratris propriè significat, vel sororis. Et hoc secundo modo Chaldæus vertit בת אחת אבוהי, LXX. θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Conf. Num. 26, *19.* Consentiunt *Vatablus, Oleaster, Pagninus, Clarius, Pellicanus, Munsterus, Ystella, Benedictus, Eugubinus, Lippomanus, P. Burgensis & Abulensis. Bellarminus* ob id exinde concludit, prohibitiones graduum Mosaicas non esse ita juris naturalis omnes, ut circa eas dispensatio locum habere nequeat. de Matrim. cap 27. lib. 1. At quoad hanc conclusionem Bellarmino repugnat *Cap.* Conjunctiones. *caus.* 35. q. 2. quod desumtum est ex Ep. 2. *Calixti Papa* ad *Episcopos Galliæ*, & prolixè *Ambros.* Ep. 66. T. *3.* p. 172. ubi etiam in terminis de conjunctione alicujus cum amitâ sua disputat. *Hieron. ab Oleastro* Dominican. in Comm. ad Pentateuch. p. 386. aliquot eum rationibus impugnat. Quoad exemplum Mosis, quem ex amita patris sui natum dicit *Bellarm.* §. sed præter, loc. cit. repugnant *Pererius* in Exod. cap. 2. disp. *1.* p. *35.* & *Cornelius à Lap.* in Ex. p. *361.* qui insuper concludit, *facessat ergò Calvini convitium, Mosen incestuoso matrimonio prognatum esse. Rambam* in lib. fundamentorum

f. 7.

f.7. de Mose ita loquitur. *Ipse est pater omnium Prophetarum, antecedentium, subsequentium & coætaneorum. Non enim ullius excellentia fuit sicut excellentia illius. Ipse electißima erat creatura summi Dei præ omnibus filijs hominum, ipse assecutus est de arcanis superbenedicti creatoris, plus quam ullus mortalium, qui invenitur, aut invenietur unquam, ipse (piæ memoriæ) attigit terminum celsitudinis humanæ, adeò ut pertigerit usque ad sublimitatem regni cœlorum & cooptatus fuerit in cœlum angelorum: neque superest aliquod arcanum inter mysteria legis, quod non notum fecerint ipsi: nec impedivit illum impedimentum corporale, neque adhæsit illi defectus aliquis sive paucus sive multus.* Inter modos divinarum revelationum Mosi & alijs factas quadruplex discrimen facit. I. quibusdam divina mysteria revelata sunt per angelum interpretem: Mosi ore ad os. Num. 12, 7. II. quibusdam in somno obruente Prophetam, ut externorum sensuum officium cesset, sola contemplatione reliquâ: Mosi per spiritum, clara luce, integris sensibus, stanti coram cherubinis. III. quibusdam corpore simul patiente, trementibus membris, cespitantibus gressibus, corpore universo concusso & territo: Mosi à facie ad faciem, vegeto corpore, sicut vir ad amici & proximi sui conspectum esse solet. IV. quibusdam per intervalla dono prophetico frui licuit, sæpe dies, mensis, annus elabebatur, per quos spiritus divinus nullum in illis vaticinium ediderat: Moses liberrimũ ad Dei secreta cognoscenda aditum habuit. Quin & *Iohan. Picus. Comes Mirandulæ* secundum quorundam Patrum, *Hilarij & Origenis, &* Judæorum *Bechaij* & *Nachmanidis* sententiam Mosen secretę cujusdam, mysticę & cabalisticæ interpretationis Pentateuchi autorem facit, cum *Ioh. Reuchlino* lib. de Cabal.

Vide de Mose Tarich. Schiccardi pag. 33 & seqq.

§. II. *Moses Vivus quis?*

Pontificij de Mose tradunt, ex quibus suum regnum stabiliant. Dicunt *eum fuisse supremum populi Principem & Iudicem,*

Iudicem, summum item Pontificem, qui vi sacerdotalis potestatis solus Aaronem ad Pontificatum vocaverit & ordinaverit. Vnde concludunt, etiam in Christiana Ecclesia unum visibile debere esse caput, quod supremum principatum & summum sacerdotium conjunctim habeat, atque hujus jurisdictione solum per suos jus vocandi & ordinandi habeat. Bellarm. Tom. *1*. p. 57. & 200. T. 2, p. 95. 98. T. *1*. p. 353. 355. Atqui omnis potestas in Mose extraordinaria & immediata divina vocatione collata fuit: fatente *Bellarm.* T. *1*. p. 57. *Lorino* in Levit. p. 119. Ab hoc igitur ad ordinarium Ecclesiæ regimen concludere, ineptire est. *Mosen summum sacerdotem fuisse* Bellarminus l. c. ex ⸸ 99, 6. probat. Sed quæ consequentia est? Moses & Aaron debent exaltare Dominum inter sacerdotes ejus. E. Moses est æquè summus sacerdos, ac Aaron. An non potest inter sacerdotes laudare aliquis non sacerdos Dominum? *Nicol. Trevetus Anglus*, quem Jesuita Lorinus mirè laudat, propendet in sententiam, quæ asserit, Mosen non fuisse sacerdotem; jubens nos cum distinctione legere, Moyses, deinde post virgulam indicantem separationem dignitatis, & Aaron in sacerdotibus, ita ut Aaroni conveniat sacerdotem esse, non Mosi. *Lorinus* ad ⸸. cit. *sex rationes habet*, ob quas Moses dicatur sacerdos. Quia *fuit Levita. 2. quia vota populi Deo offerebat. 3. quia cū Aarone adventum Domini in tabernaculum nunciabat. 4. quia sacerdotis nomen quemvis magnum virum & principem designabat. 5. quia Aaronem consecravit. 6. quia religionis quæstiones definiebat, immolabat, fœdus sanciebat sanguine.* Sed quatuor priores ipse *Lorinus* ita comparatas esse judicat, ut sacerdotem propriè dictum non necessariò indicent. Consecrationem Aaronis potius *heroicum & divinitus imperatum quendam actum*, ad instituendum sacerdotium necessarium, dicimus, quam ordinarium sacerdotalem. Franc. Ribera Jes. l. 3. de Templo cap. 1. p. 201. statuit Mosen fuisse

isse sacerdotem consecrando Aaronem & filios ejus & sacrificia offerendo, Lev. 8. ordinario autem sacerdotio functum, non asserit. Georg. Carleton Anglus contra Bozium ad vocab. Cohanim Ps. 99. respondet. l. de jurisdict. c. 3. sort. 21. esse commune vocabulum tam civilibus Magistratibus, quam sacerdotibus. quod & Davidis filijs tributū 1. Sam. 8, 18. Sacrificare etiam Samueli tribuitur ex 2. Reg. 7, 9. c. 9, 13. à *Lorino* in 4. c. & *Abulensi* in 1. Reg. *1.* q. 7. quem tamen Sacerdotem fuisse, negat Bellarm. l. 3. de V. D. c. 4. §. Sed inquiunt: cum *Cajetano, Haymone Episcopo, &* alijs, licet ad tribum Levi pertineat, ut Caathita. 1. Chron. 6, 27, 28. Et, si Bellarmino licuit, negare, Samuelem fuisse sacerdotem, contra *Cypriani, Ambrosij, Augustini, Philonis, Doctoris Angelici,* autoritates, cur non nobis liceret negare Mosen esse sacerdotem, quanquam id *Philo, Dionysius, Augustinus, Nazianzenus & Hieronymus* asserant, quos Bellarm. profert. Sacrificavit Elias 3. Reg. 18, 1. statuente *Lorino* 4. c. quem tamen neque Sacerdotem fuisse, neque levitam cum *Alf. Tostato* Ep. Abulensi tradit, *C. Sanctius* Jesuit. in l. Reg. p. *1224.*

§. *12.* *Moses defunctus qualis?* Porrò de Mose defuncto tria tradunt, quæ probari non possunt. Primò, *in corpore etiam mortuo divinitus fuisse conservatum splendorem decoremque vultus, quem vivens habebat.* cujus vestigium sacræ literæ habent nullum. Deinde *sepulchrum ejus ignotum mansisse hominibus, ne Israeliticus populus ad idololatriam pronus ejus corporis reliquias coleret pro Deo*: quo nihil dici de illo populo potuit absurdius. quanquam id veriùs sit, absconditum ideò fuisse à Deo corpus, ne per illius exuvias religiosè cultas, sicut per vitulum aureum, & serpentem æneum, se Deum sanctius venerari posse delirarenr. Tertiò *Mosen etiam defunctum pro Israelitico populo apud Deum intercedere.* Primum secundumque habet post alios plures Bellarm. Tom. 2. Controv. p. 308.

posterius

posterius pag. 293. ejusdem T. & probat ex Jerem. 15,1. ubi hypotheticam loquendi rationem, scripturis frequentem Gal. 1,8. Eccles. 10. Syr. 6. Hierem. 13. & 33. & veram, etiamsi tam antecedens quam consequens sit impossibile, fatente *Salmerone* Jesuita ad Gal. 1. categoricè, sed contra textum, rei naturam, analogiam fidei, autoritatemque *Chrysostomi* 1. ad Thess. 1. hom. 1. *Theodoreti* ad h. l. *Gregorij M.* l. 9. Moral. c. 9. *Glossæ interl.* & *Th. Aquinatis* interpretatur. Plura de Mose dicere angustia propositi vetat.

De AARONE altero divinæ revelationis ministro cum multa dici possint, duo tantùm contra Pontificios notamus. Primò, ut Pontificis Romani ab omni errore immunitatem tueantur, dicunt, *etiam Aaronem in peccato populi circa erectum aureum vitulum nihil definivisse circa illam idololatriam commissam, sed vi multitudinis coactum permisisse, ut committeretur illa idololatria. Ipsum nihil admisisse contra illam summam judiciariam potestatem, qua erat præditus tanquam Pontifex.* ita quidem *Gretserus* in Colloq. Ratisb. pag. 60. Hanc *Gretseri* & aliorum Jesuitarum sententiam refellit *Cornel. à Lap.* in Exod. p. 605. & observat *nuper Romæ prohibitum fuisse librum Monceij, quem inscripsit Aaronem purgatũ, in quo eandem sententiam ingeniosè tuebatur.* Itaque *Bellarminus* lib. 3. de Eccles. milit. cap. 16 §. 9. *negat.* tum temporis Aaronem summum Pontificem fuisse. Contradicit *Bellarmino* C. 24, 14. *Exodi*, & *Cyrillus Hierosolym.* Catech. 2. citante *Lorino* in Ψ. 77. qui *Aaronem in peccati designatione summum Pontificem* vocat. Deinde *constituunt Aaronem summum sacerdotem typum & Christi & Petri & Paparum Romanorum, qui Petro dicuntur in summo sacerdotio succedere.* Bellarm. T. 1. lib. 1. de R. P. cap 9. §. 15. Atqui si prius probaretur à Bellarmino Petrum & N. T. ministros propriè dictos fuisse sacerdotes, ab Aarone aliquo modo præfigurati dici possent. Sed id Bellarminum §. 13. *Aaron.*

tentasse quidem, non autem præstitisse, clarum est.

Institutio hujus sacramenti ratione TEMPORIS facta est *in*
§. 14. *capite mensium.* Mensis est *Abib*, qui & *Nisan* à Nehemia
Tempus institutionis, quo ad annum. nominatur: *anno exodi Israelitarum ex Aegypto, qui est annus 2453. currens*: quod manifestum est 1. *ex collectione annorum mundi biblica.* A conditu mundi ad diluvium sunt anni 1656. à diluvio ad Abrahæ nativitatem 292. à nativitate Abrahæ ad egressum ejus ex Haran in Canaan & Ægyptum anni 75. Genes. 12,4. à primo Abrahæ in Aegyptum ingressu ad egressum Israelitarum ex Aegypto anni 430. Ex. 12,40. Gal. 3,17. hi anni additi verum annum exodi producunt 2453. à mundo currentem. 2. *ex characteribus chronicis infallibilibus.* I. quod *primus anni exodi dies* ratione vernalis vel paschalis novilunij & æquinoctij fuerit *feria quinta.* Nam vigesimus secundus dies secundi mensis fuit feria septima vel sabbathum. Nam Israelitæ in desertum Sina venerunt decima quinta die secundi mensis vel die sabbatico Exod. 16, 1. eodem die murmur Judaicum contra Mosen factum est, Particula enim *tunc* murmur manifestè cum decima quinta die conjūgit consensu historicorum. Hoc murmur divina bonitas leniens inter duas vesperas, ineunte scilicet Judæis die decima sexta secundi mensis maximam coturnicum copiam circa Israelitarum castra coëgit, ante solis verò exortum primum Manna cœlitus donatum fuit: quod per sex dies collegerunt, vers. 22. die sexto, id est, vigesimo primo secundi mensis vel feria sexta sive die Veneris duplum de Manna & de coturnicib. ex divino mandato colligebatur ob sequentem diem Sabbaticum, domino sacrum, v. 23. Si ergo vigesima secunda dies mensis est sabbatum, tum primum manna feria prima, sive die dominico cœlitus donatum fuit, id quod Beda testatur. Dominico die primum Manna de cœlo datum est. Ita si vigesima secunda dies secundi mensis est sabbatum, tum

tum neomenia, sive primus primi mensis dies, est feria quinta vel dies Jovis. II. quod *quadragesimus sextus annus* ab Exodo fuerit *sabbaticus*, Jos. 14, 10. Nam Moses suum Deuteronomion uno mense ante suam mortem populo proposuit, scilicet undecimo, quadragesimi sive ultimi anni errationis, neomenia illius Mensis Deut. 1, 3. sequente mense post Moses mortuus est. In illo verò libro sæpius Israelitis inculcat ea, quæ facere debeant, cum terram Promissionis ingressi fuerint. Deut. 4, 1. c. 6, 1. & 10. c. 7, 1. c. 17, 14. c. 18, 9. Ergò paulò ante mortem Mosis Israelitæ in terram Canaan nondum ingressi erant. Vnde ante mortem MOSIS annus sive sabbaticus sive Jubilæus inchoari non potuit. MOSES enim initium annorum Sabbaticorũ & Jubilæorum sumit ab inhabitatione terræ. Lev. 25, 2. Et Deus in *termino à quo* Sabbaticorum & Jubilæorum notando plenariam quandam terræ inhabitationem requirit, Deut. 17, 4. distribuendam per sortem à Josua & Eleazare Num. 34, 13. & 14. quod demum mortuo MOSE factum Jos. 14, 1 Itaque ab eo tempore, quo incolis terræ Canaan trans Jordanem ejectis finibusque descriptis Israelitę agros non coluerunt, anni Sabbatici inchoandi sunt. Factum id est anno quadragesimo sexto post Exodum Jos. 14, 10. ubi Caleb ait, annos quadraginta quinque elapsos esse ab eo tempore, quo ad explorandam terram Canaan cum aliis emissus fuerit. Exploratio illa facta est anno secundo post Exodum circa vindemiæ tempus. Num. 1, 1. & c. 9, 5. Itaque quadragesimus sextus ab Exodo fuit annus κληρουχίας sive distributionis terræ per sortem. Hoc autem ipso anno Israelitæ terram non agricolarunt. Itaque hoc anno Sabbaticus primordialis fuit. Ut autem primus anni dies sive neomenia in feriam quintam incidat & simul Sabbaticus annus in quadragesimum sextum post exodum annum incurrat, id fieri circa illa tempora non potuit, nisi anno 3217.

periodi Julianæ, qui erat Judaicus 2264. mundi 2453. Annus incipiens 53. seculi sive Helod Hebraici. Confer. *Ioseph. Scalig.* lib. V. Em. Temp. p. 350. Unde anni integri metachronismum committunt, qui cum *Funccio* annum exodi statuunt 2454. longè majorem saltum faciunt, qui annum exodi constituunt 2514. aut 2515. ut *Codomannus.* Maximè errant *Græci*, qui 3690. annos à mundo ad exodum numerant. Videatur *Euseb. Chron.* Causa maximi intervalli est corruptio annorum Patriarchalium Gen. 5. & seqq. Et *Torniellus*, qui in *Annal.* Eccles. V. T. tempus exodi & institutionis paschalis collocat in *Ann.* mundi 2544. Hanc *Exodum Israelitarum Gentilium historici probè cognitam* habuerunt. Conf. *Iustin.* l. 36. & *Tac.* l. V. Hist. *Diodorus Sic.* circa finem l. 1. Bibliothecæ, *Mosen autorem facit Iudaicarum sanctionum & à Deo nomine Iao accepisse asserit*, quod nomen falsa pronunciatio nominis τετραγραμμάτου Diodoro dedit. Vide *Ioseph.* duobus contra *Appionem* libris. Vera tamen falsis miscuerunt. *Iustinus* ait, *Iudæos Ægyptiorum sacra furto abstulisse: Aegyptios ea armis repetituros domum tempestate compulsos fuisse. Tacitus* Judæorum nomen *ab Ida monte* deducit. Plerique ob lepram Judæos ejectos fuisse narrant. Nobis antiquior & sanctior est scripturæ autoritas. Fuit autem Exodi annus illustris alijs monumentis. Coincidit cum *Aaronis* anno 83. cum Mosis 80. cum anno secundo imperij Sosarmos *Assyriorum* Monarchæ, cum ann. 60. *Allmanni*, Teutonis filij, Vandali nepotis, Boij parentis, Germanorum Regis: facta, ut *Africanus* vult, sub *Acherre*, ut Josephus, sub *Armesi Aegyptiorum* Pharaone: ante nat. Christi an. 1485. Cæterum *Arias Montanus* lib. de seculis & tam ante, quam post eum plurimi statuunt, circa institutionis paschalis tempus anni initium novum divinitus ordinatum Judæis esse, quia dicitur, mensis iste erit vobis principium mensium. Nos illam sententiam suo loco

Exitus Israelitarum etiã gentilibus cognitus. Cof Vind. meas ad c. 4. Ex. diss. 9. pag. 190.

loco relinquimus, quam & Torniellus in Annal. Eccl. p. 281. tuetur: dicimus tamen ejus fundamentum ex hoc loco dubium esse. Confer. Tostatum Comm. in Exod. T. 1. pag. 70.

Institutionis hujus sacramentalis MATERIA *terrena* nominatur Exod. 12. שה vers. 5. שה תמים זכר בן־שנה מן הכבשים ומן העזים Hoc vocabulum LXX. hoc loco & alibi triciesquinquies verterunt per πρόβατον. De quo ita Hesychius. Πρόβατα τὰ τετράποδα ἀπὸ τοῦ πρὸ τῆς βάσεως πρόβασιν ἔχειν ἑτέραν τῶν ἔμπροσθεν ποδῶν πρὸς τὰ ὀπίσθια. Etymologicum Magnum Venetum ita habet. Πολλάκις κατὰ κοινοῦ ἐπὶ πάντων τῶν βοσκημάτων εἴρηται ἡ λέξις. παρὰ τὸ πρὸ τῆς ὀπισθίας βάσεως ἔμπροσθεν βάσιν ἔχειν ἢ πρόβατον παρὰ τὸ προβαίνειν τῇ βοσκῇ, &c. Lev. 12, 8. & Num. 15, 11. & Deut. 14, 4. vertunt per ἀμνὸς agnus Deut. 14, 4. vertunt etiam per χίμαρον hædum. Hesych. χίμαροι αἶγες χειμέριαι ἢ τράγοι. Ezech. 34, 22. vertunt per κριὸς aries. Judicum 6, 4. per ποίμνιον gregem. Junius, Tremellius, Piscator transferunt, parvam pecudem. *Pagninus* ait, significare tam agnum, quam hœdum, ita enim scribere R. Davidem, שה parvum tam ovium quam Caprarum significat. Unde duplex enata est apud interpretes quæstio. *An etiam hædus in sacramento agni paschalis loco usurpari potuerit*: seu *An indifferens fuerit in hoc sacramento sive agnum sive hædū adhibere?* & *An tam hædus quam agnus conjunctim usurpandi fuerint?* In posteriori quæstione *affirmativam* defendit *Cyrillus* in Cat. V. Græc. Franc. Zephyri p. 127. *Requiritur agnus, inquit, anniculus, adhibetur & hædus non sine mysterio. Agnus enim purum est & immaculatum sacrificium, hædus pro peccatis offertur, &c.* Deceptus est *Cyrillus* interpretatione verborum, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ ἀπὸ τῶν ἐρίφων λήψεσθε. Ubi id conjunctivè intellexit, quod disjunctivè explicandum fuerat. *Prioris* quæstionis *affirmativa* nititur I. *amplitudine vocabuli*, שה namque tam agnum quam hœdum sua natura com-

§. 15. *Materia.*

An etiam hædus?

ra comprehendit: quod patet Deut. 14, 4. ubi diſtinguitur in שה ovium כשבים & שה caprarum עזים & LXX. uſurpando vocabulum πρόβατον grneraliorem ejus ſenſum indicarunt. ἀμνοῦ quoque notio generalior eſt. Teſte n. Heſychio ἀμνὸς eſt ἄρτι τεχθὲν πρόβατον Etymol. Mag. πρόβατον μικρὸν II. notatione gregis. Namque Ex. 12, 5. dicitur, accipietis מן הכבשים מן העזים de ovibus & capris. Chaldæus. de agnis & filiis caprarum: LXX. ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ ἀπὸ τῶν ἐρίφων. *M*alè vulgatus Int. juxta quem ritum tolletis & hœdum. Nec enim ſic in ullo codice Origin. legitur. Atqui ſi שה præcisè tantùm agnum notaret, quorſum dictum eſſet, ex grege ovium & caprarum ſumendum? An hoc de eſſentia agni eſſet, educari in grege, ubi oves & capræ commixtæ? Sic verò agnus paſchali ſacramento non eſſet idoneus, in quo non ſunt conjunctæ ovibus capræ. & ſi cui, ut 2. Reg. 12, 3. non niſi unus & alter agnus eſſet, neque in grege is, ſed domi & in agello paſceretur, non poſſet is paſcha eſſe. III. *Conſenſu Patrum. Theodor.* in Ex. q. 4. *Procop. Gazæus* in Ex. 12. *Petrus Bleſenſ.* ep, 3. &c. *IV. conſenſu Rabinorum*: quod autor quæſtionum in Exod. Auguſtino aſſignatarum q. 42. jam olim indicaverat. In tractatu Corban paſchalis c. 10. è paſchalibus præceptis decimum ſextum explicans *Rambam*: non *mactant*, inquit, *paſcha niſi de ovino aut caprino genere tantùm*. Hanc ſententiam tuentur è Pontificiis *Alf. Toſtat⁹, Oleaſter, Pereri⁹, Delrio, Corn. à Lapide, Nodin⁹*, ad h. l. *Serarius* in Joſ. p. 449. *Lyra* Ex. 12. *Lipomanus* in Cat. Cæterum *Lyrano* ſeopponit in additionibus *Paulus Burgenſis* Epiſcop. Ex. 12. his verbis. *Hæc immolatio paſchalis ſecundum Dd. Hebræos de agno tantùm debebat fieri, non autem de hœdo, quod etiam congruit tam cauſæ literali hujus ſacrificij, quam figurali. Primum patet: Nam ſecundum R. Moſen Gerundenſem & alios jubebatur agnus occidi primo menſe, quia ſignum arietis tunc potiſſimum eſt in ſuo ſtatu & tunc ſole com-*

communiter in eodem ſigno: & quia Ægyptij arietem venerabantur, ideo voluit Deus oſtendere, quod non ſolum Ægyptios, ſed etiam Deos eorum judicabat & puniebat, ſicut ipſemet dixit: *& in cunctis Diis Ægypti faciam iudicia. Quæ quidem ratio non haberet locum in hædo: hædus namque habet proprium ſignum in cœlo, non in ariete, ſed in capricorno, quod eſt decimum ſignum, in quo ſol eſt communiter in decimo menſe, computando à primo. Patet etiam rationem figuralem ſacrificii non hædo, ſed agno convenire. Chriſtus quidem in ſua paſſione non per hædum, ſed per agnum* (Rupertus tamen Tuitienſis h.l. pulchrè ait, Chriſtum in *P*aſſione ſibi fuiſſe agnũ, nobis hœdum) *ſignificabatur. Eſ. 53. Ioh. 1. Chriſtus etiam de extremo judicio loquens, ubi ſeparabuntur juſti ab injuſtis, per agnos ſignificat juſtos, per hædos autem injuſtos*, Matth. 25, &c. Sed facile cuivis apparet, Burgenſis has rationes partim futiles eſſe, partim infirmas. Simpliciſſimè dicitur I. *licuiſſe vi inſtitutionis divinæ non ſolum agnum uſurpare, ſed etiam loco agni hædum. II. Vſu tamen frequentiſſimum fuiſſe & penè ſolũ obtinuiſſe, ut agnus uſurparetur*: quod conjicitur ſatis *tum* ex agni natura amabiliori & hominibus gratiori, quem ideò tanquam in myſterio etiam gratiorem eligere ſolebant: *tum* ex agni præpoſitione. Agnus enim hœdo præponitur. Solebant autem Judæi, id quod præfert inſtitutio, præferre in uſu: *tum* ex Chaldaico *P*araphraſte. Ille enim utitur voce אמרא quæ propriè agnum, ſive lanigerum pecus notat. Deducunt enim eam à צמר Chaldaicè עמר lana. Unde etiam Syrus Joh. 1. Ecce אמרה דאלהא agnus Dei, *tum* ex conſonantia ſcripturæ, quæ quoties myſticas & typicas locutiones ex hoc ſacramento deducit, cumprimis apud Eſaiam, agnina ſpecie gaudet uti. *tum* ex N. T. explicatione, in quia vocabulum ἀμνοῦ & ἀρνίου frequentiſſimè uſurpatur. 1. *P*et. 1, 19. Apoc. 13, 8 &c. Agnum in gentilium ſacrificiis uſitatiſſimum fuiſſe, tanquam hoſtia-

rum omnium placidissimam, docent *Pierius Valerius* in Hieroglyph. l. X. & Alexand. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. c. 12. In Abelis sacrificio fuisse agnum ex Gen. 4, 2. si contuleris Chaldæum, LXX. Patresque, probabile est. Unde sancta serie succedanea Patriarcharum pietas offerendi formam & materiam didicit. *Cur autem agnus in sacramenti cibum fuerit destinatus*, sola voluntas divina suprema ratio est. *Lyranus* & alij existimant, fuisse id in contemtum numinum Aegyptiorum factum, qui ejusmodi animalia sacra & inviolabilia crediderunt. Refutant hoc *Tostatus*, *Pererius*, *Pintus*, qui rationem instituti petunt à commoditate typi, quem agnus subministrat. *Serarius* etiam hanc rationem enervat ex eo, quia pari modo etiam munda, simplex, candidula columba, aut integer, mundus & forticulus vitulus in eum finem eligi potuisset. Ipse has nominat. I. Israelitæ Ægyptiis hoc nomine, quod pastores erant, sunt contemtim habiti. Proinde agnina hac immolatione & cruentatione eos Dominus admirabiles facere voluit. II. Occasione curandarum ovium Israelitæ in Ægypto commodissimam habitationem nacti fuerunt. Decuit igitur, ut ovium mactatione Deo pro accepto beneficio gratias agerent. III. Agnus pretii exigui, adeoque comparatu facilis est. IV. Fuit quantitatis convenientis agnus, qui à familia facilè absumi poterat. V. In aliud animal nullum adeò idoneè ritus omnes, quos partim ob figuram, partim ab alias causas in paschate sancitos volebat Dominus conveniebant. Sunt & hæ rationes sive conjecturæ, sive congruentiæ. Nos in summa summæ sapientiæ ratione acquiescimus.

§. 16. *Agni Conditiones.* *Institutæ materiæ terrenæ* AGNI *sacramentalis* CONDITIO I. est תמה *perfectio, integritas*. Debuit enim esse תמים LXX. vertunt h. l, τέλειον. alibi ἄμωμον, ἄμεμπτον, ἄπλαστον, καθαρὸν, ὅλον, ἄκακον, ἀθῷον, ὁλόκληρον. Attribuitur vox operibus *Dei*, *Deut.*

Deut. 32, 4. & legi Dei, Ps. 19, 8. *Vulgatus*, sine macula, qui non ad colorem, sed corporis perfectionem attendit, de qua Lev. 22. Unde desumta vox. ἄμωμος 1. Pet. 1. 19. ubi de agno Christo dicitur: qua in eo notatur tum suprema & essentialis sanctitas ejus secundum divinam naturam, quæ assumptæ humanæ naturæ admirabilis unionis interventu communicata est, tum naturalis etiam & gloriosa ipsius humanæ naturæ sanctimonia & rectitudo, tum efficientia & meritum perfectissimæ sanctificationis. Gentiles ad sacrificia ex armentis & gregibus optimas pecudes magno studio legerunt, quod ἐκκρίνειν, seu ut *Apollonius* habet εὐκρίνειν dicebatur. *Chaldæus* habet שְׁלִים à שְׁלֵם integer, perfectus, absolutus fuit. Notat etiam pacificus fuit, salvatus fuit. Unde Arabum Musulman, salvatus: & Solymann, Salomon. CONDITIO II. est *masculinus sexus*. Debet enim agnus esse זכר à זָכַר memoratus fuit: in mascula enim prole memoria parentum integra est. στῦλοι οἴκων παῖδες ἄρσενες. Eurip. Unde confusio apud LXX. Es. 26, 14. qui pro זֵכֶר legerunt זָכָר & ἄρσεν masculum pro μνήμη verterunt. Dei nomen יהוה Masoretæ vocant ex hoc fonte אזכרה μνημόσυνον. *Quærit Tostatus* q. 7. c. 12. Cum hîc dicatur agnus immolandus, quare addatur masculus, cum ex voce appareat, masculum esse debere: & reijcit solutionem glossæ Ord. & Andreæ, qui id propter πρόβατον neutrius generis in LXX. translatione positum, fuisse factum affirmant. Ipse respondet, nomina masculina non semper ad sexum, sæpius ad speciem designandam poni. Sic שה hoc loco collocari. Fuisse ergò per זָכָר determinandum. Atqui ex Lexicographis notum est, שה esse communis generis, quanquam pro masculino sæpius extet. Itaque frustra operosus est *Tostatus* Episcopus & *Pererius* frustra anxius, qui ait hoc nonnihil disputationis habere. Potuisset id ex Pagnino suo didicisse. *Cur placuerit Deo masculus*, quidam præ-

præsentandæ divinæ perfectionis causa factum ajunt. *Pererius* & ex eo *Serarius*, Licet, *inquiunt*, Deus, quia non semper à nobis perfectissima exigere vult, quandoque oves, vaccas, aliasque fœminas in sacrificium admittat, quando tamen perfectiores vult victimas, masculos præscribit. *P*otissima causa est, ut pulchrior inter typum &
Conf. Pentadecadu mea Diss. 3. antitypum Christum esset consensio, qui est non tantum זכר sed etiam גבר vir. Jer. *31.* CONDITIO III. est *ætas.* Debuit enim esse בן־שנה filius anni, ἐνιαύσιος anniculus Codd. Regij in Græca Interpp. interponunt inter ἄρσεν καὶ ἐνιαύσιον, ἄμωμον. Unde patet, ex plurium interpretat. confluxu hanc natam. Symmachi enim versio, pro תמים, ubi LXX. posuerunt τέλειον, collocavit ἄμωμον, quod à conferente margini adscriptum in textum tandem deductum est. Solent autem anniculæ pecudes in omni penè animalium genere gratiores esse. Minervæ hostiam Homerus describit ἦνιν, id est, ἔνος μόνον ἔτους. Ut explicat Eustathius. Anniculus autem requiritur, non quod infra anni ætatem positus etiam accipi possit, sed quod annum ætate non superare debeat, neque esse infra octavum ab ortu suo diem. Ex. 2 . Lev. 22. quo sensu & in Lev. & in Num. aliquoties occurrit. Cæterum triplicem hanc agni paschalis conditionem pulchrè ad antitypum accommodat *Rupertus Tuitiensis Abbas*, in Ex. c. 8. Cæterum *de objecto cælesti*; quod in hac materia terrenâ considerandum proponebatur & cujus virtute hoc sacramentum suum divinum & proportionatum effectum operabatur, infra dabitur dicendi locus.

§. 17. *Sumtio & segregatio.* *Institutionis* hujus ACTIONES præceptæ; circa *materiam institutam* occupatæ sunt I. מקח *sumtio* sive acceptio, quæ infert *separationem* agni comedendi à reliquo grege, Ex. 12, 10. Cum hac separatione conjungunt quidam agni separati *ligationem*. Sic enim Orach Chaiim cit. Buxtorf. schol. Rabb. p. 315. *Patres nostri sumentes agnos eorum die decimo,*

decimo eos ad cubilia ipsorum religabant, ut eos ad diem quartumdecimum retinerent. Id Aegyptij videntes, quæsiverunt ex ipsis, quid de agnis ad cubilia ipsorum sic religatis facturi essent? quibus Israelitæ respondentes, nos volumus eos ad sacrificium paschatis mactare ajebant. Aegyptij videntes, quod Israelitæ animal illud, quod isti tanquam Deum venerarentur, mactaturi & sic interfecturi essent, malum adversus Israelitas cogitarunt, &c. Unde frequens in SS. Patrum meditationibus hæc comparatio. *Agnus toto quatriduo ligatus in ædibus Israelitarum jacebat. Sic Christus non solum sanctæ obedientiæ vinculis, sed etiam externis funium nexibus propter nos constrictus fuit, nec primo statim ministerij sui tempore occisus fuit, sed in quartum usque annum ministerij sui detentus.* At verò è sacris literis illa quatriduana ligatura non constat. Quod enim dicitur v. 6. Et erit vobis למשמרת in custodiam, generalius est, quam ut vincula involvat necessariò. LXX. vertunt τετηρημένος. Num. 1, 53. de custodia tabernaculi usurpatur. Conf. Num. 3, 7. 25. 29. 31. 32. 36. 38. c. 4, 29. 33. pro excubiis, Jud. 7, 19. 1. Sam. 11, 11. 2. Sam. 20, 3. 1. Reg. 2, 3. Job. 7, 12. Ps. 76, 4. Prov. 4, 23. Hab. 2, 1.

Sed enim *Alfons. Tostat.* ad Ex. 12. *Rib.* de Templo l. 5, c. 3. & alij tradunt, ceremoniam istam quatriduanæ separationis, illo tantum ægyptiaci exitus tempore, non autem quotannis postea observandam fuisse: *quia* excepto Exod. c. 12. ubi descripta est forma agni paschalis primùm in ægypto comedendi, nuspiam alibi illius quatriduanæ segregationis mentio fit. *quia* causæ, ob quas in prima sacramenti participatione segregatio instituta fuit, nequaquam deinceps urgent. *Prima* est, ne propter varias exitus curas ab agni comparatione postea impedirentur. *Secunda*, ut curiosius in perfectionem & requisita agni inquirere possint. *Tertia*, ut continuo agni clamore memoriam liberationis magnificæ excitarent. *Quarta*, ut animalis comedendi §. 18.

conſpectu de vanitate Ægypticorum numinum deteſtanda monerentur. *Atqui* verò 1. ſunt etiam aliæ ceremoniæ, quarum obſervatio extra dubitationem fuit perpetua, quæ tamen in ſequentibus inſtituti paſchalis repetitionibus non exprimuntur, ut collatio docet. Deinde rationes non cogunt, ut ceremonias in primo tantum actu paſchali adhibitas fuiſſe dicamus. Nam I. quomodo agni, è cujus ſanguine vita omnium pendebat, obliviſcerentur. Debuiſſent pari modo, quicquid oblivioni tunc datum nollent, duobus, tribus. aut quatuor diebus anticipare. Secunda & tertia cauſa in annum quemlibet cadunt. Nam & agni, qui ad ſacrificium tantum adhibendus foret, puritatem quatriduo explorare poſteros decuit: & crebro agniculi occurſu balatuque de liberatione maxima commoneri. Quod autem de expoſtulatione Ægyptiorum fabulantur Rabbini, ineptum eſt: cum dies illos, ipſis fatentibus, quibus deſignatus ad immolationem agnus domi habebatur, denſiſſimæ oppreſſerint tenebræ, ut quid à Judæis fieret, videre nihil poſſent Ægyptij. Et ſi vel maximè tenebræ nullæ fuiſſent, nonne aliàs frequentius agnina carne veſcebantur Judæi? Solent hodie Judæi totam antepaſchalem hebdomadem in farinæ ad azymos præparatione, in domeſticæ ſupellectilis purgatione, in ſimilibus alijs ponere: quidni & olim quotannis agnos præpararint?

§. 19. *Tempus ſegregationis.* Tempus *ſegregationis* eſt dies decima primi menſis, Abib ſive Niſan vocati. *Ioſeph.* l. 1. Antiq. c. 4. *dicit*, Moſen ordinaſſe, ut menſis Niſan eſſet exordium anni, in his, quæ ad rem divinam pertinent: quoad nundinationes verò & reliquam anni diſpenſationem nihil de priſtino ritu immutaſſe. At ſcriptura etiam poſt hanc formam, Exod. 12. in menſibus ordinandis propoſitam, in rebus geſtis per tempora notandis, nullam videtur habuiſſe hujus diſtinctionis rationem. Nam præter unum & alterum locum, Ex.

23,

23, 16. & 34, 22. ubi de nonnullis solennitatibus festisque diebus celebrandis agitur, anni communis, ut vocant, terminis usurpatis, de cætero videmus etiam ea, quæ ad festivitates cultumque divinum non pertinent, indifferenter anni sacri mensibus annotari. De primo mense legimus Esth. 3, 7. Mense primo, cujus vocabulum est Nisan. ubi & v. 12. & c. 11, v. 2. Neh. 2, 1. plura notantur, nihil ad festivitates spectantia. Similiter de secundo mense 1. Reg. 6, 1. de tertio Esth. 8, 9. de sexto Neh. 6, 15. 1. Macc. 14, 27. de septimo, 1. Reg. 6, 38. de nono Zach. 7, 1. 1. Macc. 4, 52. de decimo Esth. 2, 16. de undecimo, Zach. 1, 7. 1. Macc. ult. 14. de duodecimo Esth. 3. & 9. *Cur mensis Nisan inprimis fuerit electus.* in qua sacramentum transcensionis admirabilis celebraretur, præcipuam Patres hanc rationem esse tradunt, quod verno etiam tempore mundus olim conditus fuerit: ut sicut verna temperies oportuna imaginem mundi nascentis expressit, sic & renascentis exprimeret. Ambros. l. 1. Hexaem. cap. 4. *Leo* serm 9. de pass. Ad prænunciatum, *inquit*, festis omnibus festum sacer novorum mensis emicuit, ut in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet christiana creatura principium. Similiter *Rupert. Tuitiens.* lib. 2. c. 5. ad Ex. Idem lib. 5, de divinis off. cap. 7. ex *Cyrillo, Beda, Chrysostomo, Anselmo* tradit, Christum mysticum agnum, civitatem Jerusalem X. die Nisan, quæ est palmarum, inter agnorum turmas gregatim subeuntes, ingressum fuisse: quasi non sine suo sacramento turba etiam mysticum agnum acceperit, phase suum paratura: quod firmant ex Joann. 12, 1. & 12.

Illud hic in transitu noto, ex hoc segregationis agni ritu derivatam esse phrasin Hebr. 7, 26. quâ Christus dicitur ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν: qua segregatione I. naturæ divinæ sublimitas & infinitas, adeoque immensa ab omni creata perfectione distantia in eo notatur: §. 20. *Loc. Hebr. 7, 26. expenditur.*

II. naturæ

II. Naturæ humanæ ex purificatis & ab omni peccati labe sincerissimè extersis Mariæ θεοτόκου sanguinib⁹ sapientissima formatio & sanctificatio. III. ejusdē per se non subsistentis in infinitam τοῦ λόγου subsistentiam assumptio ineffabilis. IV. ejusdē in sacrosanctę Triados incomprehēsibile consortium & communionem omnis divinæ & infinitæ majestatis collocatio. V. ejusdem demum perfectissima, in obedientiâ vitæ & mortis satisfactivâ, sanctitas. VI. tandem ejusdem ad dextram Dei excellentissimè & gloriosissimè dominantis sessio. Unde patet, quam ineptè simul & impiè *Bzovius* scripserit, in tractat. de Romano Pontif. c. 27. ubi ei hunc Christi titulum attribuit, quod sit impollutus & à peccatoribus segregatus. Manet, *inquit*, ea Romanæ Ecclesiæ puritas, nulla hæreticorum communione inquinata, usque ad feliciter superstitem *Paulum V. qui* acrimonia aquilini oculi & diligenti sollicitudine instar *vigilis Draconis* intemeratum Jesu Christi thronum & incontaminatam SS. Trinitatis sponsam custodit, ut sit sine ruga & sine macula, aut aliquo ejusmodi: neque prius ad sacratos illius pedes admittit, quam ad libellam orthodoxæ fidei probaverit flagitantes, verè Pontifex *impollutus & à peccatoribus segregatus.* Unde eum & vindicem scelerum cap. 57. nominat. Aliter testatur *Th. Stapletonus, Regius Lovanij Professor* in relect. Princip. Contr. 1. q. 5. art. 3. Ad reliquas vexationes, *inquit*, omnes accesserunt enormia & horrenda Romanorum Pontificum peccata atque flagitia. Vix enim ullum peccatum, sola hæresi excepta, cogitari potest, quo illa sedes turpiter maculata non fuerit, maximè ab anno DCCC. & infra.

§. 21. *Mactatio.* Secunda *actio circa* Agnum *paschalē* occupata est שחיטה *mactatio*, quæ fit cultro acutissimo per jugulū animalis ducto, quos actus vocant הליכה והבאה abitū & reditū. Sic autē loquitur textus. עד ארבעה עשר יום לחדש הזה שחטו אתו

כל קהל עדת-ישראל בין הערבים *Ad quartam decimam diem hujus mensis immolabunt eum omnis cœtus synagogæ Israel inter duas vesperas.* Mactatio autem illa conjunctam habuit excoriationem & perpurgationem. *Tostatus* existimat, extracta fuisse intestina & lota: Cajetanus verò, solum evulsum fel & viscera, quæ sordes continent, ejecta. Nulla fiebat alioqui partium ullarum resectio, non crurum, non capitis, nulla etiam in partes & frusta dissectio, sed integra prorsus relinquebantur omnia: Ex. 12,46. Num. 9,12. Atque hæc quidem agni in sua integritate conservatio & à crurum etiam comminutione præservatio quomodo in antitypo sit expleta, Joh. 19,36. demonstratur, & fusius exequitur Cl. Gerhard. Harm. Pass. p. 872.

Tempus mactationis est *I. decimaquarta dies mensis Nisan.* §. 22.
II. intervallum duarum vesperarum. Circa *primum* quæritur, ut ad exactam diei XIV. subductionem perveniatur, *Mactationis typus I.*
unde mensis initium capiendum? An è calculo quodam, quæ Judæi sive scripto sive memoria comprehenderunt? An verò ex Lunæ ipsius observatione? Et si ab hac, an ab ejus cum sole conjunctione, an verò ab apparitione seu prima visione? Et si à conjunctione, an à vera, vel à media? *Judæi* mensium initia è Lunæ observatione deducunt. Ut autem observatio Lunæ esset exquisita, dicunt, Patres Domus judicij ordinasse quosdam, qui nascentis Lunæ primordia conspicerent & iis conspectis exclamarent, Mekudasch Mekudasch, sanctificatus, sanctificatus est, postea indicebatur tubæ clangore neomenia. Et vetus illa consuetudo sua habet vestigia in Judæorum monumentis, *in Clem. Alex.* lib. 6. Strom. in Turcarum monumentis & aliis Judæorum asseverationibus. Sed certum defuisse calculum tam sanctæ genti & non uno artium genere excellentissimæ, vix fas est credere. Conjunctionem autem non illam verissimam, quam supputatio Astronomica monstrat, sed me-

diam, hominum usui accommodatam, & illi proximam acceptam fuisse in suo Hibur docent Rabini. Conjuncta fuisse subsidia calculi Astronomici & visionis ocularis credibilius est: ut eò solennior esset mutationis lunaris indictio.

§. 23. *Mactationis tempus II.* Quæritur *deinde*, an non etiam XIV. dies alterius cujuspiam mensis sacrari comedendo sive immolando agno paschali potuerit? Num. 9, 5. proponitur casus de immundis super anima hominis. Quamvis enim in Ægypto discrimen munditiæ & immunditiæ non attentum videatur, cum omnium etiam postibus sanguis illitus fuerit, tamen, quia lex jam erat lata in deserto, quæstio jure movetur. Immundi vocantur super anima hominis. Animam *Cajetanus* exponit vitam hominis extinctam. *Abulensis* corpus, cum tangere hominem non fuerit immunditia, nisi lepra, aut profluvio seminis inquinatus sit: vita autem sive anima tangi nequeat. Immundi igitur super anima hominis sunt, qui corpus humanum sua anima destitutum tetigerunt, Lev. 22, 4. 5. 6. Ampliari autem casus hujus quæstio ad alias etiam immunditiæ legalis species potest, quarum causa sacris interesse non licet. *Lyranus* existimat, immunditiam in sola immolatione esse impedimento. *Burgensis* in sola comestione. Utrobique impedire, generalitas verborum docet. Additur etiam alter casus, si quis in gente Judaica fuerit procul in via. *Tostatus* refellit eos, qui docent, si quis Hebræorum profectus longius fuisset, extra terram promissionis, ita ut adesse non posset mense primo, ut celebraret pascha, venire debuisse mense secundo. Posse autem intra terram promissam celebrare mense primo, ubicunque esset, quoniam simpliciter locus determinatus est intra terram promissionis, Deut. 6, 2. nec rationi congruit, longius peregrinantem extra terram promissam, non excusari à celebrando pascha in mense secũdo, sed oportere

in eo,

in eo celebrare, si non potuit in primo, excusari autem, qui propius aberat intra terram promissam, ita ut posset celebrare intra eandem alibi, quam in loco constituto. Accedit, quod minus distare poterat extra terram promissam peregrinatio, in confinio ipsius, quam intra terram promissam longius à loco constituto. Quare ait, non debere exponi, si fuerit aliquis in via in gente vestra, id est, intra gentem vestram, sed si aliquis in gente vestra, hoc est, de gente vestra sive natu, sive profectu Judæus, fuerit in via procul, hoc est, iverit in longinquam regionem. Concludit ergo, sive intra sive extra Judæam constitutus quis fuerit procul à loco paschati celebrando sacrato, ita ut ordinario tempore non posset esse in stato loco, quid faciendũ sit, quæri. *Cajetani* scholiastes ex *R. Hachiva* refert, mensuram quindecim milliarium excusare potuisse à paschate primo. Moses consulto Deo in his duobus casibus, respondet, ejusmodi sive immundos, sive peregrinantes ad præscriptum ritum Mense secundo pascha mactare debuisse.

Quæritur insuper, fieri ne potuerit, ut aliquibus etiam de causis, in alterum similiter mensem pascha suum proferret totus populus? Ut si templum esset profanatum, & interea expiaretur, renovareturque, si Hierosolymam totam bellum vel pestis oneraret? An ut mortui contactu pollutus in mensem alterum differendi paschatis jus habuit, ita aliis etiam de causis alii dilationem facere jure potuerint? An si & secundo mense quis haberet differendi causam, possit in tertium vel quartum mensem prorogare? An qui differebant ita pascha, etiam Pentecosten distulerunt? *Prima quæstio* occurrebat Ezechiæ R. tempore, 2. Paral. 30. ubi contaminatum adhuc fuerat templum & maxima populi turba, cum multis sacerdotibus & Levitis immunda. Decisaque fuit ob gravissimas rationes universalis paschatis celebrandi procrastinatio in alterum mensem. Si bellum aut § 24. *Trãslatio temporis Mactationis.*

peſtis preſſiſſet, eadem futura fuiſſet ratio. Omnia tamen prius tentanda fuerant, ut religioni ſatisfieret. Sicut obſeſſi ab Antiocho Hieroſolymitani, ob feſtum ſcenopegiæ impetrarunt ſeptem dierum inducias & victimas inſuper magnificas, tauros auratis cornibus, pocula tam aurea quam argentea, referta omne genus aromatibus. Sic & aliæ, ut diximus, cauſæ, quæ aliàs à ſacrorum communione arcent hominem, idem operantur, quod immunditia ſuper animam. *Obſervandum* autem, quod *ex Sanhedrin* quidam enarrant, ſub primo etiam templo ſolitos fuiſſe Judæos aliquando unum menſem ante ipſum Niſan interponere, ita, ut qui eſſet futurus Niſan, vocaretur Adar ſecundus, & qui poſtea Niſan vocatur, ſit quaſi poſt ordinarium Niſan menſis alter. Et ſic ordinarius menſis, Niſan videl. verbo quidem ipſo ſervabatur, reapſe autem tempus menſi Niſan debitum ſub nomine Adar repetiti decurrebat. Interpoſitio illa Græcis ἐμβολισμὸς, Lat. intercalatio vocatur. Illius intercalationis tres dantur à Thalmudiſtis cauſæ. I. eſt ſpicarum immaturitas. Fiebat in communi annorum curſu interdum, ut in ultimo menſe Anni, Adar vocato, ſpicarum maturitas nondum appareret, ita ut poſtridiano die paſchatis manipulus ſpicarum præſcriptus offerri potuerit. Ergò elapſo Adar, cum aliàs debuiſſet incipi Niſan, permittebatur lapſus tanti temporis, quantum ſufficit menſi conſtituendo, illudque Adar ſecundus dicebatur, poſt quod demum Niſan ordinabatur: ut integer Adar ſecundus eſſet embolimæus. II. defectus fructuum in arboribus. Si enim non eſſent in arboribus fructus maturi, ut aliis annis fieri ſolebat, intercalabatur tamdiu menſis. III. Tekupharum ſive revolutionum natura. Annus Judaicus in quatuor Tekuphas ſive quadrantes dividebatur, quilibet tribus menſibus conſtabat, intererant dies 91. & 7. horarum cum dimidia. Prima Tekupha ſive revolutio vocabatur

cabatur Choreph sive autumni & Tisri, quæ in die Octobris septimo erat, à Solis in libram ingressu ad Capricornum. Altera Chor, sive Tebeth, VII. Januarij, à Capricornu ad Arietem. Tertia Chom, sive Nisan, VIII. Aprilis, ab Ariete ad Cancrum. Quarta *Kayts*, sive Tamuz, VIII. Julij à Cancro ad Libram. Quando, ergo fiebat ut juxta Lunę cursum ab ipsius cum Sole conjunctione esset XVI. Nisan, & tamen vel tum primò vel non multò antè verna illa Tekupha, inciperet, solque arietem ingrederetur, unde immaturiora essent omnia, ideo ante paschalem spicarum offerendarum diem, ut citius inciperet Tekupha, mensis intercalabatur, post quem prodibat demum Nisan, in quo pascha celebrandum. Hac intercalatione facta Lunæ cursus in sequentium annorum epilogismis in ordinem suum redigebatur, licet nonnunquam plures annos ob similem temporis necessitatem oportuerit facere embolymæos, uti duos quondam factos ad Lev. 22. notat *Aben Ezra*. *Scaliger* in lib. 3. Isag. ad Can. Chron. p. 278. ad id firmandum pervetustas *Synedrij* Hierosolymitani ad Galilæos, Babylonios & Medos Judæos Epistolas producit. *Rambam* alias etiam intercalandi causas affert, tempestates, eversos pontes, diluvia & pluvias, immaturiores etiam agnos & hœdos, & similes, quas suo loco relinquimus. Apparet hinc, ne differre cogerentur pascha in alium Mensem, nomen potius Mensis tempori alterius mensis accommodasse Judæos, si tanta esset necessitas, ob quam secundum ordinarium mensium cursum pascha celebrari non poterat: si quidem ita se habent, quæ ex Rabinis proferuntur. Cæterum si in secundo etiam mense celebrari non poterat, in tertium mensem proferri pascha debere, núspiam ex sacris comparet. Pariter de *P*entecostes prorogatione vestigium nullum est.

De tempore quod est, בין הערבים *inter duas vesperas* ita §. 25.

Duæ Vesperæ quid significent?

R. D. Kimhi in lib. Rad. *scribit.* Inter duas vesperas, id est, à tempore inclinationis solis ad occidentem, quod est à sexta hora & ulterius usque ad noctem. Dicit autem ערבים quod notat duas vesperas: nam à tempore quando sol incipit declinare, ea est vespera una: post occasum solis, est vespera altera. Inter hoc tempus est illud. Per sextam hic non intelligitur nostra sexta vespertina, sed sexta diei Judaici, id est, ipsa meridies. In duodecim enim horas dividebatur dies. *Itaque ita se res habet.* Jussit Deus agnum paschalem mactari inter duas vesperas. Jussit etiam agnos duos in jugé sacrificium indies offerri, unum mane, alterum vespere, seu inter duas vesperas, Num. 28. Ergo vespera paschatos duo erant mactandi. Quia autem ordinarium extraordinario non postponitur, itaque agnus paschalis sequebatur. *De agno paschali priscorum traditio legitur*, si juguletur Pesach ante meridiem, profanum & illegitimum est, propterea, quod dicitur, *& jugulabunt eum inter duas vesperas*, Ex. 12, 6. ante sacrificium juge vespertinum, rectum est: maximè si quis misceat sanguinem agni, (ne scil. condensetur) usque dum sparsus fuerit sanguis sacrificij jugis & postea ipse quoque spargatur, tùm rectum est. *In tractatu Thalmudico* de paschate cap. 5. In eodem capite de agno sacrificij quotidiani hoc *traditur.* Thamid sive juge sacrificium agni jugulabatur hora octava & dimidia (id est, inter secundam & tertiam) & offerebatur horâ nona & dimidia (inter tertiam & quartam nostram.) Vespera paschatis mactabatur septima & dimidia (inter primam & secundam) & offerebatur octava & dimidiâ (media ad tertiam.) Quod si vespera paschatis incideret in vesperam Sabbathi, mactabatur sexta & dimidia (inter duodecimam & primã) & offerebatur septima & dimidia (media ad secundam) & postea Pesach. *Hæc traditio.* Explicant & *complent eam* Dd. *in Gemara* hoc modo. Unde hæc probantur? Ex eo, quod dicit

dicit ſcriptura, *agnum unum parabis mane, & agnum alterum parabis inter duas veſperas*, Num. 28, 4. Dividit illud tempus in duas veſperas, ut duæ horæ cum dimidia ſint hinc & totidem illinc, & hora una ad parandũ eum. Quæſivit quidam, quare veſpera paſchatis anticipamus hora una. Reſpondit Rabba, lex ſacrificij jugis propriè eſt à quo ſe inclinare incipiunt umbræ veſperæ. Quare id? ex eo, quod dicit ſcriptura, *inter duas veſperas*, id eſt, à tempore, quo incipit ſol occumbere. A veſpera paſchatis, quando agnus paſchatis poſt Thamid ſeu agnum quotidianum mactandus eſt, anticipamus horâ unâ. Quod ſi veſpera paſchatis incidat in veſperam ſabbati, ne aſſatura agni paſchalis attingat ſabbathum, ulterius horâ unâ anticipamus, mactando eum ſexta & dimidia. *Hactenus Gemara.* Vnde veterum de hoc veſpertino tempore apparet ſententia: quam uberius ex antiquitatibus Hebræorum eruit *Buxtorff.* Lex. p. 574.

§. 26. *Qua veſpera mãducatum paſcha?*

Quia verò Judæorum dies naturalis veſpera terminabatur & incipiebat, quia ab occaſu ad occaſum ſolis diei ſpatium deſcribere ſolebant, *quæritur inſuper*, quanam veſpera paſcha fuerit primitus manducatum & porrò manducandum, an ea veſpera, quæ diem decimum tertium terminabat & inchoabat diem decimum quartum, an verò ea, quæ decimum quartum terminabat, decimumquintum autem incipiebat? *Primam opinionem Græcis* tribuit *Bellarm.* lib. IV. de Euchariſt. cap. 7. Idem non ita pridem in Hiſpania docere cœpit *Aloyſius Legionenſis*, libro de agni typici & veri immolationis legitimo tempore, ipſiq; ſe quadantenus adjunxit *Petrus Lopez Montayanus* ſuarum in Canonem Miſſæ annot. lib. 20. Et *Scaliger* lib. V. Em. Tem. pag. 351. Rationes hæ ſunt, I. *quia* Joſeph. lib. 1. ἀρχαι. c. 5. ait ἐνστάσης τῆς τεσσαρες καὶ δεκάτης πάντες πρὸς ἔξοδον ἔχοντες ἔθυον, hoc eſt, ut vertit Ruffinus vetus Joſephi interpres, cum

cum instaret XIV. dies, omnes ad egressionem tendentes & immolantes sanguinem, &c. Si tantum instabat dies XIV. seu appetebat, & tamen ad vesperam immolatus fuit agnus, ergò vespera terminante diem XIII. Nisan fuit immolatus. II. *quia* Judæi sunt egressi ex Ægypto noctu, sole occidente, in fine diei XIV. & in eunte die XV. *Pridie* igitur ad vesperam pascha comederant, quæ fuit terminans diem XIII. Antecedens, quoad singulas partes, probatur. *Prima* egressos fuisse noctu, Ex. 12, 37. & 47. *Secunda*, sole occidente ex Deut. 16, 6. *Tertiò*, illam noctem fuisse finem diei decimæquartæ, & principium XV. ex Num. 35, 3. *Consequentiam inde probant*, *quia* ederunt Israelitæ pascha ad vesperam, quæ non potuit esse hæc ipsa diei XIV. terminatrix, qua egressi sunt. *Primò*, quia comestionis illius nocte vetitum erat ipsis è domibus suis egredi. Ex. 12, 22. *Deinde*, quia Num. 33, 3. dies egressionis dicitur altera dies ab agni comestione. *Tertiò*, quia post comesum agnum & ante ipsum ex Ægypto exitum adeò Israelitis multa curanda & facienda erant, ut etsi voluissent, non potuissent eadem, qua pascha comederunt, nocte iter capessere. Nam ex omnibus vicis tum primum congregari debuerunt, cum post primogenitorum cladem ad exitum propellerentur Israelitæ ab Ægyptiis, debuerunt & aurea atque argentea vasa ab Ægyptiis poscere, ita ut natalis facile dies intervenisse videatur: ideoque omninò ederunt agnum die XIII. ad vesperam, quæ diei XIV. principium erat, secuta nocte tota domi quisque suæ se continuerunt, die XIV. secuto petere ab Ægyptius vasa illa, unumque in locum turmatim confluere cœperunt, tandemque ad ejusdem diei vesperam, qui XV. principium erat, sole jam occaso feliciter exierunt.

§. 27. *Communissima* contra *sententia est*, quæ jam inde ab omni memoria obtinuit, *immolationem* agni paschalis factam fuisse

iſſe ad veſperam, quæ diem XIV. terminabat & XV. incipiebat. *Rationes pro ea* ſunt I. *à termino azymorum edendorum, à quo & ad quem.* Simul & incipiunt azymorum dies ſeptem & paſcha editur: quia cum illis hoc edi oportuit & non ante. At illi incipiunt die XIV. ad veſperam finientem, ſive in illa veſpera, quæ diei XV. feſti & azymorum primi pars prima eſt. Terminus autem finiens azymorum dies eſt vigeſimus primus dies menſis Niſan in veſpera. Jam ſi terminus à quo celebrandi paſchatis eſt veſpera finiens XIII. diem & incipiens more Judaico diem XIV. tum uſque ad veſperam finientem diem XXI. erunt octo dies azymorum. Videatur Ex. 12. & Lev. 23. II. *à deſignatione duarum veſperarum.* Duarum enim veſperarum curſum in ipſum pomeridianum tempus incidere & non præcisè occaſum ſolis deſignare, ſupra oſtenſum fuit. Quamvis enim Mercerus velit, nimis latè Kimhium veſperam unam à meridie, ex quo Sol declinare incipit, metiri, tamen, ut ait *Cephalerius*, ſi verba ejus exigas, ad expoſitionem *R. Salomonis*, non prorſus mala eſt. Ille enim Gallus ſuis horis Gallicis hujusmodi tempus ita deſignat, ut velit totum illud ſpatium intermedium inter duas veſperas eſſe à ſexta pomeridiana (eo vid. anni tempore, quo hæc facienda præſcribuntur, puta ſub æquinoctium vernum) ad noctis uſque crepuſculum, ex quo nimirum incipit diei veſpera, quod fieri ait, ſub horæ ſeptimæ initium, h. e. audita jam ſexta & cū noctis veſpera proceſſit. Veſperā autem definit crepuſculum & lucem jam hebetem & ſatis obſcuram. Illud ſanè non prætermittendum, quod Deut. 16, 6. non dicitur in occaſu ſolis, ſed כבוא השמש περὶ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν, ſive ut LXX. vertunt, πρὸς δυσμὰς ἡλίου, circa ingredi ſolem; ſive circa occaſum ſolis celebrandum paſcha, ad quod tempus hora nona, ut numerant Judæi, ſive noſtra tertia jam refertur: quæ & tempus erat veſpertini ſacrificij & ho-

die tempus est precum, quas pro eo hodie Judæi suppo-nunt. Si itaque illæ duæ vesperæ ambæ ad decimamquartam diem pertinent, una inclinantem jam ad concludendam lucis præsentiam solem ostendens, altera solem occasum habens, tum immolatio paschalis agni inter duas vesperas peragenda, non potest aliter, quam circa vesperam diem decimumquartum terminantem peragi. Et aliàs usu & scripturæ & omnium gentium vespera finis ejus diei, cujus vespera dicitur, nunquam principium intelligitur. Quanquam enim ex præcepto Ex. 18. sabbatha à vespera ad vesperam celebranda fuerint, tamen initium festi diei nunquam vespera dictum est, neque ut initium ponitur, sed ut finis ejus diei, unde festus incipit. Itaque vespera non respectu sequentis diei, sed præcedentis potius accipitur. III. *à notatione ejus mane, quod immolationem agni paschalis secutum est.* Mane illud hoc habuit ex præscripto divino singulare, quod ad illud usque nil de agni paschalis reliquijs superesse debuerit. Exod. 12, 10. Illud autem *mane*, est decimæ quintæ diei mane. Joseph. lib. 3. Antiq. c. 10. Mense Xantico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, luna XIV. sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægypticâ servitute liberati sumus sacrificium *Pascha* nominatum quotannis instaurare lege jubemur, celebramusque id per sodalitia, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est quintadecima & azymorum festivitatis prima. IV. *ab indicatione temporis exitus.* Mane XV. diei exivisse Israelitas constat. Angelus enim media nocte percussit primogenita: qua cæde territi Aegyptij eadem nocte urserunt eorum exitum. Quæ urgentium Ægyptiorum vehementia fecit, ut conspersiones suas, ita massas farinæ in panes elaborandas vocant, ante quam fermento penetrarentur, assumere secum involutas & inelaboratas cogerentur Israelitæ, neque quicquam ob expulsionis

festi-

festinationem in cibum præparare possent, Ex. 12, 30. &c. Eo itaque mane, aut certè finitâ fere nocte, qua cœdes illata fuerat ægyptiis, exierunt. Si autem mane eo egressi sunt, quod immediatè manducationis paschalis vesperam secutum est, & illud mane est XV. diei Nisan, ergò vespera paschalis est finiens diei XIV. Nec obstat interdictum datum Israelitis de non egrediendo è domibus, usque mane. Ex. 12. Interdicitur namque egressus privato & temerario ausu tentatus, non communis, imperatus, post stragem primogenitorum factus. Unde etiam, quod Ex. 12. & Deut. 16. noctu dicuntur egressi, non de prioribus, sed ultima noctis parte, adeoque matutino tempore intelligitur. Itaque ἐνστάσα ἡμέρα apud Josephum præsentiam, non vicinitatem notat, ut id Græcismi etiam ratio monet. Neque Ruffini versione, perversa sæpe, standum. Quas verò circa profectionem occupationes quis fingere posset, illas quatriduum parascevasticum expedire potuit. Conf. Joseph. l. 1. ἀρχ. c. 5. V. *A descriptione ejus diei, quæ paschalem vesperam sequebatur.* Ex. 12, 14. *D*ies paschalem vesperam secuta dicitur in monumentum positus, ut festus Jehovæ celebretur statuto perpetuo. Si autem scripturæ verba observemus, inveniemus, diem azymorum solennem & festum & solennitatem vocari, diem autem XIV. nec festum, nec solennitatem dici, quoniam non nisi extrema sui parte solennis fuerat, cætera totus profestus. Si autem dies XIV. sequeretur paschalem vesperam, tanquam terminum à quo, non autem antecederet, tanquam terminũ ad quem, tum XIV. deberet esse festus & solennis Deo. Vespera itaq; paschalis non antecedit, sed consequitur XIV. diem, tanquam ejus finiens & exordium XV. diei, more Judaico computando. *Controversiam* quæ hîc *de vespera, qua Christus pascha celebravit,* immiscetur, infra attingemus.

CAUSA EFFICIENS immolationis paschalis à diver- §. 28.

Quis immolaverit agnum Paschalem?

ſis diverſa traditur fuiſſe. *Claudius Sanctius* Epiſc. Ebroic. Euchariſt. repet. 1. c. 7. & ex eo *Nic. Serarius* Jeſuita in Joſ. cap. 5. p. 455. cum alijs quibusdam *ſtatuunt*, iſtam immolationem in principio à Levitis, poſtmodum ſtabilito ſacerdotio à ſacerdotibus peractam fuiſſe. Tum, *quia* non alia de cauſa videtur Deus voluiſſe, ut ſolum Hieroſolymis, eoque in loco, ubi tabernaculum aut templum eſſet, paſcha comederetur, quam quia miniſtrantibus ſacerdotibus immolatio competit, Deut. 16, 7. tum, *quia* lib. 2. Paral. cap. 30, 1. & 17. &c. 35, 6. 11. Ezechias miſit, ut venirent in Domum Domini in Jeruſalem ad *Phaſe*, & Levitæ erant ſuper mactatione agnorum paſchalium, & paſcha immolabant, ijsque pelles detrahebant, & ſacerdotes paſchatum ſanguinem ab immolatoribus accipiebant, ſpargebantq; , ut altaris cornua contingerent, 2. Paral. 30, 16. c. 36, 11. tum *quia* Eſd. 1. c. 6. v. 19. dicuntur ſacerdotes & Levitæ purificati ad faciendum paſcha. Tum, *quia Ioſephus* lib. 6. ἀρχ. c. 46. narrat, initum populi Judaici numerum à ſacerdotibus ex agnorum paſchalium recenſione, ut eos neceſſe ſit afferri ſolitos ad ſacerdotes, qui immolarent: Tum *quia* fuiſſent alioquin omnes Judæi ſacerdotes, ſi omnibus patribus fam. immolare licitum fuiſſet.

§. 29. *An à patribus familiâs facta agni paſchalis immolatio?*

Alij contra *ſtatuunt*, immolationem agnorum paſchalium factam à patribus fam. Huic ſententiæ *præter inſtitutionis verba* Ex. 12. repetita Lev. 23. & alibi favet *Ioſephus* l. 2. ἀρχ cap. 5. verbis ſupra adductis. Item, quod poſt ait, quia in ea feſtivitate θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς λειτουργίαν θυσιῶν. Conſentit *Philo Iudæus* l. 3. de Vita Moſis, quando *ait*, quod in paſchali tempore, non ut aliàs, οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δὲ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται, τοῦ κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος καὶ χειρουργοῦντος. *Confer eundem* lib. de Decal.

Decal. sub finem. *Lorinus Iesuita* in Num. c. 8. p. 290. Propendeo, *inquit*, magis in opinionem de Laicis familiarum capitibus & primogenitis, qui ex veteri naturæ jure futuri erant ordinarij sacerdotes, quia tot agnorũ millia per manus sacerdotum tam brevi tempore mactari non poterant, & quia immolatio agni paschalis erat antiquior legalibus, utpote instituta ante istas. Consentiunt *Bellarmin*. l. 2. de Miss. c. 7. *Francolinus* de Hor. Can. c. 71. num. 11. *Suarez*. 3. part. T. 2. disp. 40. sect. 2. *Magalian*. Jos. c. 5. s. 2. *Corn. à Lap*. in Ex. 12. & *Dionys. Carthus*. 2. Par. 30. Sicubi ergò scribi videtur, sacerdotibus id tribui, aut adjutoribus eorum Levitis, sub nomine pascha comprehenduntur alia sacrificia, quæ diebus azymorum fiebant, ex quibus aliquid etiã in usum populi cedebat. *Iosephus* ex agnis 255000. paschalibus immolatis tempore Cestij Præsidis colligit, tunc fuisse Hierosolymis trigesies centena & septuaginta millia præter impuros. At non erant tot Levitæ. Non ergò hi soli sacrificabant, nisi fingas, ab eodem uno plures agnos sacrificari. Quando etiam vetatur pascha fieri extra locum à Deo electum, non sequitur fieri debuisse in Templo, ut *Abulensis* tamen putat, sed quia alia sacrificia fieri debebant & ea non nisi ibi: tum præterea propter mysterium, quia verus agnus in Jerusalem sacrificandus erat. *Ita suum Serarium, Lorinus refellit*.

Locus immolationis paschalis *primus* est *Ægyptus*, ubi immolantibus Israelitis infensissimi erant Ægypti incolæ, Gen. 46, v. ult. cujus rationes hucusque interpretes dederunt, vel *quia* Ægyptij carnibus abstinuerunt animalium, quæ sacra existimabant, quam rationem impugnat *Ian. Selden* de Diis Syris p. 62. vel *quia* ipsa animalia, tanquã numinis aliquid habentia, Ægyptij coluerunt. Vide Comment. ad loc. cit. *Heurn*. in Phil. Barb. Chaldaic. p. 44. quam rationem etiam impugnat *Cun*. de R.H. p. 35. Verior odij

§. 30. *Locus immolationis primus.*

originatio hæc eſt. *Ægyptiorum* quatuor genera erant, ἱερεῖς primi loco & dignitate, ſecundò μάχιμοι, qui & καλασίριες & ἑρμοτύβιες, tertiò τεχνῖται homines quidem ingenuæ, ſed tamẽ humilis conditionis, quartum βύκολοι καὶ ποιμένες abjectiſſimum & deſpicatiſſimum genus, adeoque Ægyptiis execrabile. Eos Manetho priſca Ægyptiorum lingua ὕσα, dictos fuiſſe ſcribit, referente Joſepho contra App. Erant autem omnes advenæ, cujusmodi & Hebræi. Durius autem ab Aegyptiis tractati, quod loco beſtiarum aut καθαρμάτων haberentur, non ſemel ſeſe in libertatem vindicarunt, adeò ut regem & ſedem regni in Aegypto ſibi conſtituerent, quod accidit primò annis M. C. XII. ante exodum Iſraelitarum, factam in XV. dynaſtia *Paſtorum*. Secundò alij Paſtores rebellarunt annis DCCCLX. ante exodum. Tertia rebellio annis CXC. ante exodum. *Scal.* an. ad Euſeb. p. 18. Itaq; animalium paſtura non fuit cauſa odii, quia magnas animalium varij generis turmas Aegyptij ipſi intra ſe aluerunt, & comederunt etiam animalia Aegyptij Lycopolitani & alij apud Plutarchum & Herodotum nonnulli indiſcriminatim, pauci ovilla abſtinuerunt. Sanè ſi cultus animalibus ut numinibus habitus fuit, non Paſtores, quà tales, ſed laniatores, execrabiles dicerentur.

§. 31. *Poſt exodum, locus* quem elegit Deus, ut ibi habitet nomen ejus, paſchati ſacer erat. Fixa & plenè in Canaanem introducta republica Judaica locus mactationis fuit Hieroſolyma. *Quæritur autem*, an locus immolationis agni paſchalis fueris conſtitutâ Rep. ſolum templum, an verò Hieroſolymis locus honeſtus & familiaris quivis? Priorem ſententiam fovet poſt *Cl. Sanctium & Abulenſem Serarius* in Joſ. cap. 5. p. 470. producit pro ſe *Iuſtinum Martyrem* in Dial. cum Triphone Jud. *R. Saadiam Gaonem & Maimonidem* & rationem ex falſa hypotheſi, *quia* agnus paſchalis à ſolis ſacerdotibus offerebatur immolando. Refutat

Locus ordinarius.

etiam

etiam Cardinalem ordinis sui *Bellarminum* eodem loco. *Posterior* tamen *sententia verior est* & ex prioris quæstionis de patribus fam. sacerdotibus definitione fluit, placetque ex Pontificiis *Masio* in Jos. 6, 5. p. 91. *Suarezio* p. 3. T. 2. q. 50. disp. 40. sect. 2. T. 3. q. 73. d. 41. s. 1. & patet ex ipsis tum institutionis paschalis verbis, tum historicis celebratarum solennitatum paschalium monumentis. Luc. 22, 11. 12. Mar. 14, 14. 15. Matth. 26, 17. 19. *Serarius* autem *S. Iustinum* temerariè allegat. Non enim habet, quod habere dicitur. Triphon enim in disp. cum Justino p. 205. ed. Commel. fatetur, pascha non posse à Judæis extrà terram sanctam exulibus celebrari: non autem dicit, nullibi nisi in templo immolari posse.

Porrò *agnum immolatum* interfectumque *in duo separabant* porrò usurpanda: in *sanguinem & corpus. Sanguinem* utrique januæ posti & superliminari domus, in qua edendus erat agnus, *illinebant.* Ex. 12, 7. Et tollent è sanguine & dabunt super ambos postes & super superliminare super domos, quibus comedunt eum in eis. & v. 21. accipietis fasciculum hyssopi & intingetis sanguinem, qui in pelvi, & pertingere facietis ad superliminare & ad ambos postes, de sanguine, qui in pelvi, &c. *Per domum*, in qua edebatur agnus, non necessariò locus intelligitur è solida materia habens fundamenta, & parietes & tecta, sed qui vel hæc haberet, vel horum similitudinem, uti tentorium, vel tuguriũ, quomodocunque constructum. Cum enim tot hominum myriades Hierosolymam, imò in minora loca, Siluntem, Noben, Gabaonem ad Pascha confluerent, an sat multæ domus fuissent? an quod in Bethleem Mariæ accidit Luc. 2. quibusdam aliquãdo locus in diversorio non defuisset? §. 32.

אגדת אזוב. *Pagninus* post LXX. & vulgatam Latinam versionem vertit *fasciculum hyssopi.* Ille intingendus erat in sanguinem, ut aspergi ille postibus superliminarique posset. §. 33. *Quid fasciculus hyssopi?*

ſct. אזוב *alij* muſcum, *alij* origanum vertunt, ut *R. Kimchi* in lib. Rad. qui ejus ſeptem ſpecies eſſe dicit, & Arabicè צעתר vocari. *Franc. Georg. Venetus* T. 7. Harm. mundi Cant. 1. cap. 28. & alibi *colligit*, intelligi eo vocabulo libanotida arboreſcentem, qui vulgo roſmarinus: *quia* hyſſopo uſi ſunt Judæi pro aſpergillo, ad quod commodiſſimus ob denſitatem, copiam & parvitatem foliorum roſmarinus: *quia* opponitur cedro tanquam arborum minima, notum autem eſt, libanotida etiam arboreſcere, *quia* dicitur naſci in pariete, libanotis autem ſaxoſis locis gaudet: & *quia* libanotidi ramuſculis reſectis appellatio καλάμυ congruit optimè, quæ hyſſopo tribuitur apud Evangeliſtas. *Druſ.* ad ll. diff. Pent. p. 442. non vult recedere à vulgato hyſſopi ſenſu, *quia* videt interpretes omnes veteres hyſſopum communiter retinere, quibus etiam linguæ vicinæ Chaldaica & Arabica, cum affinitate vocis favent: *quia* videt conſentire Lexicographos, *Simonem Iannenſem* in clav. Sanit. *Stephanum* Arabicarum vocum collectorem, & *Moſen de Kotſi.* *Addit idem*, ſciendum, hyſſopum vulgarem ab hyſſopo veterum diverſam eſſe, obſervante *Dodonæo*, qui etiam ſcribit, origanum heracleoticum folium habere hyſſopi ſimilitudine. Sed hæc in medio relinquimus. Ex hyſſopo fiebat adſpergillum (quæ in ſacris etiam gentilium ex lauro & alijs frutetis fiebant) ita ut faſciculus Eſob tribus caulibus conſtans filo coccineo ad baculum cedrinum alligaretur. Baculus cedrinus cubiti, faſciculus Eſob palmi longitudinem habebat. Quam conjunctionis formam ad imaginem Trinitatis referunt Theologi.

§. 34. *Illitio ſanguinis.* *De illitione ſanguinis* paſchalis *ita philoſophatur Lud. Alcaſar* in Apoc. p. 439. *Notandum* eſt, poſtes non eſſe portas, ſed utrumque latus oſtij & linendo ſanguine integrum ſuperliminare & utrumque poſtem hujusmodi formatur figura Π, quæ eſt furcæ figura, & ea etiam appellatur interdum,

dum, opinor, crux à Latinis, sed quia superius limen solet esse longius, quam supradicta figura requirit, & utraque ex parte nonnihil protendi, ideò obliniendo sanguine integrum superliminare & utrumque postem duplex conjungitur Tau hac ratione ╤: sed ad formandum duplex Tau non erat necesse integrum superliminare oblinere, satis erat in extremis illius partibus (juxta angulos postium.) Ex quo intelligitur, quod ait *Hieron.* Com. Es. 66. cum agens de signo crucis ait, hoc & postes domorum in ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto solus Israel mansit illæsus. Quare quod quidam hæreticus ait apud *Gretserum* l. 1. de Cruce c. 44. *P*apistas fingere, Israelitas sanguinem in modum crucis foribus illevisse, si de perfecta forma crucis loquatur, calumnia est, si verò de duplici Tau, in quo figura crucis immisse cernitur, Hieronymū habemus autorem, & forma ipsa postium & superliminaris id persuadet, solumque displicere potest inimicis crucis Christi. Amicis enim notum est, in conjunctione postium cum superliminari vestigium crucis elucere. *Hæc Alcasar*: *qui & ait*, signū in frontibus servorum Dei Apoc. 7. & hoc Ex. 12. in postibus esse unum idemque. *Bellarminus* l. 2. de Imag. Sanct. cap. 29. *ut probet*, signum crucis, quod in fronte vel in aere pingitur, esse sacrum & venerabile, ostendi, *ait*, potest ex figuris veteris testamenti. Nam sanguis agni in postibus domorum, de quo Ex. 12. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum *August teste*, in libro de Catech. Rud. c. 20. *Atqui* illa *Alcasaris* de duplici Tau *Philosophia* quàm inani nititur speculatione! Neque enim ullibi certa illius illitionis figura exprimitur. Quanquam si cruciformem aliquatenus illam adspersionem concesserimus, nihil planè nostræ causæ detrahimus. Patrum hac de re speciosas allegorias, non satis certo semper nixas fundamento, non acceptamus, nisi quatenus non violant analo-

 giam

giam fidei. Signum Crucis, quod pingi in frontibus & aere & in pia antiquitate solitum fuit, & adhuc inter nos alicubi solet, σημαντικὸν esse, non ἐνεργητικὸν dicimus, quod Pontificiis placet (qui illud venerantur religioso affectu, & ut Thomas loquitur, de imaginibus, eodem quo prototypū cultu. Nos ad conspectum signi memoriam in universum passionis mysterium revolvimus, ibi religiosum affectum sistimus. De signo Tau, Ez. 9. ne Pontificij consentiunt.

§. 34. Quomodo post excessum Israelitarum ex AEgypto AEgyptijs quotannis in Judaico paschate greges & arbores minio velut alexeterio illinere solenne fuerit, tradit Epiphan. in hæresi Ναζαραίων lib I. Tom. I. p. 23. Τοῦ προβάτου τυθέντος ἐν τῇ τῶν Αἰγυπτίων χώρᾳ, ἔτι παρ' Αἰγυπτίοις ἐτυγχάνει ᾀδομένη ἡ παράδοσις καὶ παρὰ τοῖς εἰδωλολάτραις. ἐν γὰρ τῷ καιρῷ, ὅτε τὸ πάσχα ἐγένετο ἐκεῖσε, ἀρχὴ δὲ αὕτη γίνεται τοῦ ἔαρος, ὅτε ἡ πρώτη ἰσημερία, ἐκ μίλτεως λαμβάνουσι πάντες Αἰγύπτιοι κατ' ἀγνωσίαν καὶ χρίουσι μὲν τὰ πρόβατα, χρίουσι δὲ καὶ τὰ δένδρα, τὰς συκὰς καὶ τὰ ἄλλα, φημίζοντες καὶ λέγοντες, ὅτι φησὶ τὸ πῦρ ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ κατέφλεξε πότε τὴν οἰκουμένην. τὸ δὲ σχῆμα τοῦ αἵματος τὸ πυρωπὸν ἀλεξητήριον ἐστι τῆς τοσαύτης πληγῆς καὶ τοιαύτης. Oviculæ in ægyptiorum regione mactatæ ad huc apud ægyptios traditio celebratur, etiā apud idololatras. In tempore enim quando pascha illis fiebat, (est autem tunc principium veris, cum primum fit æquinoctium,) omnes Aegyptij rubricam accipiunt per ignorantiam, & illiunt oves, illinunt arbores, ficus, & reliquas, prædicantes ac dicentes, quod ignis in hac die aliquando combussit orbem terrarum, figura autem sanguinis ignicolor remedium auxiliare est, talis ac tantæ plagæ.

§. 35. *Ritus illinendi postes an perpetuus?*

An ritus illinendi sanguinem postibus ad primum duntaxat pascha in Aegypto celebratum, an verò ad omnia pertineat, quæritur? Tostatus, Fr. Iun. & Tremellius, cum aliis, temporarium & ultra Aegyptum nequaquam servandum hunc ritum opinantur, quia in repetitione instituti paschalis Lev. 23. & Num. 8. nulla ejus fit mentio, & ratio ritus cessavit

cessavit, quæ est, indicare transeunti angelo domus Judaicas, & *quia* calidus sanguis debebat illini. *Lactantius* l.4. D. Inst. c. 26. *& alij statuunt*, adspersionem sive illitionem illam non minus esse actum sacramentalem, quam manducationem carnium agni, cum post præceptum illinendi subjungatur de perpetuatione ritus mandatum v. 24. observabitis rem istam pro statuto in seculum. & Num. 9, 3. pascha celebrari juxta omnes ritus suos, & juxta omnes ceremonias suas jubeatur. Cumprimis quia sanguinis illius illitio fuit etiam figura sanguinis Christi in Eucharistia cum vino exhibendi. *Leo M.* serm. 7. de passione Domini, Ut ergo, *inquit*, umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit & legalis festivitas dum mutatur, impletur. *Gregorius M.* hom. 22. in Evangel. Quid sit sanguis agni non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. *Beda* in cap. XXII. Lucæ & ex illo *Anselmus* in cap. XXVI. Matth. finitis, *inquit*, veteris phase solenniis, quæ in commemoratione antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum, quod in suæ redemtionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, ut sc. pro carne agni ac sanguine sui corporis sanguinisque sacramentum institueret. *Rupertus* l. 2. in Exod. c. 6. Tandem, *inquit*, quartadecima die ad vesperam, ubi illum veteris Paschæ agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse novi sacrificij agnus continuò capiendus & ducendus ad immolandum, jam in angustia passionis agonizans, prius proprijs manibus Deo patri semetipsum immolavit, accipiens panem & vinum & mirà atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis & sanguinis sacramentum. Confer. *Procop. Ga-*

Zaeum in cap. XII. Exod. & *Gaudentium Brixiens.* in Ex. tract. 2. *Greg. Naz.* Or. 2. Pasch.

§. 36. *Assatio.*

Tertia actio circa agnum paschalem & quidem mactatum, *adeòque ejus corpus* occupata est צליה *assatura.* Ex. 12, 9. *Ne comedatis ex eo Crudum, aut coquendo Coctum in aquis, quin imò assum igni.* Pro crudo in Hebræo est נא quod judice *R. D. Kimhi significat* non omnino coctum, semicoctum, semicrudum. Nec ullibi in hoc significato invenitur in scriptura. Unde *Hieron. Oleaster* Comm. in *Pent.* Mihi, *ait*, semper suspecta fuit hæc significatio. Et puto radicem ejus nominis esse נרא quod est frangere vel dissecare, ut hic sit sensus: Non comedetis ex eo fractum vel dissectum, ita ut nolit in frustra dividi ad coquendum eum in aqua, sed integrum assari & comedi. *Atqui* versio communis consentit Paraphrasi Chaldeæ, quæ habet כדחי & LXX. quæ habet ὠμὸν, & Rabinorum stylo, apud quos hoc sensu usurpatissima ea vox.

§. 37. *Modus assandi.*

De assandi modo multa fabulantur Thalmudistæ: ut illud inter alia, ne in veru ferreo, quia ferrum calefactum vim assandi habet, sed in ligneo, præsertim quod esset ex malo granato. Sic est in præcept. negativ. Thalmudicis 350. 351. *Iustinus* in Dialogo contra Tryphonem *ait*, agnum in crucis forma expansum assatum fuisse, ita ut paxillus rectus ab imo usque ad caput traijceretur, alter transversus armos agni distenderet. *Scal.* l. 2. de Em. Temp. p. 102. ex *Maimonide* & *Thalmude* docet, fornaces fuisse extructas assandi agni causa, quibus belli causa dirutis, differebatur tamdiu pascha, donec redintegrarentur. *Nic. Serarius sextuplicem causam electæ præ elixatione assationis statuit. I. quia* assatio, celerrimus coquendi modus, apta erat significandæ celerrimæ ex Aegypto liberationis. *II. quia* agnus paschalis est sacrificium, sacrificia autem plerunque vel tota, vel ea illorum pars, quæ Deo maxime sacra, assabantur. *III. quia*

sim-

simplicissimus coquendi modus assatio est. *IV. quia* antiquissimus inter mortales, unde Servius dicit, Heroicis temporibus carne non vescebantur elixa. *V. quia* robustis hominibus assa caro conducibilior. *VI. quia* assatio commoda significandæ flammæ tum amoris Christi erga homines, tum iræ contra peccata. Nos secundam apertè falsam esse, infra monstrabimus. Ultima typica verissima est. Reliquas literales & physicas in medio relinquimus.

IV. ACTIO *circa agnum paschalem occupata* EST COMESTIO. Non reponebatur agnus paschalis segregatus, mactatus & assatus, sed comedebatur. Extra comestionem non fuisset complementum sacramentale habitura reliquarum actionum synodus. Unde nec antitypum sacramentum suam habet perfectionem, antequam accedat manducatio & bibitio. Vt enim comestio paschalis ita fuit instituenda, ut nihil relinqueretur in crastinum residuum, & aut totum comedendum, aut quod super erat, igne absumendum fuerat, ita & vetus Ecclesia celebrationem sacramenti Eucharistici adornavit. *Clemens* Rom. Ep. 2. quæ citatur c. *tribus gradibus*. d. 2. de consecr. *scribit*. Tanta in altari certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur. *Similia habet Origenes* in Lev. c. 7. hom. 5. *Cyprianus* de Cœna Dom. p. 4. 5. 3. *Hieron.* in 1. Cor. 11. *August.* lib. 3. Trin. c. 10. *Hesychius* in Levit. Comm. l. 2. c. 8. explicans illud, quicquid reliquum fuerit de carne & panibus, *indicat*, sui seculi morem fuisse, ut si quid omnibus communicantibus reliquum esset, incenderetur & crem aretur. Quod nunc, inquit, videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi, quæcunque remanere contigerit inconsumta. *Nicephorus* lib. 17. Hist. Eccl. c. 25. & *Evagrius* l. 4. c. 35. *referunt in* Eccl. Constantinopoli-

§. 38. *Comestio.*

tana usitatum fuisse, ut cum post communionem pluscu-lum de partibus immaculati divinique corporis reliquum esset, non reservaretur, sed ex ludo literario delecti quidam pueri accerserentur, qui reliquias illas ederent, quod idem decernit *Concil. Matisconense 2.* Can. 6. Hinc *Gregor. Cassander* Theol. Pontif. in Consultat. de A. C. pag. 71. de S. Cœna ita *scribit*: Hoc sacramentum, ut reliqua sacramenta, in ipso usu & actione (quæ est sumtio seu manducatio & potio) perficitur. Hoc idem à Theologis quibusdam scholasticis asseritur, atque hac ratione à veteribus quoq; hoc sacramentum nominibus actionem significantibus appellatur, ut sunt synaxis, communicatio, perceptio corporis & sanguinis Domini. Hęc Cass. qui è scholasticis citat Henricum de Georghen de effect. missæ prop. 5. Conf. Gerhard. T. 5. Loc. 24. cap. XVII.

§. 39. *Tempus Comestionis.* TEMPUS *comestionis* paschalis adeoq; *hora* est diei XIV. vespertina: quam *Scaliger* diei Judaicæ duodecimam, alij primam post occasum solis statuunt: inter quos *Serarius* Jesuita, in Jos. c. 5. qui ita invehitur in *S*caligerum eo loco, ut ignorantiam legis & aliorum plurimorum ei ob id imputet, forsan quia nondum etiam à Scaligero minerval accepit.

§. 40. *Esculenta cum agno paschali conjungẽtur.* ESCULENTIA una *cum agno paschali edenda* vocantur מצות על־מררים *infermentata super amaritudines. Infermentata* sive *azyma* panem verum esse, negarunt *Michael Constantinopol.* & *Nicetas* apud Magdeb. Cent. 11. cap. 8. & *Euthymius* in 26. Matth. apud *Baron.* T. 11. annal. *Hieremias Patriarcha* Const. Cens. A. C. c. 10. quomodo orbicas nostras placentas, quas vetustissimo more, proposito aptissimas, sacramus ad sacrum epulum, rident, & pro non pane habent Calvinianorum quidam. Vide *Gerh.* de Cœn. T. 5. p. 31. *Græcorum opinio* impugnat naturam rei, historiam, quę ipsis azymorum diebus contigit Luc. ult. 30. communem

munem

munem loquendi consuetudinem. Apud *Athenæum* lib. 3. *Tryphon Alexandrinus* in suis Physicis, panem alium vocat Zymitem, alium azymum. Hic Deut. 16, 3. vocatur panis afflictionis ἄρτος κακώσεως. Judæi etiam sic appellant. Quando enim azymorum frusta nocte paschali distribuũt patres familiâs, hac formula utũtur הא לחמא דעניא. Hic est panis miseriæ. Appellationem hanc panis habet à memoria miserandi status Israelitarum in Aegypto. *Alfons. Tostat.* in Ex. 12. q. 11. physicam rationem addit, ab insalubritate panis infermentati. Sed hæc medici dispiciant. *Tacit.* lib. 5. Hist. raptarum, *ait*, frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento detinetur. Sanè ex ignorantiâ originis veræ & sacræ historiæ: Azymos panes per septiduum usurpasse Judæos, supra diximus. Ex eo primus & ultimus solennitate festiva sacrosanctus. Sed de his alienum hîc agere fusè. מרורים à *Chaldæo, Thalmudicis, Lyrano, Pagnino, Tremellio, Scaligero* vertuntur per ἀγριολάχανα, sive herbas quaslibet amaras. LXX. vocant πικρίδας. quod nomen *Cyprianus* l. 2. contra Jud. retinet. *Gaza* tamen apud *Arist.* l. 9. Hist. A. C. c. 6. per sylvestrem lactucam, alibi per amaraginem vertit. Vulgatus vocat sylvestrem lactucam. *Beat. Luth.* bitter Salsen. Esse lactucarum quasdam amariores, docent *Athen.* l. 2. *Dipnos.* & *Plin.* lib. 19. cap. 8. *ubi* cum lactucas enumerasset purpureas, crispas, cappadoceas, græcas, alias, *addit*; pessimum autem genus, cum exprobratione amaritudinis, appellavere picridas. In libro Thal. qui *Pesach* inscribitur in paschalibus vesperis apponi jubetur azymus & cheroseth. Id *Moses Merideneus* in Syrorum peculio p. 19. dicit, esse saporem acrem. *Ioseph Scaliger* lib. VI. Em. Temp. p. 535. *negat* lactucas agrestes sive amaritudines cum agno paschali manducatas. Omnia, *inquit*, solennia maxima, ut Pascha, Pentecoste, Scenopegia florentibus Opibus Judæorum ac templo stante semper duarum

§. 41. *Quid lactuca amara?*

rum cœnarum commissione transigebantur. In priore hostijs immolatis vescebantur, hoc erat sacrificium illius diei, in altera canebantur quædam ἐξιλαστικὰ καὶ εὐχαριστικὰ & vocabatur δεῖπνον ἀπολυτικὸν cœna dimissoria, quæ erat velut secundæ mensæ apud gentiles. Secundæ autem mensæ paschales ab aliorum solennium mensis multum discrepabant. Nam illæ in alijs solennibus varijs bellarijs instruebantur, easque aut Græco verbo ἐπίκωμον aut patrio קנוח vocabant. In paschali autem ipsi convivæ interdicebantur omni genere bellariorum, ut est in Canone Ritualis. In locum enim bellariorum afferebatur in tryblio acetarium ex intybis & lactucis agrestibus, quorum quia tristis succus & amarus, propterea ex aceto ac alijs nescio quibus embamma conficiebatur, in quod azyma & amara illa olera intingebantur, &c. *Atqui* non videtur, duplicatam illam cœnam posse habere locum in verbis institurionis, quæ requirunt ἀγειολάχανα & ἄζυμα cum agno paschali assato comedenda. Ut igitur azymus panis, cum ipso agno paschali, loco alterius panis comedebatur, ita lactucæ quoque agrestes jungendæ erant. Nec prohibet tamen, quin post comestas carnes adhuc adhibitas dicamus amaras illas herbas bellariorum loco: lactucam enim amariusculam frequenter in secundis mensis etiam à Gentilibus adhibitam fuisse, docet *Iul. Vrsinus* in append. ad Triclin. Ciaconij & *Stuccius* lib 2. Antiq. Convival. p. 291. & *Hadr. Turnebus* lib. 27. adverſ. c. 28. Amaritudinum harum usurpatio *sive* de acerbitate Ægyptica depulsa divinitus erat monumentum, *sive* de superstitione documentum. Lactucas religiosiùs habitas ante Augusti tempora docet *Plinius* N. H l. 19. c. 8. *Athenæus* l. 2. Dipnosoph. refert, quosdam à lactucis abhorruisse, vel quod Adonis sub illis latitasse fingeretur, vel quod carnis æstum coercerent. Vide *Rhodigin.* l. 27. Lect. Antiq. c. ult.

Co-

COMEDENTES sequenti modo debebant esse comparati. I. Admittebantur omnes HOMINES 1. *adultiores.* 2. *circumcisi.* 3. *mundi.* *De munditie & immunditie* superius egimus. *De ætate* quæstio est, *an etiam infantes & pueri Israelitici nondũ ad discretionis annos progressi ad agnũ paschalem comedendũ fuerint admittendi?* Affirmativã asseverant illi, qui statuunt, Eucharistiam etiam infantibus & judicio discretionis nondum præditis pueris exhibendam: quales in antiquitate fuerũt *Dionysius, Cyprianus, Augustinus, Innocentius, qui* in summa cap. 9. *pium esse, ait,* dare Eucharistiam parvulo cum tali cautela, quod si post gustum parvulus eijceret, colligeretur illa rejectio, & igne combureretur, sicut dicitur in Exodo. *Iesuita Maldon.* in Joh. 6. v. 53. missam, *scribit,* ego faciam *Augustini & Innocentij* primi sententiam, quæ circiter DC. annos viguit in Ecclesia, multorum seculorum usu tanquam non necessariam, sed ne decentem quidem omissam. *Hussitæ* etiam morem illum observarunt, quem *Concil. Trid.* sess. 21. c. 4. & Can. 4. non sub opinione salutis quidem, probabili tamen pro temporis ratione causa, à *Pia* Antiquitate servatum asserit: sequente *Costero* part. 3. Apolog. p. 286. neque *Musculus* in Loc. p. 371. improbat. Nos ut morem istum nullam hæresin includere existimamus, improbandum tamen gravissimis de causis dicimus, quas vide apud *Gerh.* T. V. cap. 21. p. 490. ita parvulis agnum paschalem esum fuisse aut edi debuisse negamus. Confer *Num.* 9, 12. 13. 14. *Ex.* 12, 26. 27. *Gerh.* T. IV. p. 792. *Serarius* in Jos. p. 457. neminem, *inquit,* eo præcepto fuisse obligatum, nisi in quo edendi esset facultas naturalis. Addimus nos, facultatem edendi cum discretione & judicio. §. 42. *Qui ad pascha admittendi?*

De sacramento initiationis, quæstio duplex est, *1. An qui fuerunt Israelitarum mancipia ex alienigenis acquisita, cogi potuerint vi præcepti alicujus, Dominici ad circumcisionem, ut agno paschali comedendo apti essent?* Affirmativa tribuitur §. 43. *An mancipia fuerint cogenda ad pascha?*

 Ambro-

Ambrosio in Ep. 77. & de Abrahamo l. II. *Lyrano* Gen. 17. à *Cajetano* ad c. 17. Gen. *Mart. Delrio*, & *Corn. à Lapide* ad C. cit. *Vasquezio* part. 3. Tom. 2. disp. 162. cap. 3. & 4. *Ægid. Conincio* de Sacram. q 70. art. 2. *Ledesma & aliis Pontificijs* affirmativæ patronis, *quia* mancipia sunt sub potestate Dominorum, à quibus proinde justè id Deus potuit exigere, *quia* si etiam mancipijs libera est circumcisio, inter mancipium & quemvis advenam in hoc nulla esset differentia, *quia* etiam Abraham indiscriminatim omnes servos suos circumcidit. *Negativa* defenditur etiam à quibusdam Jesuitis, contra suos tribules, & Pontificijs. *Alexandro ab Ales*. part. 4. q. 7. m. 3. a. 2. *Bonav*. l. 4. d. 1. dub. 17. *Dominico à Soto* l. 4. dis. 2. q. 1. art. 2. *Pererio* in Gen. 12. & *Suarezio* 3. part. q. 70. art. 2. disp. 29. sect. 2. *Serario* in Jos. C. 5. p. 457. *quia* ejusmodi coactio nuspiam in sacris literis præcepta est: *quia* politica potestas per emtionem servorum acquisita, sese ad animas non extendit: *quia* exemplum Abrahami extraordinarium, nec elucet ex eo coactio ulla: *quia* demum in hoc paritas inter emtitium servum & advenam & peregrinum est, quod si velit edere eorum quis ex agno paschali, circumcidi debeat, *Exod.* 12, 44. 45, 48.

§. 44. II. quæstio est *an qui in deserto nati non circumcidebantur pascha etiam celebraverint? Sunt* qui putent, in deserto pascha quotannis celebratum, etiam à non circumcisis, *quia* circumcisio singulari legis dispensatione differebatur: *sunt* qui statuant, semel tantum in deserto pascha celebratum. *Quia* incircumcisus nemo admittebatur expresso interdicto legis *Ex.* 12, 48. potuit fieri, ut circumcisi pascha celebrarent, incircumcisi abstinerent. Conjectura est historica, quam in medio relinquimus.

§. 45. *Habitus manducantium.*

II. Admittebantur *quadruplici* cumprimis *habitu*. Primò *renibus accincti*. Orientales ferè togis & poderibus adeoq; circumfluis vestibus utebantur: unde ad expeditionem

nem & iter accingebantur. *Cl. Alexandr.* l. 2. Pædag. c. 10. *Bellarm.* lib. 1. de Clericis cap. 19. renum actionem typum fuisse cœlibatus sacerdotum asserit, & probat ex *Gregor. M.* hom. 22. in Evangel. Sed vestigia typi hujus in hac ceremonia nulla comparent. Omnes interpp. causam ceremoniæ dicunt instantem expeditionem. Quidam ad edomandas carnis voluptates tropologicè eam transferunt, ut *Gregor.* loco cit. & *Ioh. Nodin.* in Comm. h. l. nemo antiquorum ad cœlibatū sacerdotum. Deinde *calceati.* Colligitur hinc, morem fuisse, exuere ad cœnam calceamenta, quia sigillatim præcipitur calceorum indumentum. Veteres qui in stratis discumbere ad convivia solebant, non sedere, ne strata inquinarent & exuere calceos & lavare pedes solebant. Vide autores de Antiq. Conv. supra all. *Drus.* annot. ad Pent. p. 179. Videtur tamen ille in stratis accumbendi ritus, in populum Judaicum demum, post solutam captivitatem Babylonicam introductus, *quia* antiquitus sedere frequens erat, *Gen.* 43, 33. c. 37, 25. 1. Reg. 20, 25. ut etiam in Monarachia Persica fieri solebat, *Esth.* 1, 6. & 6. 8. Tertiò *baculum* gestantes: quod sanctioris seculi hominibus frequentissimum, *Gen.* 23, 10. c. 38, 18. 25. *Num.* 22, 29. Quartò *festinantes* sive in festinatione, ut adeò omnia ad celeritatem abitionis certissimæ compararentur.

Quæritur, *an etiam stantes debuerint comedere?* Quidam tanquam omninò certum affirmant: quidam tanquam nulla probabilitate nixum negant. Affirmat Philo Jud. de sacrif. Caini & Abelis p. 108. Probabile autem est, cum omnia tanquam ad iter paratissima conformata fuerint, etiã statione festinationem & promtitudinem suam Israelitas indicasse: quanquam hæc statio, utpote non expressè præcepta, non, ut alij ritus ῥητῶς imperati, deinceps perpetuata fuerit, quando κατὰ φρατρίας (sic etiam in sacris Græcorum erant φρατριεῖς & Atheniensibus φρατριάζειν, item συνομνύειν καὶ §. 46.

φρατριάζειν Concil. Chalcedon. *Can.* 19.) ſeu, ut *Ruffinus* vocat, contubernia diſcumbebant. Tandem de reliquis convivij paſchalis ritibus, quæ è traditionibus Rabbinicis eruta ſunt, plurima collecta ſunt in *Myſariâ Miſſæ* cap. 6. ſect. 13. §. 30. Atque hæ quidem actiones ad formam paſchalem ſacramentalem pertinent, ſeparatio, immolatio, ſanguinis aſperſio, corporis aſſatio, comeſtio à mundis, circumciſis, adultis, habitu certo compoſitis, ad veſperam XIV. Niſan conſummandæ.

§. 47. *An ſi agni paſch. ſacramentũ eſſet ſacrificium, etiam propterea, quæ ſucceßit, eucharistia ſacrificiũ ſit?*

Actionibus illis *ſacramentalibus* circa agnum paſchalem occupatis *Pontificij ſacrificalem*, aliquam *intrudunt*, ſtatuentes, *agnum paſchalem per modum ſacrificij cujusdam, propriè dicti Deo oblatum, adeoque typum fuiſſe corporis & ſanguinis dominici in Miſſa realiter Deo offerendi.* Videatur *Bellarmin.* lic. 1. de Miſſa c. 7. integro. Nos I. *conſecutionis neceßitatem negamus.* Si enim agnum paſchalem ſacrificium eſſe concederemus, nondum tamen ſequeretur in ipſa Euchariſtia quoque ſacrificandum eſſe. Quia aſſeverante *Bellarmino* loco adducto ſect. 32. Euchariſtia non à ſolo agno paſchali, ſed etiam à ſacrificio Melchiſedech & à Manna & ab alijs rebus in Teſtamento veteri figurata fuit: ideò non omnia, quæ in agno paſchali fiebant, ad figuram Euchariſtiæ pertinent, ſed illa tantum, quæ non pugnant cum impletione aliarum figurarum: addimus nos, cum natura inſtitutionis Euchariſtiæ. Itaque probandum eſſet Bellarmino, Euchariſtiam etiam in eo, quo agnus paſchalis diceretur ſacrificium, ab eo repræſentatam eſſe. Addimus, quod *Alfonſus à Caſtro*, lib. 4. adverſ. hæreſ. tit. Confeſſio. *inquit*, ex ſenſu myſtico nunquam poſſe ſumi argumenta convincentia. Debet igitur primò ex revelatione certum aſſe, rem talem eſſe, antequam qualitates typi ad eam accommo-
§. 48. dentur. II. *Typi nominati cum antitypo, ſeu agni paſchalis cum Miſſa pugnantiam notamus.* *Agnus paſchalis* ratione cauſæ

efficientis

efficientis à patribus familias immolabatur, non à consecratis tantùm sacerdotibus: *sacrificium Missæ* à solis sacrificulis. *Agnus paschalis*, ratione causæ formalis, interficiebatur, adeoque cruenta quadam ratione divino usui admovebatur. *Missa* incruentum dicitur sacrificium. Cruenta insuper mactatio *agni paschalis* incruentam comestionem antecessit. Ex sensu Pontificiorum in prima *missa* hoc factū non est. In *agni paschalis* immolatione semper consequebatur multitudinis comestio. In *missalis sacrificij* oblatione, contra. In *agni paschalis* oblatione ad manducandum, sanguis separatim usurpabatur, in eoque repræsentabat geminam, ut vocant, speciem Eucharistiæ. In *sacrificij missatici* consecratione non semper usurpatur hoc. *Agnus paschalis*, ratione loci, in privatis domibus præparabatur & comedebatur. *Missale sacrificium* nunquam ita confici debet. Item *agnus paschalis* consumi & comedi poterat etiam nullo participante sacerdote. *Missatici sacrificij* essentia consistit in sacerdotis consumtione, inquit *Bellarminus* l. 1. de Missa, c. 27. etiamsi nulla consumtio accedat. *Agnus* semel tantum immolabatur, idque cruentè, non & cruentè & incruentè. *Christus* secundum Papistas & incruentè & cruentè offertur. *Agnus paschalis* totus erat comedendus, nihil de eo reponendum. *Sacrificium Missæ* reponitur & adoratur. III. *Typi hujus ad figurandam Missam inconvenientiam observamus.* Si enim missam consideremus, immolatio in ea est obscurissima & vix subtilissima disquisitione deprehendi potest: quidam Pontificiorum eam in consecratione & transmutatione panis in vinum collocant: quidam in oblatione corporis & sanguinis per expressa verba: quidam in fractione & commixtione sacramenti: quidam in consumtione ejusdem. Vide hanc disputationem cum suis contribulibus apud *Bellarm.* l. 1. cap. 27. & adde *Ægidium Conink* Jesuitam de Sacram, q. 83. art. 1. dub. 5. p. 312. At- §. 49.

qui mactatio agni paschalis evidentissima est & luculentissima. At verò sic antitypus esset obscurior typo, umbra clarior adumbrato! quod absurdum. Adhęc illud inprimis agnus paschalis adumbravit, quod antitypicè erat pars materialis cœlestis in sui manducatione sive historicè sive fiduciali complexu censenda. Quod piis V. T. in agni paschalis sacramentali manducatione, tanquam cœleste bonum suo modo agno paschali conjunctum, erat considerandum, id agnus paschalis propriè & primò adumbravit. Atqui aliquod in missa incruentum sacrificium hoc non erat. Neque enim tale juxta agni paschalis manducationem vel cogitabant. Porrò, quanquam in agni paschalis sacramento, aliqua mactatio contingat propter ipsius rei in sacramento usurpandæ naturam, quæ nisi mactata comedi nequit, non tamen propterea in Eucharistia etiam analoga aliqua mactatio esse debet. 1. quia in circumcisione etiam, cui successit baptismus, est cruentatio aliqua circumcidendi, quæ tamen in baptismo omittitur. 2. quia ratio semper repetitæ in sacramento paschali mactationis est animalis vivi necessaria usurpatio, quod toties quoties comedendum, prius est mactandum: in sacramento autem Eucharistico illa iterandæ mactationis ratio cessat, quia Christi in cruce mactatio & retrò & porrò est valentissima & sufficientissima.

§. 50. *An agnus paschalis an sacrificium propriè dictũ?*

IV. *Agni paschalis celebrandi aliquam actionem sacrificialem fuisse non concedimus.* Nam 1. sacrificium propriè dictum, requirit sacerdotem propriè dictũ: inquit *Bellarm.* l. 1. de *Missa*, cap. 2. §. His ergò rejectis. At *agnus paschalis*, plerisque Pontificijs asserentibus, à Patribus familiâs mactabatur: imò nullibi certâ lege hoc alijs non patribus familias interdicitur. 2. *Sacrificium* propriè dictum, altare certum requirit. Altare, inquit *Bellarm.* lib. 1. de Miss. cap. 2. & sacrificium relativa sunt. Oblatio *agni paschalis* nullum requisivit altare. 3. *Sacrificium* propriè dictum

dictum ritu ſacrificiali concepto offerebatur, quem Levitici ſacerdotij delineatio præſcribit. Ritus ejusmodi offerendi circa *agnum paſchalem* conſecrandum nullus eſt adhibitus. 4. Nullum *ſacrificium* verum, legitimum, Deo placens in ægypto poterat fieri. Ex. 8, 26. confer in eum locum diſputationem *Pererij* in Ex. p. 264. Atqui *agni paſchalis* mactatio in ægypto peragebatur, 5. *Sacrificijs* ex animalibus Deo factis, adeoque agnis etiam matutinis & veſpertinis imponebantur peccata populi, quæ ita expiabantur divina ordinatione. Hoc in *agni paſchalis* conſecratione non fiebat. 6. *Sacrificia* nulla ſive adurebantur ſive comburebantur igne profano, ſacer & cœlitus immiſſus, poſteaque in ſanctuario conſervatus requirebatur. *Agnus* autem *paſchalis* culinari igne aſſabatur. *Sacrificia ratione formæ & finis*, inquit *Bellarm. l.* 1. de Miſſa cap. 4. *dividuntur in tria genera, in holocauſta, hoſtias pro peccato, hoſtias pacificas. Holocauſta offerebantur propriè in reverentiam divinæ Majeſtatis & ideò tota cremabantur, ut reſoluta in vaporem tota ſurſum adſcenderent, in ſignum, quod quicquid habemus, DEI ſit.* Atqui agnus paſchalis hujus ordinis ſacrificium non eſt. *Hoſtiæ pro peccato dicebantur eæ, quæ offerebantur pro expiatione peccati & hæ partim cremabantur, partim à ſacerdotibus in ipſo atrio ſancto manducabantur*, Rurſus agnus paſchalis nec hujus ordinis ſacrificium eſt. *Hoſtiæ pacificæ partim cremabantur, partim manducabantur à ſacerdotibus, partim ab ijs, qui donaverant.* Neque in hanc claſſem ſacrificiorum agnus paſchalis collocandus. Judice igitur *Bellarmino* ſacrificium non eſt agnus paſchalis. 8. Accedat huc *Alf. Toſtati Epiſcopi Abulenſis* diſputatio contra hanc ſententiam Pontificiorum, dicentium, agnum paſchalem fuiſſe propriè dictum ſacrificium. Ea eſt Comment. ad Num. 9. quæſt. 34. pag. 104. *Reſpondendum eſt*, inquit, *quod agnus paſchalis non erat propriè ſacrificium, cum non ſit vel ſub hoſtia*

pro

pro peccato, vel sub hostia pacifica, vel sub holocausto, sed vocabatur largè sacrificium, quia habebat aliquas proprietates sacrificij. I. quia adipes agnorum immolatorum in phase cremabantur super altare. Ex. 33. Et ita videtur esse causa, quare Deus jusserit fieri phase solũ in loco, ubi est sanctuarium. Deut. 16. ut ibi possent cremari adipes agnorum immolatorum. II. conditio similitudinis est, quia sicut nemo poterat comedere de sacrificijs nisi mundus esset, & arcebatur etiam ab ingressu sanctuarij, ita & de agno paschali, nemo poterat comedere nisi mundus. III. quia sicut sacrificia non poterant fieri, nisi in loco sanctuarij, & si aliquis alibi faceret, merebatur mortem, ita non poterat phase celebrari nisi in loco sanctuarij. IV. quia sicut carnes sacrificiorum cremabantur, vel secundum totũ, vel quantum ad aliquid, ita carnes agni paschalis cum residuæ essent, cremabantur igne, non tamen cremabantur in igne altaris, sed in alio quodam igne profano. V. similitudo potest esse, quantum ad causam jubentem. Omne enim carnes, quas Iudæi comedebant, aut propter seipsos ut delectarentur, comedebant, aut ut Deum colerent. Si manducarent carnes aliquas propter præceptum Domini, observabantur in illis ceremoniæ tam ex parte immolatorum animalium, quàm ex parte comedentium. Ex Deut. 12. & ista vocantur ibi largo modo holocausta: sed sic erat de agno paschali, quod in eo observari debebant ceremoniæ, & propter Deum immolabatur. E. includebatur nomine holocaustorum generaliter dictorum, &c. Agnus igitur paschalis aliquas tantum similitudinis conditiones cum sacrificijs habet, non autem propriè dictum sacrificium est. Quomodo igitur Missæ sacrificium ex ejus analogia probabitur. V.

§. 51. *Vocabulorum* קרבן, זבח θυσίας, προσφορᾶς *usum attendimus.* Dicitur in sacris agnus paschalis Corban, Zebach, oblatio, sacrificium, sed malè *Bellarminus* exinde colligit, agnum paschalem esse sacrificium propriè dictum, quanquam absolutè ita dicatur. Nam I. ipse *Bellarminus* fatetur, Corban

προσφο-

προσφορὰν generalius nomen esse, & oblationes etiam non sacrificiales denotare. 2. Confirmat hoc omnium, qui de natura ipsius vocabuli scripserunt, consensus, qui volunt eo notari, quicquid vel Deo vel hominibus donatur. Unde LXX. semper verterunt δῶρον, & quamplurimis locis ad res non sacrificatas accommodant. Unde Neh. 13, 30. δῶρον ξυλοφόρων, oblatio lignorum. Unde *Num.* 31, 50. vocat δῶρον τὸ σκεῦος χρυσοῦν, χλιδῶνα, καὶ ψέλλιον, καὶ δακτύλιον, καὶ περιδέξιον, καὶ ἐμπλόκιον. Unde *Num.* 7. sæpissimè oblationes principum dodecadis vocantur קרבן δῶρον. Unde ipsum etiam gazophylacium Hierosolymitanum בת קרבנא, κορβονᾶν vocatur, *Matth.* 27, 6. *Luc.* 21, 4. *Mar.* 12. Unde etiam explicatur locus *Mar.* 7, 9. Et facit huc consideratio radicis, quæ est קרב & notat *appropinquare, accedere sive Deo, sive hominibus.* 3. זבח, quod agno paschali tribuitur, Ex. 12, 26. LXX. interdum per θυσίαν, nunc per θυσίασμα, nunc per θῦμα, iterũ per θυμίαμα, & θυμίασμα, & ὁλοκαύτωμα, & σύλλω & φάγιον, tandem per θεὸς reddunt, *Gen.* 31, 54. *Ex.* 23, 18. *Ez.* 40, 41. 2 *Reg.* 10, 26. *Esd.* 6, 3. *Ex.* 10, 25. 2. *Par.* 33, 3. *Amos* 5, 25. *Ezech.* 20, 28. *Elias* notat duobus locis in lege *Gen.* 31. *&* *Num.* 22. *&* 1. *Reg.* de Adonia, radicem זבח non sumi de mactatione hostiarum. Nomen ipsum etiam convivium denotat, 1. Sam. 16, 3. & 5. בזבח, *Targum*, בשירות ad convivium, 1. *Sam.* 9, 13. ubi *Targum* quoq; vertit מזונא cibum: adde v. 12. *Iacob.* 5, 5. ubi Græcus habet, *in die* σφαγῆς, *Arabs* vertit, אלדבח *mactationis convivalis.* Et זבח etiam tribuitur Pythonissæ, 1. Sam. 28, 24, quando ex vitulo Sauli convivium præparavit. 4. *Marc.* 14, 12. dicitur πάσχα ἔθυον. Atqui hoc verbum non semper mactationem sacrificialem denotat, *Matth.* 22, 4. *Luc.* 15, 23, 27. *Ioh.* 10, 10. *Act.* 10, 13. Itaque tamdiu in generali sensu manendum, donec ex natura rei ipsius doceatur, specialem esse usurpandum. 5. Itaque falsò dicit *Bellarminus*, *Chemnitium* negare, agnum paschalem non

fuisse aliquatenus typum Eucharistiæ. Hoc enim tantùm negat Chemnitius, quod agnus paschalis ratione mactationis fuerit typus Eucharistiæ. Neque hoc aliquis ex Veteribus Dd. quos Bellarminus, ut magna volumina scribat, coacervat, tradit; manent omnes in illius mactationis ad sacrificium crucis accommodatione. Regerat aliquis: §. 52. *Differentiam esse inter sacrificia legalia, stata, ordinaria, quotidiana, Leviticis ceremoniis & circumstantiis personæ sacerdotalis ac loci designati circumscripta, & inter sacrificia extraordinaria, ante legem usurpata, ad liturgiam Leviticam non adstricta, cujusmodi fuerunt sacrificia cum omnia ante legem, tum Manoæ Danitæ* Iud. 13, 19. *Eliæ Gileaditæ* 1. Reg. 18, 31. *utrumque extra solennem locum. Liquere, Agnum paschalem non esse sacrificium propriè dictum in priori sensu.* Resp. 1. Agnus paschalis est actus divinitus mandatus, in Ecclesia Israelitica exercendus ordinarius. Si est sacrificialis actus, est sacrificiũ ordinarium. 2. Sacrificia aliqua fiebant extra formam liturgiæ Leviticæ, ea jam posita, sed non nisi peculiaris φανερώσεως ἕνεκα & ad evidentem aliquam veræ religionis declarationem, aut benignitatis in Ecclesiam divinæ contestationem. Ut est Manoæ & Eliæ. Sed quæ sub moderamine liturgiæ Israeliticæ aut Leviticæ stata & perpetuata fuerunt, illa legibus illius erant adstricta: quæ igitur à legibus ejus erant aliena pro sacrificiis propriè dictis censenda non sunt. 3. Sacrificia ex informatione Patriarcharum divinitus acceptâ celebrata habebant omninò prælusionem & analogiam ad Leviticas sacrificiales sanctiones, saltem ratione administrantis, ignis, & eorum, quæ maximè sunt essentialia. Cultus enim legalis non in totum novus erat, sed ut plurimum recollectio quædam institutorum Patriarchis patefactorum, & ad terram promissam adstrictio. 4. Agnus paschalis, quia in aditu terræ promissę revelatus est, non potest ab illis legib⁹ secludi, quibus

quibꝰ in deſerto poſtea populus Iſraeliticus circumſcriptũ erat. Si ſacrificium fuit propriè dictũ, illis legibus circumſcriptum erit. At ab illis abtudit. 5. Non tantum ordinaria ſed etiam anniverſaria, non quotidiana tantum, ſed & ſolennia inter ſacrificia legalia cõputanda ſunt. Regerat quis II. *Agni paſchalis mactationẽ fuiſſe ſacrificialẽ actũ, colligi ex appellatione expreſſa, qua vocatur* זבח *Ex. 12, 17. etſi enim, verbum* θύειν *&* זבח *latè ſignificet quamlibet mactationem, tamen nomen* זבח *non facile reperias aliter, quam de ſacrificio uſurpatum, preſertim hoc in loco, ubi ſpecialis ad Dominum relatio inſinuatur in* ליהוה *Ex. 12, 27. Sic Num. 9, 7. dicitur, cur prohibemus* קרבן *oblationem noſtram offerre Domino?* Sap. 8, 9. Κρυφῆ ἐθυσίαζον ὅσιοι παίδες ἀγαθῶν: *quod B. Lutherus ad agnum paſchalem remotis Ægyptiis ſacrificatum accnmmodat.* Reſponſum jam extat §. 51. rat. 5. Illa ſpecialis relatio ad Dominum, non eſt præcisè ſacrificialis. Non ſequitur, eſt oblatio, ſive ſacer apparatus Domino; E. eſt ſacrificialis apparatus. Poteſt eſſe ſacer apparatus, Domino, quia fit in memoriam Domini, ad gloriam Domini. Et quia illa verba זבח פסח הוא ſe referunt ad actus in antecedentibus latè deſcriptos, quoniam illi nullum ſacrificium propriè ſic dictum in ſe includunt, ex ſolo nomine זבח ſacrificium aliquod propriè dictũ inferri nequit. Lutherus ἐθυσίαζον expreſſit nobis etiam uſitato & correſpondente Germanico verbo, quod pro amplitudine Græci verbi etiam extendendum eſt. Regerat quis III. *typicam relationem: eſſe agnum mactatum extra controverſiam typum evidentiſſimum crucifixi Chriſti, Ioh. 19, 36. 1. Cor. 5, 7. itaque & agni mactationem eſſe typum crucifixionis, ac ut victimæ rationem iſta habet, ita & hanc eam in ſeſe comprehendiſſe.* Reſp. omninò etiam in mactatione agnum paſchalem eſſe typum mactationis Chriſti, ſed non mactationis ſub illo formali ſacrificiali conſiderate, verum in reſpectu generaliori & quatenus eſt divinitus ordinata quedam præparatio ad manducatio-

 nem

nem & fruitionem. Regerat quis IV. *Sacrificium propriiſſimè & ſpecialiſſimè dictum eſſe actum ritumve externum verbo Dei definitum, in quo ſoli Deo res aliqua ſenſibilis & permanens, conſecratur deſtinaturque & actu offertur ac mutatur in odorem quietis.* At tale ſacrificium agnum paſchalem dici poſſe. Reſp. illa verba *ſoli Deo* eſſe ab ambiguitate purificanda. Si enim notent cauſam finalem, definitio erit imperfecta. Omnes enim actus religionis ſoli Deo fiunt tanquam fini ultimo & ſupremo. Si verò terminum formalem deſignent, nego minorem. Ut res conſideretur clarius, dicimus, in omni actu religionis, ſive ſacrificialis ſit, ſive ſacramentalis, ſive latriæ cujusvis alterius, eſt tendentia quædam inter duos terminos formales, à quo & ad quem, Deum ſcilicet, & hominem. Ubi terminus formalis à quo Deus eſt, & ad quem homo, & res aliqua ſenſibilis nomine & juſſu Dei ſelecta cum re inſenſibili unitur & homini, ceu termino formali ad quem, confertur, non ſacrificium eſt, ſed ſacramentum. E contra, ubi terminus formalis à quo homo eſt & ad quem Deus, & res aliqua ſenſibilis nomine & juſſu Dei ſelecta, Deo ſoli, ceu termino formali ad quem præſentatur, ſacrificium eſt, non ſacramentum. Licet enim etiam aliquando ex re illa Deo præſentata *aliquid* homini propter communionem aliquam cum Deo tribuatur, ceu fructus ſacrificij, tamen hæc non pertinet ad eſſentiam ſacrificij. Sic ſacrificium illud magnum eſt Catholicum, tollens peccata mundi, JESUS CHRISTUS, Deo totum oblatum & ita conſummatum eſt: peculiare verò eſt & ad ſacrificij rationem non pertinet, quod poſtea partes ſacrificij, Corpus & ſanguis Salvatoris, in S. Cœna ſint homini conceſſę. Pertinet enim hoc ad communionem cum Deo, ceu fructus ſacrificij. Et ſic etiam in V. T. κοινωνοὶ θυσιαστηρίυ reddebantur offerentes. 1. Cor. 10. Agnus paſchalis totus cedebatur in uſum hominis. Tendentia inter duos

terminos

terminos ita comparata eſt, ut terminus à quo formalis Deus ſit, cujus juſſu ſegregatus agnus, & præparatus, & poſt in hominum uſum ſacramentalem conſecratus atque immutatus eſt. Homo igitur eſt terminus formalis ad quem. Itaque mactationem & ſanguinis effuſionem communem habet agnus paſchalis cum ſacrificijs animalium, inque eo typus eſt Chriſti, ſed quia terminus formalis ad quem deficit, propriè dictis ſacrificiis accenſeri nequit. Et ex ea cauſa poſt Lyram ad cap. 19. Num. & alios, Dn. D. Franzius Scholæ ſacrific. diſp. 12. theſ. 87. & ſeqq. pronunciat de Vacca ruffa, quod ſacrificium propriè dictum non ſit. Regerat quis V. *ad locum Ex. 8, 26. quem ratione 4. paucis annotavimus: non jus ſacrificandi in Ægypto, ſed ſecuritatem ſacrificantium in eo notari.* Reſp. Non una eſt ratio, ob quam ſacrificare in Ægypto non licere, aſſerit coram Pharaone Moſes. Una eſt mandatum divinum. v. 27. altera eſt Ægyptiorum impuritas, in quorum ſinu atque complexu Deus noluit ſua ſacrificia exponi. Tertia demum eſt Ægyptiorum crudelitas. Hinc Moſis verba non volunt, non eſſe tutũ, ſed non eſſe *rectum* לא נכון לעשות כן Eam loquendi formam planius expreſſam habemus Gen. 41, 32. נכון הדבר מעם האלהים *paratũ eſt verbũ à Domino*. Conf. Deut. 13, 14. Pſal. 78, 37.

Finalis causa *ſacramenti agni paſchalis* variè explicatur. Rabbini dicunt, *finem inſtituti ſacramenti fuiſſe, ut Ægyptica ſuperſtitio de Deo ſub forma arietis colendo deleretur, & ne mira Iſraelitarum liberatio arieti ſyderi, quod illo anni tempore inibat Sol, adſcriberetur*. Placent iſta non parũ *Lyrano* & *P. Burgenſi*. Sed vaniſſima ſunt. Nos *duos* potiſſimum *ejus fines* confirmabimus I. *quod fuerit medium ſalutis & gratiæ divinæ communicandæ efficax*. Negant hoc *Calviniani*, qui *ſacramentorum officium ultra ſignificationem non extendunt*. Negant *Pontificij*, qui *ſtatuunt, V. T. ſacramenta* §. 53.

ex opere operantis prodesse, tanquam actum aliquem obœdientiæ divinitus imperatum, è cujus præstatione ad præstantem meriti fructus resultat. Negant *Photiniani*, qui *fideles V. T. intellexisse mysterium redemtionis Christi, in N. T. revelatum, negant, adeoque negant, etiam agnum paschalem tanquam typum aliquem Christi mactandi pro genere humano divinam aliquam efficaciam ex ordinatione DEI habuisse.* Nos pro fine nostro demonstrando erroribus indicatis sequentia oppo-
§. 54. nimus fundamenta. *Primò, ex rei sacramentaliter offerendæ denominatione.* Ad pascha celebrandum agnus divinitus destinatus fuit & quidem masculus, anniculus, perfectus. Atqui ita selecta agni mactatio in sacrificium Deo, erat jam in scholis Patriarcharum sanctis nota, & usurpata tanquam figura immolandi pro peccatis Christi, *Apoc.* 13, 8. Vi hujus affirmationis Apocalypticę tam certò in Messiam defixos habuerunt oculos, quando agnos sive in sacrificijs, sive in sacramentis immolarunt, ac si Christum ipsum immolassent fideles V. T. Quando igitur similiter agnum in paschali celebritate mactandum, & quidem tam accurratâ observatione earum circumstantiarum, quas Patriarchæ observaverunt, viderunt, intellexerunt, sibi eandem promissionem Evangelicam hîc in sacramento offerri, quam illi in sacrificio divinitus imperato considerarunt. *Deinde, ex sanguinis separatione & adspersione.* Sanguis sacrificialis in V. T. separabatur ab animalibus mactatis & in sacrifi-
§. 55. cijs Deo dedicabatur, nunquam autem comedebatur, ob hanc unam rationem, quia Christi sanguinem denotabat purificantem, 15, 9. ita & adspersio sanguinis denotabat adspersionem sanguinis Christi, 1. *Pet.* 1, v. 2. Conf. *Heb.* 9, 13. 19. 21 - c. 10, 22. Ubi notandum inprimis argumentum, quo utitur Paulus c. 9, 25. dicens, Christum semel in primo suo adventu se obtulisse & sanguinem suum effudisse, propter infinitam suæ oblationis perfectionem & ῥαντισμοῦ sive ad-

ve adspersionis pretiositatem: nisi enim hoc esset, oportuisset eum frequenter pati ab *origine mundi*. At quomodo hoc sequeretur, si perfectio & pretiositas passionis dominicæ & adspersionis tam sancti sanguinis non etiam sub V. T. & fide cognità & operosa atque efficax fuisset. Sanè opus haud fuisset, Christum frequenter pati ab origine mundi, si quis eum venisse diceret, ut sæpe offerat semetipsum, nisi illa oblatio suimet ipsius etiam ab origine mundi fidelibus cognitu & amplexu fuisset necessaria. Quia ergò tam perfectè & pretiosè semel mortuus est & sanguinem effudit, ut non oportuerit frequenter eum pati, etiam ab origine mundi, sequitur effusionem adspersionemque sanguinis Christi ad ipsam originem mundi usque pertigisse sua utilitate. Quis ergò neget, eam tam pretiosam adspersionem, sanguinis sacrificialis & hujus sacramentalis adspersione, ipsis fidelibus ob oculos positam & fide apprehendendam expositam fuisse. *Præsertim* cum illa sanguinis ad postes & superliminare adspersio pro non necessaria haberi posset, nisi hoc mysterium adumbrasse dicamus. Neque enim Deus, neque angelus percussor hoc visibili sanguinis adspersi signo ad dignoscendos ab Ægyptijs Israelitas opus habuerunt. *Tertiò ex promissione Evangelica* §. 56.
verbis institutionis annexâ. Continetur illa sub comminatione, *Ex.* 12, 15 *& Num.* 9, 13. *Et qui ipse mundus & in via non fuerit, & cessaverit facere pascha, excidetur anima ipsa è populis suis, quia appropinquationem Domini non accedere fecit in tempore statuto suo: peccatum suum portabit vir ipse.* Hoc excidium diversimodè intelligitur à quibusdam. *Quidam enim exterminium illud intelligunt, quando quis prœmaturâ morte præventus obijt diem suum, hoc est, circiter annum quadragesimum secundum. Alij, quando quis moritur sine liberis, nullam post se relinquens posteritatem: sed Hebræi quidam excidium ita intelligunt,* notante Fagio ad Exod. 12. *quasi talis homo*

homo non debeat habere partem futuri seculi, intelligentes per animam, animā immortalem, quam alio nomine animam supremam nuncupant. Abenezra annotavit, *se in tota scriptura sacra invenire viginti tres locos, in quibus Deus* כרת *exterminium comminatur his, qui transgrediuntur præcepta negativa: juxta verò præcepta affirmativa, ubi aliquid fieri præcipitur, tantùm inveniri* כרת *circa præceptum circumcisionis & paschatis ritè celebrandum.* Quod sine dubio propterea fit, ut scirent Deo fideles, sublimioris ordinis & officij esse istas ceremonias, & excelsius quid indigitare. Itaq;, sicut *Deut.* 18, 19. *& Actor. 3,* 23. dicitur, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum (Christum intelligit) exterminabitur, & tamen simul etiam indicatur, eum qui audierit illum Prophetam, promissionum sanctæ communionis & æternæ beatitudinis fore participem, ita in hac sacramentali interminatione simul promissio vitæ æternæ involvitur. *Hinc locum Act.* 3, 23. Glossa interl. *exponit de exterminatione à plebe spirituali & sorte sanctorum, atque Deo.* Lyranus *de sorte sanctorum: Glossa* Ordin. *de ejectione extra terminos beatitudinis.* Sic quemadmodum, quando de circumcisione dicitur, *Gen.* 17. *Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*, simul indicatur ex adverso promissio communionis illius Evangelicæ promissionis, *Gen.* 17, 7. *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, quæ quoad literam non fuit solius peculiaris protectionis & gubernationis (ut *Bellarm.* l. 1. de Eff. sacr. c. 17. *contra seipsum* l. 5. de Amiss. Grat. & Stat. pecc. cap. 18. sect. 4. explicat. *Paræ*us Comm. in Gen. p. 1128. in medio relinquit, de corporali, an spirituali exterminio sermo sit.) sed etiam gratiæ divinæ promissio, ut constat 1. *ex propheticâ explicatione*, Jer. 11, 4. Hos. 1, 9. Ruth. 1, 16. Psal. 144, 15. Joh. 8, 54. 2. *ex Christi expositione*, Matth. 22, 31. 32. 3. *ex Pauli declaratione*, Rom. 4, 11. Gal. 3, 14. 15. 16. 4. *ex oppositione.* Ut enim

esse

esse sine Deo notat esse extra gratiam Dei justificatoris & salvatoris, Eph. *2,12.* ita habere Deum *suum* notat ejusdem gratiosam inhabitationem. Et quemadmodum, quando Joh. 3, 5. dicitur, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*, simul dicitur regenerationem ex aqua & Spiritu patefacere introitum in regnum cœlorum, sic quando dicitur, *qui cessaverit facere pascha, excidetur anima ipsius*, simul innuitur, spiritualis implantatio in Deum per sacramentum paschale collata. *Quartò ab appropinquationis naturâ.* Dicitur *Num. 9,13.* Ideò excidendum §. 57.
eum, qui in paschate celebrando negligens fuerit, *quia appropinquationem Dei non fecit accedere.* In Hebræo habetur קרבן. Nullibi autem in toto V. T. excepto hoc loco, dicitur, aliquem esse exterminandum, excindendum aut periturum, si קרבן non obtulerit aut præstiterit. Itaque specialis aliqua appropinquatio per agnum paschalem figurabatur & applicabatur, propter cujus intermissionem, tanquã rei ad salutem summè necessariæ exterminiũ animæ è sanctorum communione sequatur. Et hujus sine dubio antitypus explicantur, Heb. 1 0,*22.* quando dicitur, Appropinquandum Deo μετ᾽ ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ἐῤῥαντισμένοις τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς. Et c. *12,* 22. quando dicitur, pervenistis seu appropinquastis προσεληλύθατε (Syrus habet hoc loco אתקרבתון à קרב *appropinquavit*, unde קרבן *appropinquatio*, quod usurpatur, Num. 9, *13.*) Σιὼν ὄρει καὶ πόλει θεοῦ ζῶντος, &c. Πανηγύρει (Syrus habet ולעדתא & ad conventum. Vox עדה est Ex. 12,3. in institutione paschatis) καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων, &c. καὶ αἵματι ῥαντισμοῦ. Digitum intendit ad appropinquationem Hierosolymitanam, civitatem Dei, ad panegyres & cœtus *Pa*scha celebrantium & postes atque superliminaria sanguine conspergentium. *Quintò* §. 58.
à peccati portandi onere. Dicitur *Num. 9,13.* peccatum suum ישא האיש ההוא portabit *vir ipse*: *P*ortare peccatum est re-

um permanere culpæ admiſſæ & pœnarum debitarum ferre pondus, *Lev.* 5,1. c.17,16. c.19,8. c.20,17.19.20. c.24,15. *Num.* 15,31. *Ezech.* 14,10. c.18,19.20.&c. Quod etiam per imputationem peccati Aaroni, Sacerdotibus, *Prophetis*, hirco emiſſario,&c. tanquam typis Chriſti tribuitur, *Exod.* 28, 28. *Lev.* 10,17. c. 16,22. *Num.* 18, 1. & 23. *Ezech.* 4, 4. De *Chriſto* autem *Eſ.* 53,4.11. dicitur, quod ipſe mundi iniquitates portet, Conf. *Ioh.* 1,29. Ubi vocab. נשא *Num.* 9. uſurpatum quoque reperitur. Syris שקל Itaque ſenſus eſt. Qui agnum paſchalem cum conſideratione antitypi agni portantis peccata mundi manducat, is non in ſua perſona portabit, ſed portatorem habebit Chriſtum, Heb. 13, 8. Qui verò medium hoc agni manducandi contemſerit, ipſe in ſua perſona האיש ההוא portabit peccata ipſum

§. 59. damnationi ſempiternæ addictura. *Sexto ab oßium comminutionis interdicto*, Joh. 19, 36. dicitur ἐγένετο δὲ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. Exod. 12, 46. Num. 9, 12. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ. *Lorinus Ieſuita*, Num. 9. p. 299. *fatetur*, intendiſſe ſimul Spiritum S. illud aliud ſignificare de Chriſto. *Galatin.* lib X. de Arcan. Cathol. Verit. c. 6. p. 546. quendam *Rabbi Cahanam* introducit, qui longè ante Chriſti nativitatem vixiſſe dicitur, qui *Exod.* 12,46. de corpore Meſſiæ non dividendo exponit. Sine dubio reſpicitur ad πρωτευαγγέλιον, *Gen.* 3,15. ubi Meſſias promittitur contritor capitis & ſubſtantiæ regni Satanici, non autem, niſi in calcaneo, adeoque ſine deſtructione corporis, conterendus. Ea inſignis promiſſio electę genti in non comminutis oſſibus agni paſchalis exhibebatur. Itaque illa non comminutio oſſium agninorum fuit radiatio quædam myſtica veteribus conſiderandum Meſſiam exhibens. Unde etiam 1. Cor. 5,7. paſcha dicitur immolatum Chriſtus. Quod nomen ipſe non niſi à continuata ſua per agnos paſchales adumbratione habet. Et quia *Ioh.* c. 19, v. 36. dicitur, ſcripturam de non

com-

minuendis ossibus in Christi passione fuisse impletam, necesse est, ad plenitudinem sensûs sacri à Spiritu sancto intenti, id quod de Christo dicitur pertinuisse. At verò quicquid sive literaliter, sive mysticè nobis exhibet Christum, ut patientem pro nobis & pro nobis agnum, id promissionem Evangelicam i efficacem gratiæ & salutis nobis applicat. *Septimo à Mosis exemplo. Heb.* 11,28. dicitur de Mose, quod §.60.
πίσει πεπόιηκε τὸ πάσχα καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος. Ea sc. fide, qua μείζονα πλοῦτον ἡγήσατο τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χριστοῦ. Ea fide, quæ erat ἀνάβλεψις εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, v. 26. Quia igitur Moses consideravit τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χριστοῦ in illo suo ex Ægypto exitu, adeoq; passiones pro se in plenitudine temporis subeundas, quarum fiduciali complexu thesauros Ægyptiacos deseruit & sprevit, contemplatus est etiam in illustrissima paschatis figura radiantia lineamenta Evangelicarum promissionum. *Octavo, ex descriptione sacramentorum V. T. generali*, Col. 2, 27. Hebr. 8, 5. & c. 10, *1*. vo- §.61.
cantur σκιὰ καὶ ὑπόδειγμα τῶν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ ἐπουρανίων. Umbra & delineatio sive exemplar futurorum & cœlestium bonorum. *Vmbra autem omnis ad verum exemplar aliquod refertur*, Eu[illegible]th. l. 6. Eth. c. 3. p. *286*. *Et sicut umbra in naturalibus fit ex oppositione alicujus corporis ex opposítio solis positi*, Thom. Aq. 1. Meteor. lect. 5. p. 19. ita in spiritualibus ex opposita repræsentatione corporis ipsius. *Vmbræ sunt radiales & spirituales imagines, quæ resultant ex lumine*. Mars. Ficinus in Sophist. Plat. c. 36. p. 1293. *& quasi naturam aliquam habent ad res attinentem*. Hesych. Σκιὰ ἐπιφάνεια τοῦ σώματος ἀντίμορφος. ὑπόδειγμα pro documento apud *Xenophontem*, pro exemplo apud *Polybium*, pro exemplari apud *Laertium* sumitur. *Iustinus* in q. *64*. Quæst. & Resp. ad Orth. p. *333*. Jonam vocat ὑπόδειγμα ἀψευδὲς τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐν τῷ τάφῳ τειμέρου παραμονῆς. Et sunt sacramenta V. T. ita umbræ & exemplaria, ut sint etiam signacula τῶν μελλόντων καὶ ἐπουρανίων, *Rom*. 4.

11. In quibus cum sacrificiorum pulcherrima doctrina *dies Christi* videtur, *Ioh.* 8, 56. Et sunt sacramenta τύποι, σκιὰ, ὑπόδειγμα, initialiter non *nobis*, sed ipsis V. T. *fidelibus.* Itaque *non nobis*, sed *ipsis* adumbrant, exemplariter exhibent, repræsentant corpus promissionum cœlestium. Si itaque cœlestium promissionum efficacia per umbras & exemplaria fidelibus non fuit exhibita & suo modo applicata, tum respectu fidelium V. T. ille umbrarum & exemplarium apparatus totus esset frustraneus. Itaque pascha tanquam nobilissimum exemplar divinæ redemtionis efficax omninò typus fuit. *Nonò à loco paschalis immolationis.* Diximus su-
§. 62. pra, ibi ubi Dominus se singulariter manifestavit, & demũ in ipsa civitate templo Dei sacrata debuisse pascha celebrari. Nimirum ibi conspiciendum præbebatur vel tabernaculum admirabile, quod nullas habuit fenestras: itaque indicavit, umbras sacrificiales vigere usque ad patefactionem Christi. Vel templum admirandum, in quod auditores nulli intromissi fuerunt: itaque significavit, expectari aliquem ista umbrosâ ceremonia interea repræsentatum. *Franz.* Disp. 4. Sacrif. th. 88. & seq. Hinc post exilium suum extra Palæstinam Judæi agnum paschalem non immolant. Ejus rei ipsi varias dant causas. Vide *Alfons. Tostat.* ad Ex. 12. quæst. 44. Atqui nulla alia solida ratio dari potest, cur Deus non in Africa, aut Europa, sed intra angustos Judææ fines solùm, & tandem intra ipsa mœnia Hierosolymorum voluerit sacramentum paschale celebrari, nisi quia cum reliquis typis, quibus in agno paschali mysteria Christi repręsentabatur, etiam locum consentire volunt, in quo tantorum beneficiorum tam antrorsum, quam retrorsum, proficientium præstandum esset meritum. Conf. *Franz.* Disp.
§. 63. 7. sacrif. tota. *Decimo à Rabinorum attestatione. Eugubinus* C. 12. Ex. & post eum *Masius* Comm. in Josuam pag. 92. *Hoc*, inquit, *unum addam memorabile sanè, quod in Thalmude scri-*

ptum

ptum reperi, ubi de anni principio disputatur, celebrem fuisse & veterem opinionem apud priscos Iudæos, qui dies vertentis anni Israelitis fuisset libertatis Ægyptiacæ initium, eundem ipsis fore initium libertatis, quam essent à Messia recepturi. De agni in formam crucis ad assationem expansione ex *Iustino* supra diximus. Et de triplicitate adspergilli hyssopici, Trinitatis imagine. Vide ad cap. 12. Exodi verba Cabalistarum apud *Fagium* Comm. in Targum Onkelos. Unde consentienter docent, adventum Messiæ omnes ceremonias ablaturum. *Galat.* lib. 11. de arcan. Catholic. Verb. ex libro Exposit. in Eccles. adducit, p. 552. *Rab. Hizkiiam, qui legem Mosaicam coram lege Messiæ vanitatem vocat. p. 553. Rab. Benzumam, qui ait, futurum esse, ut Israel in diebus Messiæ non faciat memoriam exitus ex Ægypto. & p. ead. Sapientes, qui ceremonias Israeliticas, accidens, mysteria Messiæ, substantiã vocant. & p. 560. Cabalistarum sententiam, qui dicunt, instituta Mosaica esse propter serpentis venenum in Adamum immissum & Messia veniente istud venenum cessaturum. Undecimò à Turcarum ritu.* Mahomet duplex pascha instituit, majusculum, quod ipse Behiram Elkabir & minusculum, quod Behiram Elzaguer vocat. Prius celebratur semper Neomenia Schevval, alterum autem in X. Dulchagia mensis ultimi. Intervallum menses duo solidi, dies decem. Pascha majusculum vulgus illius impuræ & ridiculæ sectæ vocat etiam Behiram Arraphoth. Is est mons non multum distans ab oppido Mecha, apud quem peregrinantes vota suscipiunt solennia minusculi illius paschatis. Unde etiam illud pascha Cazilar Behiram vocatur. Cazi enim Turcis dicuntur peregrinantes voti rei: *Benjamin Tudelensis* in Itiner. p. 63. Celebrant autem Judaizantes Sarraceni pascha in memoriam arietis ostensi Abrahamo in sacrificium loco filij Isaac. Fuisse autem hunc typum cognitum Christi dubitare nefas est. *Duodecimò, à Prophetarum opere.* Dicitur

§. 64. (margin, beside "Turcarum ritu")

§. 65. (margin, beside "Duodecimò")

Act. 10, 43. *Omnes Prophetas testimonium perhibuisse de remissione peccatorum per Christum in tempore promerendâ,* 1. *Pet.* 1, 10. 11. *eos inquisivisse & magna diligentia scrutatos fuisse salutem, investigavisse etiam in quod aut quale tempus portenderit spiritus Christi, prædicens passiones Christi & glorias.* Hæc testificatio & investigatio Prophetica de redemtoria passione Christi facta est in salutem fidelium V. T. qui in venturo consolationis fundamenta quæsiverunt. Unde desiderium scrutandi tempora natum. Fecerunt autem id Prophetæ & inter eos princeps Moses non tantum vaticinijs & dictis, sed etiam imaginibus & factis. Itaq; pulcherrimum illud institutum paschale, quod cœlitus acceperat Moses, ita sine dubio etiam consideratum fuit, tanquam testimonium remissionis Christo mediatore impetrandæ & tanquam vestigium investigandi passiones Christi à Spiritu sancto inibi repræsentatas. Sed de hac re fusè *D. Gerh.* Tom. 4. L.C. à p, 548. usque ad pag. 623. Hic autem magno numero introduci possent *Patres*, qui hunc agni paschalis typum longè excellentissimum ad significandum redemtionis nostræ mysterium in cruce judicant. Illorum dicta coacervare nolumus: sensum expressit *Alfonsus Tostatus, Abulensis Episc.* ubi nullam plane mentionem sacrificij cujuspiam incruenti ab hac figura repræsentati facit. Com. in Ex. cap. 12. quæst. 50.

II. *Quod sit sigillum promissionum divinarum.* Hic finis ex superiori fluit. Si enim agni paschalis legitima participa-
§. 66. tio fuit efficax medium salutis conferendæ & confirmandæ, erit sine dubio instar visibilis cujusdam sigilli, quod verbo jam ante per prædicationem inscripto cordibus quasi characterem certitudinis respectu nostri imprimit. Quo observato quinque argumenta *Bellarmini*, quæ lib. 1. de Sacram cap. 14. contra hanc sententiam facit, corruunt: qui etiam ex analogia reliquorum sacramentorum, *Gen.* 17,

11 *Rom.* 4, 11. 1. Pet. 3, 21. 1. Joh. 5, 8. convelluntur. Adde quod *Ex.* 12, 3. ipse sanguis paschalis dicatur esse in signum, non temporalis tantùm liberationis, sed spiritualis inprimis redemtionis, quam sanguis paschalis instar monumenti cujuspiam illustris adumbrabat. Huc accedit, quod *Sap.* 8, 6. dicatur, Israelitas fuisse lætatos, ἀσφαλῶς εἰδότες οἷς ἐπίστευσαν ὅρκοις. & v. 9. κρυφῇ ἐθυσίαζον ὅσιοι παῖδες ἀγαθῶν, καὶ τῆς θεότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο. Huc referendæ Philonis Judæi meditationes de animæ paschate, lib. de congressu quærendæ erud. gratia p. 343. & de paschate, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ, τὴν δὲ εὔλογον εὐπάθειαν ἑκουσίως πάσχῃ. lib. de herede divin. pag. 396. & de paschate, ὅταν ἀνενδοιάστῳ γνώμῃ καὶ προθυμίᾳ συντόνῳ χρώμενος ὁ νοῦς τὴν δὲ ἀπὸ τῶν παθῶν ἀμεταστρεπτὶ ποιεῖται διάβασιν, καὶ τὴν πρὸς τὸν σωτῆρα θεὸν εὐχαριστίαν. Vide de hoc etiam fine *Cl. Gerhard.* T. 4. à. p. 657. ad p. 677. Alios fines ad quos hoc sacramentum ordinatum est, lubentes hîc prætermittimus.

His *finibus repugnat* I. pronunciatum Jesuiticum, *de diversa consideratione Christi ut* JUDEX *est & ut* AGNUS. *Christoph Majer* Jesuit. in Octo Controv. pag. 14. ita loquitur. *Quando sacræ literæ loquuntur de salute ista, quam Christus* AGNUS *reconcilians peccatores in hac vita confert, tum eam fidei & gratiæ, & non operibus nostris, tanquam mercedem deberi volunt: quia salus hæc à Christo agno & gratis nobis confertur & omnibus etiam iis, qui nullam unquam legem servaverunt, nec ullum unquam in vitâ suâ bonum opus fecerunt, dummodò tamen hic cum verâ fide ac peccatorum suorum pænitentia ad Christum agnum accedant. Quando verò sacra scriptura versatur circa officium Christi* JUDICIS, *vel agit de regno cœlorum aut salute vitæ æternæ conferendâ nobis in alio seculo à Christo judice, cum ibi gratuitæ reconciliationis & adoptionis in filios Dei amplius locus non sit, ideò tunc nihil aliud auditur, quam secundum opera, prout gessit, secundum laborem* §. 67.

propri-

proprium, &c. fidei verò mentio nulla omninò fit, nisi qua vel ipsa etiam ut opus coronam assequitur. Hæc sententia 1. du-
§. 68. plicem facit justificationem, unam coram Christo agno, alteram coram Christo judice. 2. duplex tribunal, unum Christi agni, alterum judicis. 3. duplicem viam salutis, unam ad Christum agnum, alteram ad eundem judicem. 4. misericordiæ à Christo agno nobis communicatæ coram Christo judice negat efficaciam. 5. Christi agni reconciliationem non valere coram Christo judice sufficienter statuit. 6. adoptionem in filiorum Dei jus coram Christo judice non amplius locum habere dictitat. 7. vitam æternam nobis propter υἱοθεσίαν per modum hæreditatis contingere negat. 8. Meriti Christi amplitudinem ad Christum agnum tantùm adstringit. 9. Satisfactionem Christi tollit cum Photinianis. Si enim Christi agni adoptio & antecedenter satisfactio coram Christo judice locum non habet, non est satisfactio. Satisfactio enim judici Deo debetur. 10. Finem incarnationis evertit. Hic enim finis fuit ἐνσαρκώσεως, ut haberemus Mediatorem, coram quo in judicio Dei consistere contra iram Dei possemus. 11. Divellit officia Christi. Quos enim Christus in hac vita, ut sacerdos & agnus ferens peccata & intercessor & rex gratiosus sibi & Deo reconciliavit, eos dicit hæc sententia seposito officio sacerdotali & regio gratioso ex rigore justitiæ judicatum iri. Atqui solatium fidelium est, quod sacerdotem suum sint habituri judicem. 12. Negat media salutis esse media salutis: aut agninam peccatorum tolerantiam in Christo esse medium salutis. Si enim non locum habent ista coram Christo judice, ubi finaliter salutis sententia fertur, ad quem ordinata sunt maximè, neque in hac vita & nullibi sunt media salutis. Repugnat scripturæ, quæ Christum in throno judiciario ut agnum describit. *Apoc.* 5, 6. 8. 12. 13. cap. 6, 1. 16. c. 7, 9. 10. 14. 17. cap. 12, 11. c. 13, 8. 11.

cap. 14,

cap. 14, 1. 4. 10. cap. 15, 3. cap. 17, 14. cap. 19, 7. 9. cap. 21, 9. 14. 22. 23. 27. cap. 22, 1. 3. *Ioh.* 5, 24. Tollitur igitur Jesuitica distinctio, & concluditur, Christum in judicio etiam extremo pijs agnum fore.

II. Figmentum idololatricum *de agnis Dei*. Notum est §. 69.
quomodò ex balsamo & cerâ mundâ agnos conficiant *Cōf. Vind.*
Pontifices Romani, quos consecratos passim aut dono *ad cap. 3. Exodi, & 5.*
aut pretio communicant hominibus. Nolumus repetere, *§. 8. p. 73.*
quæ passim apud nostros Theol. de ijs referuntur. Illud tantum annotamus, quod de AGNIS DEI à Pio V. benedictis refert *Bzovius* de Pontifice Romano cap. 39. pag. 519. sub titulo. *Mirabilia benedictorum agnorum à Pio V. teste D. Paulo Aemilio Sanctorio, agnum Pij V. in Tyberim injectum ejus exundationem sedavisse: teste Petro Locatello, agnum Pij V. maris tempestatem tranquillasse, & navigantes à naufragio præservasse. Teste Horatio Perono, eundem à submersione quosdam liberasse. Teste Laurentia Artemisia, eundem levasse exquisitum dolorem manus fervidæ & bullienti aqua perfusæ & manum curasse. Teste Iohanne Serpa, eundem à præsentissimo pugionis ictu mirabiliter gestatorem suum liberasse. Teste Ioh. Iac. Gymnasio eundem in ignem injectum incendium restinxisse, & à sclopeto ictos illæsos conservasse. Vide* perorantem §. 70.
Bzovium. At I. unde hæc effecta agnorum Dei à Pontifice præparatorum? Nisi aut falsa aut magica esse velint, ostendant divinis revelationibus conforme principium. 2. Quę impietas est, negare, sacramentum agni paschalis fuisse efficax medium communicandæ salutis & sigillum gratiæ, & contra cereis illis formis, neque institutionem neque promissionem Dei habentibus, ista miracula tribuere, & quasi sigilla immunitatis laudare? Sed hæc de agni paschalis sacramento sufficiant.

Addi potuissent varia ἱστορούμενα. *I. An omnia paschata,* §. 71.
quorum V. T. meminit, debitô modo celebrata fuerint? & quot

Hhh *scriptura*

scriptura recenseat? tractant *Abulensis* Ex. 12. & Num. 9. & Lev. 23. *Lorinus* in Numeros pag. 288. & 302. *D. Gerhard.* T. 4. p. 791. *II. Quot paschata in ministerio Christi occurrant? Quidam quinque recensent. Gerh. Merc.* in Chronol. *Ioseph. Scaliger* de emend. Temp. p. 516. *Casaub.* in Exerc. AntiBaron. pag. 440. *Calvisius* Chronol. pag. 175. *Helv.* tab. Chron. *quatuor recensent alij,* quos sequitur *Cl. Gerhard.* Harmon. Cont. part. 2. peg. 1070. & seq. *III. An Christus cum Iudæis pascha suum ultimum celebraverit?* statuunt ita *Alcuinus, Gerson, Toletus, Baronius, Barradius, Bellarminus,* l. 4. Euchar. c. 8. *An die XIII. Nisan celebraverit pascha, adeoque diem legitimum anticipaverit?* statuunt ita *Origenes, Epiphanius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cedrenus & Græci recentiores* communiter. *An tandem Iudæi paschatos festum in diem sequentem Sabbati rejecerint propter traditionem Majorum, ne duo magna Sabbata concurrerent, si feriâ sextâ, in quam eo anno Luna 14. mensis primi incidebat, juxta legis constitutionem pascha celebraretur? Christus autem strictè, rejectis traditionibus, ipsâ divinæ institutionis die pascha suum celebraverit?* Affirmant *Lucidus, Panvinius, Stöfflerus, Buntingus, Liveleus, Calvisius, Casaubonus* Exerc. 16. sect. 13. & seq. prolixè. Ex Pontificijs Theologis *Hentenius* in Euthymium, *Gagneus* in Johann. *Iansenius* Concord. cap. 128. *Salmeron* Tom. 9. cap. 4. *Maldonat.* in Matth. 16. Ex nostris ferè omnes & post omnes *Cl. Gerhardus* Harmon. Continuat. part. 2. pag. 1086. &c. cap. 166. *IV. De varijs controversijs paschalibus, quas discutit Ioseph. Scaliger* de Em. Temp. p. 138. 144. & seq. *Baronius* Tom. II. ed. Antvv. pag. 134. 138. 158. Tom. III. Ed. Rom. pag. 286. 287. 288. 255. 256. 490. 491. Tom. IV. Ed. Antv. pag, 363. Tom. V. pag. 90. 253. 408. Adde *Niceph. Callist.* pag. 226. 227. 384. 394. 751. 752. 753. 754. *Ambrosium* Ep. 83.

83. &c. & alios ex historia Ecclesiastica. *Bellarminus* Tom. 2. Controvers. pag. 362. Calvisius, Isag. c. 16. Sed Hæc omnia brevitas instituti excludit. Concludamus igitur *angelicarum* myriadum elogio Apocal. 5, vers. 12. Ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν καὶ πλοῦτον καὶ σοφίαν καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν.

SYNOPSIS

Totius de Missa tractationis & de Agno paschali Dissertationis, qua connexio opusculi ostenditur.

PLacet synopticè mysariam missæ, disputatione Liturgica Herberi palliatam, detegere; & fundamentorum Herberianorum dodecadem examinare. E qua primum est. *Omnis religio sive ex lumine naturæ docet, sive ex institutione propria præcipit divino cultui annectendum visibile & externum aliquod, idque continuatum sacrificium. E. Christiana quoque religio tale desiderat. Id autem est missa.* c. 1. §. 1. & 2. Respondemus I. *negando universalitatem majoris.* §. 3. II. *negando*, lumen naturæ esse fundamentum instituendi sacrificij. *Primò*, quia hoc est opus voluntatis divinæ: §. 4. *deinde*, quia lumen naturæ non instituit sacerdotes: §. 5. *tertiò*, quia soli scripturæ sacræ hoc convenit: §. 6. *quartò*, quia lumen naturæ est corruptum: §. 7. *quintò*, quia sacrificia à lumine naturæ institura Deo displicuerunt: §. 8. & 9. *Sextò*, quia Ethnici ad Deum revelantem sua sacrificia retulerunt. §. 10. *septimò*, quia Ethnici quidam contemserunt sacrificia: §. 11. *Octavò*, quia sacrificia Ethnica possunt ad κακοζηλίαν Judaicæ Ecclesiæ reduci. §. 12. III. *negando* Patriarchas ante Mosen ex lumine naturæ sacrificare doctos esse: 1. *quia* ad divinam revelationē id referri posse non ne-

gat Pererius, Capnio, Conincius: §. 13. 14. 2. *quia*, Viguerius ad internum saltem sacrificium nos à natura obligari vult. §. 15. 3. *quia* sacrificia pertinent propriè ad Evangelium divinitùs revelatum. §. 16. 4. *quia* sacrificia cœlesti igne comburebantur. §. 17. 5. *quia* in statu integritatis non fuissent sacrificia. §. 18. 6. *quia* Patriarchæ sacrificijs adjunxerunt doctrinam passionis CHRISTI à sacrificijs figuratam. §. 19. 7. *quia* alios fidei articulos è sacrificijs elicuerunt. §. 20. 21. 8. *quia* ex fide obtulerunt. §. 22. 9. *quia* omnia sacrificia legitima, qualia illa fuerunt, divinitus instituta sunt, fatente Valent. §. 23. 10. *quia* in vita æterna, ubi lumen naturæ gloriosius, nulla futura sunt sacrificia. §. 24. 25. 11. *quia* sacrificia illa in ordinarijs conventibus fiebant. §. 26. *quia* non licuit patribus illis luminis nativi impulsu instituere consilia perfectionis. §. 27. 13. *quia* sub aliquo testamento obtulerunt. §. 28. 14. *quia* juxta Aquinatem sacrificia illa figurarunt Christum. §. 29. 15. *quia* hac ratione introduceretur fides implicita Cretensis, de qua §. 30. 16. *quia* non necessarium est, ut quia corporei sumus, corpoream rem divinæ majestati offeramus. §. 31. 17. *quia* locus Hebræ. 7. nil hûc facit. §. 32. 18. *quia* non omni, qui pro Deo agnoscitur, illicò sacrificium externum offerendum. §. 33. IV. *Negando*, à natura cultus Mosaici valere argumentum ad conjungendum sacrificium continuum visibile cum omni religione: idque §. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. V. *Defendendo* contra Jesuitas, Sacrificium crucis esse unicum & verum Christianæ religionis sacrificium, idque per §. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. VI. *Probando*, sacrificium missæ non posse cum religione Christiana conjungi, quia injurium est sacrificio Christi in cruce præstito. §. 62. 63. idq; 1. *quia* non applicat sacrificium crucis. §. 64. 65. 66. 67. 2. *quia* addere conatur aliquid sacrificio crucis. ib. 3. *quia* sive finitæ sive infinitæ virtutis esse dicatur, missa tamen

morti

morti Christi detrahit. §. 68. 69. 4. *quia* non eo modo applicat quomodo verbum, sacramenta, fides. §. 70. 5. *quia* statuitur missam in finitæ. dignitatis fuisse ante sacrificium crucis. §. 71. 6. *quia* Christus in missa non est primarius sacerdos, §. 72. 7. *quia* magisterium Christi & sacerdotale officium violat. §. 73. 74. 75. 8. *quia* æternitatem sacrificij crucis lædit. §. 76. 9. *quia* Photinismo subsidium struit: §. 77. 10. *quia* facit Christum sacerdotem secundum ordinem Aaronis, §. 78. 11. *quia* imperfectionem Nov. Testamento parit. §. 79. 12. *quia* denuò occidit Christum. §. 80. 13, *quia* panaceum est, non idem cum sacrificio crucis, §. 81. 82. 83. 14. *quia* singularis illi adscribitur propitiandi virtus. §. 84. 15. *quia* singularis est traditio corporis & fusio sangvinis. §. 85. 16. *quia* frustillatim partitur sacrificium crucis. §. 86, 17. *quia* à bonitate ministri accipit vigorem. §. 87. 18. *quia* illi adscribitur veteris sacerdotij abolitio. §. 88. 19. *quia* ei soli vis uniendi cum Deo vindicatur. §. 89. 20. *quia* habet hypotheses contrarias communioni sub unâ, quam consentaneam sacrificio crucis autumant. §. 90. 21. *quia* impedit communicationem Christi in cœna. §. 91. 22. *quia* negat mortis Christi veritatem. §. 92. 23. *quia* nihil gratiæ divinæ habet. § 94. 24. *quia* evertit æqualitatem personarum Trinitatis. §. 94. 25. *quia* labefactat sessionem Christi ad dextram. §. 95.

CAPITE II. Herberus definit sacrificium, quod sit *actio, quæ ex primaria ac definita sui institutione refertur ad cultum externum latriæ Deo in divinæ excellentiæ recognitionem certo ritu exhibendum ab eo, qui singulari delectu à cæterorum hominum cœtu ad id muneris assumtus est*: seu quod sit *mutatio, qua res humanis usibus subducta mystico ritu velut in Dei possessionem tàm quoad usum, quam quoad substantiam transscribitur ad supremum ejus in omnia contestandum dominatum*, Resp. I. hac definitione posita Missam non esse sacrificium: §. 1. 2. 3. II, nec sacrificium crucis hoc modo esse

ſacrificium. §. 4. III, contradicere Herberum alijs Jeſuitis in miniſtro ſacrificij conſtituendo. §. 5. IV. in cauſa efficiente legitimè nominanda. §. 6. V. in cauſa finali. §. 7. VI. in inſtitutionis divinæ requiſito. §. 8. 9. Deinde Herberus *antiquitatem* miſſæ in *originatione* vocabuli quærit. Putat autem cum alijs quibusdam eſſe Hebræum: §. 10. quod refutant Bellarminus Cardinalis, Vaſquez, Matth. Galenus, Caſaubonus, quorum verba ſunt §. 11. Oſtenditur autem inſuper *pugna Pontificiorum*, ſuper derivatione Latina Miſſæ: *Quidam* enim dici volunt, quod oblatio & preces ad Deum mittantur. §. 12. *Quidam*, quod angelus cœlitùs miſſus ſacrificio adſtet & id deferat. §. 13. 14. 15. *Quidam*, quod Chriſtus per transſubſtantiationem quaſi de novo mittatur. §. 16. *Quidam*, quod dimittatur populus. §. 17. 18. Non eſſe autem antiquiſſimum hoc vocabulum huic rei accommodatum teſtimonio I. C. Bulengeri & Bellarmini probo. §. 19. 20. Deum Mauzim habere magnam cum Miſſa affinitatem, §. 21. 22. & 23. docent.

CAPITE III. Bellarminum & alios ſecutus Herberus habet fundamentum pro Miſſa *ex analogia Chriſti & Melchiſedeci* depromtum. *Quia enim Chriſtus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, in ordine autē Melchiſedeci eſt ſacrificium panis & vini, ideoque Chriſti ſacerdotium quoque habebit ſacrificium panis & vini.* §. 1. 2. 3. 4. Reſpondemus ad hoc fundamentum I. *textum* Hebraicum ejusque varias translationes partim ex Pſalmo *proponendo*, unde eluceſcit illicò, ſacrificium panis & vini in ordine Melchiſedechi non fuiſſe. § 5. 6. II. *conſequentiam negando*, quæ eſt, ſi in ſacerdotio Melchiſedeci fuit ſacrificium panis & vini, etiam in ſacerdotio Chriſti, quod ſecundum ordinem illius eſt, debere eſſe panis & vini ſacrificium : poſſe enim alio modo compenſari ſacrificium panis & vini, ſi vel maximè in ordine illo fuiſſe tale quid conceſſerimus. §. 7. 8. & 10. III. Theologiam ſymbolicam & typicam non eſſe argumenta-

mentativam, nisi adsit clara litera, quæ hîc deest. §. 11, 12. 13. *14. 15.* IV. *Circumstantias textus* in Genesi reclamare sacrificio Missæ. 1. *quia* si ita urgeatur exacta & in externis quoque rebus facta consonantia typi cum re, Christus etiã sub speciebus animalium offerendus esset. §. 16. 2. *quia* sequeretur Christum etiam esse sacerdotem secundum ordinem Aaronis. §. 17. 18. 19. 3. *quia* transsubstantiatio. §. 20. 21. 22. 4. ablatio calicis. §. 23. 5. Vicariatus universalis Pontificis. §. 24. 25. 6. Ipsa Missa. §. 26. 27, 28. 7. Vis illius propitiatoria. §. 29. 30. 8. Jejunium ad eandem necessarium. §. 31. 32. *33.* 34. 9. mixtura vini cum aqua. §. 35. 36. *37.* 8. tolletur ex hoc typo, pressius & ultra scopum Apostolicum examinato. *10. quia* inferretur, necessariò Christum ipsum in prima cœna sacrificasse, quod multi Pontificij negant. §. *39.* 40. 41. 42. 43. *44.* 11. sequeretur, Christum tantum in sua persona sacrificasse panem & vinum, nec id hodiè agendum. §. 45. 45. 46. 47. V. Melchisedechus à Patribus & Pontificijs creditur fuisse Semus, Noachi filius. §. *48.* 49. 50. *51. 52.* 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. *66.* 67. *68. 69.* Credibile igitur est, non usurum fuisse illum alio sacrificij genere ab ijs, quibus reliqui Patriarchæ coluerunt Deum. §. 70. VI. *Quia* panis & vinum non sacrificandi, sed reficiendi & gratulatoria dona offerendi animo prolata sunt; ut circumstantiæ textus: §. 71. Clemens Alexandrinus. §. *72.* Cyprianus. §. 73. 74. 75. 76. Athanasius. §. 77. Epiphanius. 78. *79.* 80. Ambrosius. 81. Chrysostomus. §. *82.* Eucherius. §. 83. Damascenus. *84* Haymo. 85. Euthymius. 86. Lombardus. *87.* Cajetanus. *88.* Clarius. §. *89.* docent. Nec valet aliquid Herberi objectio. §. 90. refutatur enim à Pererio. §. *91.* & Ribera. 92. *93.* VII. *Panis & vini* significato frequenter in sacris literis *omne ciborum genus* intelligitur: non igitur probatur, Genes. 14. panem & vinum exclusivè oblatum esse: quod deducitur §. 94. 95. 96. 97. 98. *99.* 100. 101, 102, 103. 104, 105. 106. 107. 108.

108. 109. 110. 111. 112. VIII. Soph Paſuk, quod eſt inter verba, *& erat ſacerdos Dei altiſsimi*, & verba, *& benedixit ei* non ita illa ſeparat, ut poſteriora priorum rationem non continere poſſint. §. 113. *quia* puncta & accentus recens inventum ſtatuunt Bellarminus. §. 114. Salmeron. §. 115. 116. 117. Senenſis. 118. Jac. Parem. §. 119. Poſſevinus. 121. Huntlæus. §. 122. cum Calv. Morrentino, Druſio, alijs. §. 223. contra Marcum Marinum in arca Noæ in præfat. pag. 4. ed. Ven. & rationes poſitas. §. 125. 126. 127. 128. IX. Quia Chriſtum cum Melchiſedecho Paulus in oblatione panis & vini non comparavit, ideòque nulla eſt. §. 129. 130. 131. 132. Idque quia Franciſcus etiam Turrianus. §. 133. 134. & Salmeron. §. 135. & Ribera. §. 136. rationes Herberi, quas prætexit omiſſioni Paulinæ, refellunt aut elevant. Idque agnovit Arias. §. 137. 138. 139. X. Benedictio, qua Melchiſedecus excepit Abramum, adeò ſufficiens eſt cauſa, cur Melchiſedech dicatur Sacerdos, ut aliâ opus non ſit. §. 140. 141. 142. 143. 144. 145. ubi notandus circulus, quem hîc cum Corn. à Lapide plerique committunt Jeſuitæ. §. 146. XI. Plurima abſurda onerant Jeſuitas, in quæ illabuntur, dum nîmis comparationem inter Melchiſedecum & Chriſtum extendunt. 1. Vocare enim cruentum Chriſti ſacrificium coguntur otioſum. §. 147. 2. N. T. imperfectum efficiunt. §. 148. 3. Chriſtum imperfectè ſecundum ordinem Melchiſedeci ſacerdotem ajunt. §. 149. 4. Paulum peregrinæ ad ſacrum textum additionis reum agunt. §. 150. 5. In pane & vino excellentiam ſacrificij Melchiſedeci conſtituunt. §. 161. Jobum contra domeſticos autores ἀγενεαλόγητον faciunt. §. 154. & Eliam. §. 155. Taxant noſtros, quod vocabulum ſacerdotis in principis quidam traducant. §. 156. quod tamen etiam ex ipſis Oleaſter fecit.

CAPITE IV. Herberus ex Daniele de jugi ſacrificio vaticinante miſſam colligit illamque unicam per juge ſacrificium intelligendam pugnat. Reſp. I. Contradicit ſibi Herberus

berus dum vaticinia Danielis ad literam de abominatione desolationis in fine mundi futuræ accipit, & tamen abolitionem jugis sacrificij figuram desolationis vocat. §. 1. 2. 3. II. Contradicit sibi Bellarminus: alibi enim ad Antichristum missæ abolitorem vaticinia hæc accommodat: alibi ea illùc traducenda negat. §. 4. III. Vox jugis, licet ad sacrificium solenne Judaicum matutinum & vespertinum accommodetur, tamen in N. T. non necessariò ad sacrificiũ externum transfertur, sed notat omnem Ecclesiæ cultum. Ille autem non est missa. §. 5. 6. 7. 8 9. IV. Nec antiquitas sana & sincera hæc loca ad missam traducit. §. 10. V. Jesuitę autem ex supposititiâ antiquitate fictitium Hippolytum accersunt, §. 11. quem ipsi reprobant, §. 13. 14 15. qui etiam hîc illis examussim non favet. §. 16. VI. Juge sacrificium, cujus meminit Daniel, omninò abolebitur. Missam autẽ omninò aboleri est contra Ecclesiæ perennitatem & immarcessibilem florem à Jesuitis jactatum. §. 17. 18. 19. VII. Ipsi Jesuitæ hoc de loco mirificè variant, nutant. §. 20. 21. 22. 23. VIII. Qui juge sacrificium tollet, idem non amabit. Antichristus amat missam: Est enim idem, qui Pontifex: quod ex collatione Antiochi doceo. §. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. IX. Tempus illud, quo persecutio circa juge sacrificium præfiguratum duratura est, & in quo abolebitur, vitiosè assignatur. §. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39, 40. X. Si missa per juge sacrificium intelligeretur, & id tempore à Jesuitis definito aboleretur, diei novissimæ tempus infallibiliter constaret. §. 41. 42. 43. XI. Ait Herberus, missam abolendam, & Evangelium tamen perstiturum & soniturum in urbe usq; ad exitium ejus. E. non spectat missa ad Evangelij prædicationem, nec proinde est juge sacrificium. §. 44. 45. XII Figmentum etiam est, quod de duobus testibus Enocho & Elia pro Missâ & Evangelio pugnaturis recenset Herberus, ut latè probat Alcasar. §. 46. 47 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. XIII. Totus discursus Herberi summatim

percurritur, locis Danielis, Origenis & Augustini vindicatis. §. 57.58. XIV. Porismata Herberi refelluntur, ostendendo Lutheri prædicationem esse eam, quæ ab Antichristo debuit prius destrui. §.49. & conatum tollendi missam non esse Antichristianum. §. 60.

CAPITE V. De oblatione munda Malachiæ primò indicatâ Herberus disserit, eamque ad missam suffulciendam trahit. Resp. I. Novit Herberus, quid Magnus apud ipsos Theologus & in linguis doctissimus Arius Montanus, quid Isidor. Clarius Episcopus, quid Vatablus de hoc loco judicent, quam alieni sint ab eo ad missam transferendo, videatur c. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. quid Chaldæus Paraphr. Rabbi David Rimhi, R. Abraham, R. Salomon, & Hugo Cardinalis de eo statuant. §. 6. II. Falsum esse, quod vocabulum mincha absolutè positum semper externum, visibile & proprium sacrificium notet, probo §. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. III. Alia est minchæ, alia missæ ratio, si earundem compositionem intuiti fuerimus. §. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. IV. Mincha sub accidentibus involuit suam nativam substantiam : missæ symbola non ita. §. 23. 24. 25. V. Inusitatum non est per typos V. T. spiritualia sacrificia N. T. explicari §. 26. 27. 28. 29. 30. VI. Incensum impropriè explicandum est. Quidni & mincha? §. 31. 32. 33. 34. VII. Missę non congruit universalitas loci, in quo oblatio munda futura. §. 35. 36. 37. 38. VIII. Evidens est, Judæos reprehendi, quod oblationem mundam non adornaverint sanctissimo Numini. Itaque oblatio munda non est missa. §. 39. 40. 41. 42. IX. Munditia hîc equidem in sacrificijs spiritualibus requiritur : non tamen absoluta: §. 43. 44. 45. X. Bellarminus ait, potuisse Eucharistiæ sacrificium absque præsentia corporis Christi conservari, quæritur autem an etiam tum munda futura fuisset? §. 46. 47. 48. 49. 50. XI. Frequentissima est in missa contaminatio, ait id Coucil. Tridentinum, §. 51. Bellarminus, §. 52. est in missa de-

sa deceptio. §.53. in ventrem dejectio, §.54.55. incantatio. §.56.57.58.59.60.61.62. XII. Nulla è missa in Christum fluit gloria. §.63.64.65.66.97. XIII. Fit in ea intoxicatio: §.68.69.70.71.72.73.74.75.76. XIV. Locus Johann. 4. quem ceu parallelum vaticinio Malachiæ producunt, non agit de adoratione Missaticâ. §.77.78.79. XV. Sancti Patres locum illum nequaquam de Missa intelligunt. §.80. sed applicant illum vel ad spirituale precum sacrificium: ut Clemens Romanus, de cujus tamen scriptis dubitatur: ib. Martialis Episcopus Lemovicensis, cujus tamen Epistolæ etiam suppofititiæ. §.81. Cyprianus §.82. Tertullianus §.83. Irenæus §.84. Eusebius Cæsar §.85. Theodoretus §.86. vel ad prædicationem Evangelij, ut Tertullianus §.87. Hieronymus §.88. Chrysosthomus, Augustinus, Cyrillus, §.89. vel de gloria, laudibus, hymnis, §.90. Tertullianus, Irenæus, Athenagoras, Basilius, §.91. Eusebius, Theodoretus, Petrus Galatinus, §.92. XVI. Discursus Simonis Felicis, Herberi, Henrici, Cornelij à Lapide ex h. l. examinantur §.93. Corollarium Herberi refellitur §.94.

CAPITE VI. Quod è verbis Institutionis proferunt Jesuitæ & ex ijs Herberus pro Missa fundamentum, id nullum esse, deduximus I. *ex eo*, quod ipsorum adversariorum quidam fateantur, ea per se sumta non convincere hoc. Si autem verba institutionis, in quibus sedes est articuli hujus, per se sola non convincunt, quid de alijs locis statuemus? aut quid solidi ex hoc loco depromemus? vide §.1. 2.3.4. II. *ex eo*, quod incertum dicant ipsi Pontificij, an Christus ipse in prima cœna sacrificarit. Unde igitur persuadebimur, ut in alijs cœnæ Dominicæ solennibus sacrificemus! §.5.6. III. *ex eo*, quod disputant adhuc inter se, quorsum voculam *hoc* referre velint & ita nondum certi sint, quid sacrificandum. §.7. IV. *Ex eo*, quia verbi *facite* Jesuiticam interpretationem saniores Pontificij repudiant §.8.9.10. V. *ex ipsa collocatione* & sede verbi facite. §.11.

 VI.

VI. *ex Bellarminiana tergiversatione*, quæ malæ causæ indicina. §. 12. VII. *ex inconstantia* & contrarietate Salmeronis, quam exhibet in verbo facite ad oblationem sacrificialem arctando & non arctando. §. 13. 14. VIII. *ex iterata* Salmeronis circa idem verbum *confusione*. §. 15, IX. *ex instituti* per verbum facite sacerdotii *nullitate*. §. 16. 17. 18. 19. 20. X. *ex eo*, quod quidam Missæ fundamentum quærunt in benedictione, in qua nullum esse alij contendunt. §. 21. 22. 23. 24. XI. *ex contraria* & dissentente benedictionis Dominicæ *explicatione*. §. 25. 26. 27. 28. XII. *ex eo* quod quidam in ritu crucis Missæ præsidium quærunt, cujus tamen novitatem alij detegunt. §. 29. XIII. *ex eo*, quod quidam ex fractione Dominica eliciunt actum missalem, cui alij ex eadem secta resistunt. §. 30. 31. XIV. *ex eo*, quod adhuc hodie de verbis differunt consecrationis, in qua tamen MISSÆ constat essentia. §. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. XV. *ex objecti intuitu*, ad quod verba CHRISTI diriguntur. §. 40. 41. 42. XVI. *ex eo*, quod transsubstantiatio non habet fundamentum in verbis Insti: quæ tamen est supremum MISSÆ fulcrum. §. 43. 44. 45. XVII *ex eo*, quod dissentiunt Pontificij in explicandis verbis, datur, vel dabitur, funditur, vel fundetur. Ea enim quidam ad *Missam* trahunt, quidem ad crucem. §. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. XVIII. *ex diligenti* fractionis Dominicæ *consideratione*. §. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. XIX. *Ex eo*, quod quidam in cœna institutum esse testamentum novum contendunt, quidam negant. §. 61. 62. 63. 64. XX. *ex remissionis peccatorum natura*, ad quam Missa nil agit §. 65. 66. 67. 68. 69. 7. 71. XXI. *ex* inconsiderata & inconstanti *inquisitione*, quâ in commemoratione Dominica Missam venantur. §. 72. 73. 74. 75. 76. XXII. *ex collatione cœnæ* cum baptismo, qui sacramentum tantum est, non sacrificium, licet mortem Christi repræsentet. Ubi vide pugnas. §. 77. 78. 79. XXIII. *ex mactationis* missaticæ *nullitate*. §. 80. 81. XXIV. *ex collatione*

cœnæ

cœnæ Emmaunticæ cum Eucharistia. §. 82. XXV. *ex universali* omnium missarum *incertitudine*. §.83.84.85. XXVI. *ex* fundamentorum Herberi examine, in quo Tertullianus §. 90. Epiphanius §. 91. Ambrosius §. 92. Cyprianus §. 93. Alexander I. Papa §. 99. vindicantur & explicantur, Locus Luc. XXII. 19. explicatur §. 91. Vasquez Herbero opponitur §. 94. Simon Felix refellitur §. 95. 96. 97. 98.

CAPITE VII. Herberus ex liturgia Apostolica, quæ Actor. 13. v, 2. commemorata, Missam exsculpere conatur. §. 1. & 2. secutus alios antecessores suos, §. 3. Malè. Nam I. sive Novum Testamentũ in tuearis, vox λειτουργίας sola nuspiam sacrificium externum & visibile notat. §. 4. 5. 6. 7. II. nec illud in patrum monumentis usurpatur ita. §. 8. III. Nec ita capiunt scholæ Philosophorum. §. 9. IV. Jurisprudentum stylus hûc pariter non inclinat. §. 11. V. Reclamat etiam Syrus cum alijs Interpp. §. 12. VI. Et aliud suadent circumstantiæ textus. §. 13. 14. 15. 16. 17. VII. Lorinus etiam id fatetur. §. 18. & Sanctius. §. 19. & Justinianus. ibid. & Lintrensis. §. 20. VIII. nec hoc probat discursus Claudij à Sainctes, qui proponitur §. 21. & refellitur §. 22. expositis Canonibus Apostolico §. 23. Gangrensi §. eod. testimonio Ignatij, itidem: IX. nec hoc probant vulgò concumulatæ & ostentui habitæ liturgiæ. Jacobi est supposititia. §. 24. 25. 26. 27. nec probat Missam §. 28. Marci est adulterina. §. 29. 30. 31. 32. Petri est conficta, quod probatur Lindani discursu pro ea confutato §. 33. nec probat Missam §. 34. Basilij est commentitia, §. 35. & Chrysostomi, §. 36. X. rationes Herberi summatim percurruntur §. 38. Idem de reliquis judicium esto, quæ recentiùs orbi Christiano obtrusæ.

CAPITE VIII. Ex altari ad Hebr. cap. 13. celebri, & mensis 1. Cor. 10. collatis octavum habet fulcimentum Missæ Herberus. Ita concludit. *Habemus altare: inquit Apostolus. At hoc non potest esse aliud ab eo, in quo Missa fit. E. necessarium etiam est sacrificium.* Item: *in mensis dæmoniorum sacrifica-*

bant Ethnici. E. in mensis Christianorum sacris etiam sacrificandum est. §.1. 2.3.4. Respondemus I. Usi sunt Patres voce altaris, sed non in sensu nativo, verum translato. §. 5. 6. II. Mensa interdum significat altare : at non hîc §. 7. III. Fuerunt in Ecclesia Patriarchali & Israelitica altaria propriè sic dicta. At non ita in Ecclesia Christiana. §. 8. IV. Circumstantiæ textus 1. Cor.10. non postulant aliquod sacrificium propriè sic dictum in Ecclesiæ Christianæ mensis. §. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. V. Idem est Patrum judicium. §. 20. VI. Nec altare Hebr. 13. à Paulo propositum est altare aliquod externum, sensile, ad sacrificia sensibilia destinatum. §. 21. 22. 23. 24. 25. VII. Non sunt altaria, qualia hodiè Pontificiæ habent Ecclesiæ, coævа Apostolis : ut nec templa : §. 26. 27. patet hoc ex Celsi objectione & Octavij responsione apud Minutium : de qua fusè. §. 28. 29. 30. 31. VIII. Nec facit hûc discrimen inter aras & altaria. §. 32. 33. IX. Firmatur tota res testimonio Isidori Pelusiotæ. §. 34. X. examinatur autoritas Canonis Apostolici, Concilij Laodiceni, Gratiani, Ignatij, §. 35. explicatur Laicæ communionis natura, §. eod. XI. Ridiculæ sunt rationes mutationis altarium ligneorum in lapidea. §. 36. XII. Lutheri explicatio Gen. 4. vindicatur §. 37.

CAPITE IX. Est occupatus in centuriatâ & seculari deductione consensus Patrum, quorum verba variè in fulcimentum Missæ torta. Respondimus I. Patres nec posse nec velle normam sufficientem suis scriptis ad dijudicandas controversias sacras suppeditare, ex decem capitibus deducendo. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. II. Nec ipsos Pontificios ubique stare autoritate Patrum ex duodecim fundamentis evincendo. §. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. III. Ipsos porrò Patres multis suis hypothesibus sacrificio missatico contradicere è duodecim articulis demonstrando. §. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. IV. Phrases Patrum primâ fronte sacrificium aliquod innuentes, non esse ad sacrificium Missæ

illicò

illicò trahendas, ſed ob decem cauſas ad ſacramentum Euchariſtiæ tantùm referendas, oſtendendo §. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. V. Suppoſititia Patrum ſcripta pro genuinis à Pontificijs & Herbero venditata detegēdo, ut eſt paſſio Andreę, è qua tamē productum teſtimonium adulteratum eſt à Pontificijs §. 3 . 40. 41. 4 . 43. Hiſtoria Abdiæ Babylonici, è qua tamen producta teſtimonia nihil valent, 44. Jgnatij §. 45. Hygini & Pij I. §. 46. Felicis §. 47. ubi de memorijs Martyrum §. eod. Ambroſij §. 47. Baſilij §. 48. Gregorij Nyſſeni §. 49. Cyrilli Hieroſolymitani §. 50. Optati Milevitani §. 51. Gaudentij Brixienſis §. 52. Auguſtini, §. eod. Hieronymi §. 53. Rurſus Auguſtini §. 54.

CAPUT X. Diſſerit *Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium*. Reſp. *I.* Satis ſuperioribus capitibus contra propitiantem miſſæ vim diſſertatum eſt. *II.* Remiſſio peccatorum eſt effectus non Miſſæ, ſed ſacrificij crucis. §. 1. 2. 3. 4. *III.* Patres nihil agunt pro Miſſæ propitiatoriâ vi. §. 5. *IV.* Ex Epiſtola ad Hebræos non eſt fundamentum pro eâ. §. 6. *V.* Herberus ſibi contradicit. §. 7. 8. 9. *VI.* Pugnant inter ſe de propitiatione, quidam ad pœnas temporales: quidam ad æternas: quidam ad culpam venialem: quidam ad mortalem eam extendunt: vide §. 9. 10. 11. 12. *VII.* Myriadem difficultatum, quibus ſe involvunt, habet Ægid. Conincius, quæ teſtatur de erronea dogmatis ineptitudine, §. 13. 14. 15. 16. 17. *VIII.* Jmperfectior longè eſt propitiatio Miſſæ, etiam ut à Pontificijs jactitatur, quam Jeſuitica indulgentiaria, vel ſacramentalis. Cur igitur tantopere defenditur. §. 18. *IX.* Negant ſacrificium miſſæ omnia peccata expiare: & tamen expiatoriam vim miſſæ derivant ex identitate hoſtiæ, quæ in Cruce & miſſa eſt. §. 19. *X.* Eo abſurdi delabuntur, ut dicant Miſſam etiam V. T. delicta expiaſſe. §. 20. *XI.* Eo usq; extendnnt ſuam miſſam, ut nec ſacramenta ſine eâ valere ſtatuant. §. 21. Quæ omnia abſurdiſſima.

CAPITE XI. Heiberus ex eo, quod priſci Patres

prisci Patres sanctorum & defunctorum commemorationem in sacræ Eucharistiæ solennitate fecerunt, concludit, in Missa pro sanctis & defunctis orandum esse. Resp. *I.* Pio sensu auspicatus, non divina lege ordinatus est ritus, quo Martyres gloriosi olim in solennibus Ecclesiæ sacris, ut & alij de Ecclesia Christi eximiè meriti commemorabantur: ob causas, quas habet §. 1. *II.* Non igitur id factum est animo eos sacro & religioso cultu afficiendi. §. 2. 3. *III.* Nec Canonizatio hinc introducenda. §. 4. *IV.* Relinquimus igitur Heinriquezij absurditatem. §. 5. *V*, Oblatio Judæ Machabæi nil probat, ob causas, quas continet §. 6. *VI.* Nec est hæreseos Aerianæ argumentum, si quis neget missam pro defunctis offerendam. §. 7. 8. *VII.* Nec in genere pro defunctis in Missa olim oratum est, ut ij è purgatorio liberentur, sed ob causas, quas recenseo. §. 9. *VIII.* Unde Tertullianus §. 10. Epiphanius & ex Pontificijs Nogarola & Bellarminus contra se §. 11. illum ritum non ad sacras literas, sed ad Ecclesiæ statutum referunt. nec à veteribus Purgatorium cogitatum est omnibus. §. 12. in eam rem largitur hypothesin quandam Salmeron & Bellarminus, quam refert §. 13. & 14. *IX.* Oblationem pro defunctis in purgatorio liberandis non probat Concilium *Vasense* §. 15. Carthaginense quartum. §. 17. Braccarense. §. 18 Valentinum. §. 19. Aurelianense. §. 20. Vormatiense. §. 21. Triburiense. §. 22. *X.* Nec juvat in subsidium vocare Græcos, quos aliàs anathemate percutiunt Pontificij: ut docet §. 23. 24.

CAPUT *XII.* Tria potissimum defendenda suscipit 1. Missarum privatarum antiquitatem, 2. Linguæ latinæ in sacris officijs occidentalium Ecclesiarum summam necessitatem. 3. Rituum superstitiosorum varietatem. Nos ad primum caput *I.* disseruimus ex Henriquezio Jesuita de *Missæ* privatæ monstrosa satis conditione. §. 1. 2. 3. *II.* refutavimus exemplum S. Luciani, qui cum sacram cœnam humi à catenis pressus celebrasset, missam habuisse creditur privatam.

tam. §. 4. 5. 6. *III.* Ambrosij hûc non pertinere testimonium, ostendimus §. 7. 8. *IV.* Bellarmini testimonium adduximus, quo ille missas privatas expressum in antiquitate suffragium habere negat. §. 9. *V.* Conjecturas Bellarmini pro missarum privatarum stabilimento vanas esse deteximus §. 10. 11. 12. 13. Ad secundum caput, Respondimus I. Non ideò solas illas tres linguas in apice crucis fuisse positas, ut usus earum necessarius in sacris indicaretur. §. 15. 16. 17. 18. II. Linguam Latinam non esse supremo loco positam. §. 19. *III.* Sanctum non projici canib⁹, si sacra vulgari lingua celebrentur. §. 20. *IV.* Mutatio missalium futura nos à vernacularum linguarum usu absterrere non debet. §. 21. 22. 23. *V.* Silentium & murmur non conservant majestatem sacrorum. §. 24. 25. 26. Ad tertium caput, de *ritibus missaticis*, diximus *I.* Ritus simpliciter non damnari, sed multitudinem & ineptissimam coaptationem eorum. §. 27. *II.* Pontificios ritus olere Ethnicismum. §. 28. ex Lilio Gyraldo, Polydoro Virgilio, Beato Rhenano, Jacobo de Voragine, Cornelio Agrippa, Jure Canonico, Martino à Roa, Baronio & ipsa propiori collatione. §. 29. 30. 31. 32. *III.* Molem ineptissimam rituum premere Ecclesiam & veritatem §. 33. *IV.* Apostolos simplicitatis studiosos fuisse. §. 34. 35. Quam simplicitatem supremæ æterni Dei majestati consentientissimam nos hîc imitati, Herbero nostro precamur devotè & finimus.

Appendix de Agno paschali præfatur de querela Justini Martyris, qui vult, ex Esdra ablatum testimonium, quod Christus sit pascha, §. 1. Sedem doctrinæ de agno paschali designat & ex Chaldaico producit, §. 2. Nominis pascha varietatem in scriptoribus notat, §. 3. Originem falsam removet §. 4. veram ponit, §. 5. ambiguitatem evolvit §. 6. abusum notat in Zvinglianis §. 7. in Pontificijs §. 8. Sacramenti agni paschalis causa efficiens principalis proponitur §. 9. ubi de oraculorum generibus & nominis יהוה singularitate

diſſeritur. Cauſa miniſterialis revelationis explicatur & quidem Moſes, de cujus appellatione, parentibus, excellentia §.10. principatu & ſacerdotio §.11. morte & poſt mortem contingentibus §.12 Aaron, cujus exemplaris abuſus notatur contra Pontificios §.13. Inſtitutionis tempus, diſquiritur quoad annum §. 14. materia expenditur §. 15. an etiam liceat uſurpare hœdum ? ibid. cur agnus inſtitutione demandatus ? ibid. Requiſita agni memorantur §. 16. Actiones deducuntur circa agnum, & quidem I. Sumtio & ſegregatio §. 17. ubi quæritur, an hæc duntaxat in primâ celebratione paſchali ſit uſurpata ? §.18. ſegregationis tempus §.19. typus, §.20. II. Mactatio §. 21. ejus tempus. §. 22. unde menſium initium capiendum ? An non in alium menſem à privatis indiſpoſitis poſſit differri ? §. 23. An etiam ab univerſo populo ? §. 24. Quid ſignificent duæ veſperæ ? §. 25. Qua veſpera manducatum paſcha ? §.26. 27. Cauſa miniſtrans immolationis ? §. 28. An à patribus familiâs facta agni paſchalis immolatio ? §. 29. Quis locus imolationis primus ? §.30. Quis ordinarius ? §.31. Quid de ſanguine agni factum ? §.32. Quid faſcicul⁹ hyſſopi ? §.33. Quid de illitione ſanguinis juxta Alcaſarem. §.34. Quid Ægyptij in gregibus ſuis quotannis ad memoriam exitus Iſraelitici fecerint ? §. 34. An ritus illinendi ad primum duntaxat paſcha pertineat ? §.35. Quid III. aſſatio ? §.36. Modus aſſationis & cur aſſatio præ elixatione electa ? §.37. IV. Comeſtio. §.38. Tempus comeſtionis §.39. Eſculenta in comedendo cum agno paſchali conjungenda. Ubi de azymis §.40. Quid lactucæ amaræ ? §.41. Qui Comedentes ? §.42. An mancipia potuerint cogi ad paſcha ? §.43. An in deſerto nati nec circumciſi ad paſcha admittebantur ? §. 44. Comedentes ſuccincti & calceati cur ? §. 45. An etiam ſtantes ?. §.46. An à qualitate agni paſchalis ceu typi ad ſacramentũ Euchariſtiæ firma concluſio ? §.47. 48. 49. An agnus paſchalis ſacrificium ſit ? §. 50.51. Quid habendum de rationibus, per quas ſacrificium eſſe videri poſſit ? §. 52. An agnus paſchalis medium fuerit efficax ſalutis & communicandæ divinæ gratiæ ? §. 53. quomodo id ex qualitatibus agni doceatur ? §. 54. quomodo ex ſeparatione & adſperſione ſanguinis ? §. 55. quomodo ex promiſſione & comminatione inſtitutioni annexa ? §.56. quomodo ex appropinquatione, quæ agni uſui tribuitur ? §. 57. quomodo ex portatione peccati ? §. 58. quomodo ex omiſſione comminationis oſſium ? §, 59. quomodo ex intuitu Moſis §. 60. quomodo ex natura ſacramentorum V. T. § 61. quomodo ex conſideratione loci immolationis ? §.62 Quid atteſtentur Rabbini §.63. Quid Turcæ retineant ? §.64 Quid Prophetarũ concent⁹ de hoc agno ? §.65. An ſacramentũ agni paſch, ſigillũ ꝓmiſſionũ divinarũ ? §. 66 An Chriſtus in juſtificatione prima agnus, in juſtificatione ſecunda & extremo judicio non agnus, ſed judex ? § 67.68. Quid de agnis Dei habendum ? § 69.70. Quæ hiſtoricæ quæſtiones in hac materia incidant ? §, 71, Finis Synopſeos.

INDICULUS AUTORUM VETERUM

& recentiorum in consideratione aut vindicatorum, aut explicatorum, aût refutatorum, aut alijs usibus adhibitorum.

Ederus

 Iustinus

Pintus

INDEX PRÆCIPUORUM S. SCRIPTURÆ DICTORUM

quæ in Mysaria Missæ & Dissertatione de Agno Paschali aut vindicantur aut illustrantur.

FINIS.


Restauro del Libro
Badia
di
Cava